PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

HABITÆ IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

DILECTO FILIO HENRICO-JOSEPHO ICARD

PRESBYTERO SEMINARII SANCTI SULPITII,

PIUS PP. IX

DILECTE FILI, salutem et apostolicam benedictionem.

Redditæ sunt nobis obsequentissimæ tuæ litteræ, quibus, dilecte Fili, ad Nos misisti exemplar Prælectionum Juris canonici, quas pluribus annis a te in isto Sancti Sulpitii seminario traditas ac latine scriptas, hoc anno tribus voluminibus in lucem Parisiensibus typis edidisti, annuente ac probante dilecto filio nostro Francisco Nicolao S. R. E. Presbytero Cardinali Morlot istius Metropolitanæ Parisiensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Etsi vero gravissimæ multiplicesque supremi nostri Pontificatus curæ et occupationes obstiterint, quominus adhuc aliquid de hoc tuo opere degustare potuerimus, tamen perlibenter excepimus tuas litteras intimo erga Nos et hanc Petri cathedram pietatis, obsequii ac venerationis sensu exaratas et tuum donum pro quo debitas tibi agimus gratias. Non mediocri autem gaudio affecti fuimus, cum eisdem tuis litteris Nobis significaveris, nihil tibi in commemoratis Prælectionibus conficiendis potius fuisse, quam adolescentes præsertim clericos Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris et magistræ doctrina sedulo imbuere atque erudire.

PRÆFATIO

Deus Ecclesiæ mandavit ut doctrinam fidei conservet ac per orbem diffundat, cultui divino impendat omnes curas in sacris ritibus peragendis atque sacramentis dispensandis, mores fidelium, pro temporum opportunitate, ex lege evangelica componat, demum ut semetipsam suamque constitutionem, sacram scilicet hierarchiam a Christo constitutam, tueatur : ad hunc autem finem assequendum Ecclesia disciplinam canonicam constituit et sollicite invigilat ne lædatur.

Quam late pateat hujus disciplinæ investigatio, quantique ad Ecclesiæ bonum intersit clericos incumbere in illam adipiscendam, exinde concludere fas est : conjicere etiam licet quam jucunde vir antiquitatum christianarum atque rerum ecclesiasticarum amator, in his versetur stu-

diis quibus sanctæ auctoritatis, quam in omnes fideles Ecclesia exercet, conditionem meditatur, fidem catholicam intuetur semper immotam inter succrescentes hæreses ac opinionum humanarum deliramenta, rerum sacrarum administrationis originem et incrementum investigat, disciplinam in necessariis ad servandam unitatem ubique eamdem conspicit, dum tamen pro temporum morumque diversitate, singulis Ecclesiis consulitur; demum, ut multa paucis complectamur, miratur sapientem illam ac maternam sollicitudinem qua Ecclesia, in exercitio jurisdictionis, modo severa judiciorum ratione, modo charitativa disciplinæ dispensatione, devios a regula coercet, et ad se attrahere nititur, cuncta fortiter et suaviter moderatur, divina consilia propter quæ condita est perficiendo.

Necessitate igitur rerum et votis Ecclesiæ incitamur ad studia juris canonici. « Turpe est viro patricio, ait Cicero, « jus civitatis in qua versatur ignorare. » Multo certe turpius foret clericos quos divina providentia præponit regimini rerum ecclesiasticarum ignorare regulas quas Ecclesia edixit ut cuncta ordinatim disponantur. Illos propterea sæpius iterata vice Concilia et SS. Pontifices admonuerunt de obligatione perdiscendi disciplinam canonicam, adeo ut instar axiomatum ad nos pervenerint hæc verba sanctorum Siricii et Innocentii I : *Statuta Sedis*

Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum... Ecclesiasticorum canonum norma nulli esse debet ignota sacerdotum. Juniores theologiæ tyrones prima fundamenta disciplinæ canonicæ, sanctionesque quarum frequentior est usus, discunt in tractatibus *de Lege humana* et *de Jure sacramentario;* attamen multa maximi quidem momenti his lectionibus desunt, quæ supplere necesse est, ne ex inscitia, seu ex negligentia regularum Ecclesia grave detrimentum patiatur.

His studiorum necessitatibus provisum voluere sapientissimi Præsules instituendo speciales de jure canonico lectiones in seminariis, quod et plura Concilia commendaverunt. In eumdem finem, ætate præsenti, viri doctrina atque zelo disciplinæ canonicæ commendabiles multa utiliter scripserunt. Hæc etiam ratio fuit quæ nos induxit ut in gratiam alumnorum juris canonici has *Prælectiones* quas viva voce tradideramus, scriptis mandaremus.

Multa nos deterrebant, conscientia præsertim nostræ insufficientiæ, peragendi operis gravitas, atque temporum difficultates. Sunt quidem quæstiones maxime arduæ ac solutu difficiles de quibus scriptores catholici vix disputare possunt quin plurimorum animos commoveant, et quas tamen canonista prætermittere nequit, cum necesse sit ut, data occasione, valeamus canones explicare, atque

rationem agendi Ecclesiæ probare. De sacris canonibus loquimur qui ad relationes mutuas utriusque societatis, et ad exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ coercitivæ, sæculis præteritis referuntur. Præterea, quod ad disciplinam canonicam attinet, cum disciplina quæ temporibus actis servabatur in plerisque provinciis Galliæ, a jure communi in multis non levioris momenti deficeret, et, Deo ita providente, novus rerum ordo nostra ætate instauretur quo Ecclesiæ ad disciplinam communem propius accedunt, difficillimum quandoque est certo discernere quid ex veteri jurisprudentia servandum, quid resecandum sit. Utrinque periculum urget, aut vetera quædam instituta, diuturnis moribus insita, et utilitatibus locorum maxime accommodata, condemnare, ea improbando quæ Episcopi hucusque retinuerunt, aut disciplinam a lege communi deviam commendare contra vota Sanctæ Sedis. Cum his difficultatibus impediebamur, nonnulli Præsules nos suis monitis et suasionibus hortari dignati sunt, ut manus admoveremus ad opus intentum, quod tandem non amplius retardandum duximus.

Ut vero scopulos, quos in via offendere erat vitaremus, hæc duo principia fundatissima ex quibus cuncta alia derivantur præ oculis constanter habuimus, scilicet libertatem Ecclesiæ a potestate sæculari et religiosam observantiam hierarchiæ in Ecclesia divina ordinatione consti-

tutæ. Nihil catholicis antiquius esse potest, nihil magis necessarium quam libertas Ecclesiæ in regimine ordinis spiritualis; adeo ut licet omni ope fovere debeamus mutuam imperii cum sacerdotio concordiam, sedulo tamen invigilandum sit, quantum a nobis est, ne gubernium civile se rebus ecclesiasticis misceat, nec hisce rebus præcepta mandet, nec demum actionem regularem Pastorum præpediat. Quocirca graviter improbandi forent hi omnes qui sub obtentu servandi quasdam consuetudines locales, aut disciplinam suarum provinciarum, eniterentur suscitare ex parte principis sæcularis difficultates quibus S. Pontifex impediretur sua uti auctoritate. Præter quod istius modi agendi ratio lædit ordinem divinitus institutum; observare est Ecclesias particulares si inniti vellent brachii sæcularis auxilio ut studiose servent aliquid contra votum Ecclesiæ Romanæ, gravissimum periculum incurrere suorum jurium veræque libertatis. Majus ea occasione detrimentum paterentur in sua juridictione quam consequi possent emolumentum. Alterum principium priori connexum est religiose sancteque servari oportere ab omnibus, ordinem divinæ hierarchiæ juxta quem S. Pontifex, successor Beati Petri, est doctor, pater et pastor omnium fidelium, cum plena potestate pascendi et regendi universam Ecclesiam, et Episcopi positi sunt a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, et sunt Apostolorum

successores, non quidem successione directa et adæquata cum nullus sit Episcopus, excepto Romano Pontifice, qui sedem teneat unius ex duodecim Apostolis, et Episcopi non eamdem habeant potestatem sub omni respectu qua potiebantur Apostoli; sed successores merito dicuntur eo sensu quod corpus Pastorum suo capiti indivulse unitum locum teneat collegii Apostolorum, et quod singuli Episcopi, legitime instituti, idem ministerium obeant, ex divina ordinatione, intra limites suæ diœcesis, et cum debita subordinatione auctoritati S. Sedis, quod fuit Apostolis demandatum. Summa igitur veneratione habere debemus cathedram illam principalem et unicam Petri in qua cæteræ omnes servant unitatem, et valde cavendum ne ulla ratione derogetur illius prærogativis. « De causa « Ecclesiæ Romanæ anxii ac trepidi sumus, ut pote nutare « statum nostrum in lacessito vertice sentientes? » aiebat olim S. Avitus Viennensis, occasione temeræ accusationis in personam Symmachi Papæ [1]; quid, putamus, dixisset, si directe oppugnata fuissent jura S. Sedis?... Sancta etiam nobis esse debet auctoritas Episcoporum qui, licet in gradu inferiori, sunt doctores et pastores Ecclesiarum, quorum dignitatem lædere nullus potest quin ordinem divinum violet, et ipsummet summum Pastorem, in cujus communione vivunt, offendat; unde

[1] Epistola ad Faustum, tom. I, Conc. Galliarum, pag. 158.

S. Gregorius Magnus dixit : « Absit hoc a me, ut statuta « majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia in- « fringam : quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum « jura perturbem[1]. »

His duobus innixi principiis tuto incedimus in explanationem juris canonici: Si quæstio moveatur de jurisprudentia Ecclesiæ ævo præterito, componere simul curamus jura divina Ecclesiæ et discrimina temporum : nam ratio habenda est morum, locorum et temporum; quæ omnia si vir sapiens consideraverit animo attento, a studio partium alieno, fatebitur Ecclesiam suam disciplinam accommodasse necessitatibus variis sæculorum et populorum. Quando aliæ occurrent difficultates ob discrimina disciplinæ localis et regularum generalium, id nobis constitutum est juri communi inhærere in his omnibus quæ Ecclesia Romana servanda censuit, remotis quibusvis objectis in contrarium consuetudinibus etiam immemorabilibus; in his autem quæ non ita definita sunt, sed praxis dubiæ videntur, exponere una simul sanctiones juris communis et disciplinam particularem Galliæ, cum ejusdem disciplinæ origine et rationibus, nihil e nostra parte definire præsumendo, quod viris privatis minime convenit, his præsertim quos Episcopi assumunt ut juniores clericos theologicis et canonicis disciplinis instruant, aut qui eden-

[1] Epist. S. Gregorii, lib. II, Epist. LII, alias XXXVII.

dis lectionibus ad studia seminariorum accommodatis dant operam.

Omni certe cura præcavendum ipsis est, ne contra admonitionem sancti Pauli, zelo *quod non est secundum scientiam* concitati, et plus sapientes *quam oportet sapere*, ita disciplinam canonicam explicent, urgeantque disputationibus publicis necessitatem servandi jus commune, rejectis quibusve in contrarium consuetudinibus, ut videantur sibi ausu temerario assumere officium condemnandi quod in suis provinciis observatur sub auctoritate publica Pastorum in communione S. Sedis viventium, et ipsis Episcopis vim moralem aliquatenus inferre ut ad immutationes inducendas adigantur. Quam grave periculum inde Ecclesiæ procreetur, in detrimentum ordinis nemo non videt: si quidem commoventur animi; perturbatur diœceseon disciplina; attenuatur auctoritas Episcoporum, reverentiaque illis debita, ex prava illa inducta praxi præpostere judicandi de regimine primorum pastorum; receditur a mente SS. Pontificum qui tanto cum moderamine, paterna caritate, et longa rerum, temporum, ac locorum consideratione Ecclesiis provident; et communiter, quando quæstiones ad suam supremam sedem referuntur, censent nihil innovandum usque dum a se, suisve successoribus aliquid ordinatum fuerit.

Eam ob causam nostri esse officii reputavimus expo-

nere in his prælectionibus, rationibus e statu Ecclesiarum Galliæ deductis explicare, atque a subortis objectionibus vindicare, ea quæ venerabiles nostri Antistites, nullatenus ignari regularum juris communis, et praxis veteris Galliarum, statuenda unanimiter duxerunt, in regimine suarum diœceseon et in constitutione Capitulorum cathedralium, non abnuente, imo approbante cardinali Caprara legati *a latere* Sanctæ Sedis[1], quæ hæc Apostolica Sedes hucusque non improbavit, et quæ a tempore concordati ad hodiernam usque ætatem usu constanti firmata fuere, quamvis juri communi non plene consentiant. An vero quæ olim constituta sunt uti valde Ecclesiis profutura, temporumque conditioni attemperata, nunc ob diversam

[1] Card. Caprara non solum nihil animadvertit in illam Capitulorum ordinationem quam in omnibus diœcesibus eamdem constitui conspiciebat ab iis etiam Præsulibus qui inter cæteros zelo disciplinæ et devotione erga sanctam Sedem eminebant, uti v. g. a venerabilis memoriæ d'Aviau de Sanzai, Archiepiscopo Burdigalensi, etc.; sed insuper nullatenus dubitavit sua auctoritate sancire statuta Capitularia, quando Episcopi id ab illo expetierunt, de quo authentica monumenta extant in archivis nonnullarum diœceseon. Pauca quidem sunt statuta hocce modo scriptis publicis probata et confirmata, propterea quod Cardinalis Caprara hanc approbationem non reputabat necessariam, uti ipse testatur in suis ea de re litteris diei 28 Martii an. 1803 ad Card. Cambacérès, Arch. Rothomagensem, et re ipsa perpauci Episcopi approbationem formalem postulaverunt : sed nihil ad nostram propositionem refert, cum statuta a Legato *a latere* probata auctoritate Ecclesiæ Romanæ, omnes articulos contineant qui majoribus difficultatibus locum nuper dederunt in iis præsertim quæ ad partes Vicariis Episcoporum in Capitulo attributas attinent.

PROLEGOMENA

IN JUS CANONICUM

Expositioni juris canonici quasdam notiones præmittere operæ pretium ducimus, ut qui hanc partem scientiæ ecclesiasticæ excolere student, ab ipsis laborum incœptis noverint quid aggrediantur, et methodum qua ad optatum finem pervenire valeant. Hoc agemus indicando naturam, fontes, et præcipuas collectiones juris canonici; regulas servandas in juris interpretatione; et tandem commentaria quorumdam, probatæ auctoritatis, canonistarum.

§ I. — NATURA ATQUE DIVISIONES JURIS CANONICI.

1. — I° *Quid sit jus in genere?*

« Jus, ait Zallinger, pro lege atque obligatione sumitur;
« imo sæpe pro complexione legum atque systemate; sæpe
« designat sententiam a judice pronuntiatam, aut ipsum
« locum seu forum quo causæ agitantur : quatenus vero
« opponitur obligationi, indicat meram facultatem agendi

« quidquam, acquirendi, vel retinendi. » (*Institutiones juris publici*, § 12.)

Primo et secundo sensu vocem *jus* communiter usurpamus in nostris disquisitionibus de jure canonico, sive aliquam legem in specie, sive complexionem vel systema legum designare velimus. Sic dicitur : *jus naturale, jus gentium, jus civile, jus ecclesiasticum.* Prima et fundamentalis illius conceptio est quod obligationem homini imponat, adeo ut non possit violari absque peccato. Liberum hominibus non est jus proprie dictum transgredi; sed tenentur in foro conscientiæ non secus ac in foro externo, juri obsequium præstare, ita requirente divina ordinatione.

Jus *naturale* complectitur omnes obligationes quæ ex natura rerum profluunt et homini imponuntur a summa Dei voluntate. Duo ad illud constituendum concurrunt : nempe principium primarium rerum essentiis fundatum, vi cujus entia ratione prædita debent suas actiones componere modo suæ naturæ consentaneo et ad finem honestum; et Dei voluntas quæ hoc principium, illum ordinem servari necessario jubet. Hæc duo, quorum prius antecedit prioritate rationis, sejungi unum ab altero non debent.

Jus *divinum* positivum complectitur obligationes quæ a libera Dei voluntate procedunt, et in eo differt a jure naturali; utrumque certo divinum, sed dum objectum prioris est quid essentiale atque immutabile, objectum juris positivi est accidentale, nec, saltem attenta solum natura rei, immutabile. Sicut Deus potuisset alia diversa præscribere, ita et quæ jubet possunt ad tempus solummodo imperari, vel in perpetuum. Adde insuper quod radix obligationis qua tenemur obsequi præceptis positivis Dei, est in ipso jure naturali.

Tandem, ne aliis quæ ad propositum nostrum non ita directe referuntur immoremur, jus *Ecclesiasticum* complectitur obligationes quas Ecclesia, vi potestatis sibi a Christo concessæ, fidelibus imponit; jus illud innititur jure divino

positivo, quemadmodum istud a jure naturali suum principium obligationis mutuatur, sicque omnia jura a lege naturali et æterna procedunt.

Hæc sufficienter indicant quid sit jus in genere, et quonam sensu adnotaverimus sub ista denominatione includi vel leges in specie determinatas, vel complexionem legum; viam simul parant definitioni *juris canonici*, de quo nunc dicendum.

2. — II° *Quid sit jus canonicum?*

Jus canonicum est complexio legum quas ecclesiastica potestas proposuit, vel constituit, aut approbavit, ad bonum societatis spiritualis regimen.

Dicitur 1° *Complexio legum*... quoniam si agitur de quibusdam legibus determinatis, vocantur jura, aut canones, et sunt pars quædam juris canonici; non autem dicuntur *ius*, quod plurium legum œconomiam supponit.

2° *Quas ecclesiastica potestas*... Hoc quippe omnino necessarium est, adeo ut lex inter sacros canones non recenseatur nisi a divina auctoritate Ecclesiæ procedat; unde quidquid principes sæculares statuerint, remanet intra limites juris mere civilis quoadusque statutum Ecclesia adoptet, suumque faciat illud approbando. Cæterum, quæ sit ista potestas ecclesiastica omnes catholici norunt et in decursu explicabitur.

3° *Proposuit*, *constituit*, *aut approbavit*... Hæc tria simul reponimus attendendo ad objectum juris canonici, et ad modum quo inducitur. Sunt nempe multa in corpore juris quæ divina revelatione tradita, vel Dei voluntate sancita, Ecclesia proponit, explicat, et in suum jus transfert, ut, v. g., definitiones fidei, regulæ morum, materia et forma sacramentorum. Hæc sane ad jus divinum potius quam ad disciplinam canonicam referuntur; et tamen merito etiam in jure ecclesiastico continentur ob propositionem factam ab Ecclesia, et pœnas quibus ea sancivit. Sunt multo plura

quæ ecclesiastica potestas pro ratione temporum et locorum ipsa præscripsit, canones condendo quibus determinavit quid agendum seu præcavendum. Tandem sunt et alia quæ Ecclesia ab initio non quidem præscripsit, sed vel legislatorum civilium ordinatione, vel populorum moribus primo inducta, tacito consensu approbavit, et inter canonicas regulas enumerari permisit.

4° *Ad bonum societatis spiritualis regimen.* Hæc ultima verba vix indigent explicatione, cum unicuique apertum sit non ad alium finem ordinari ecclesiasticam potestatem. Porro, bonum societatis spiritualis tria stabiliunt : fidei integritas, morum christianorum informatio, cultus publici cura. Quidquid proinde ad integritatem, vel doctrinam aut propagationem fidei directe refert, quidquid ad morum custodiam vel abusuum reformationem, quidquid tandem ad puritatem et dignitatem cultus pertinet, est objectum proprium juris canonici.

Jus ecclesiasticum communius retinet nomen juris *canonici* a voce græca κανὼν quæ regulam designat : vocatur etiam jus *sacrum*, jus *pontificium; jus sacrum*, ob materias circa quas versatur et finem ad quem tendit, quæ sunt ordinis supernaturalis ; *jus pontificium*, quia maxima ex parte componitur ex decretalibus seu constitutionibus SS. Pontificum, et auctoritas Sedis Apostolicæ intervenire debuit ut alia statuta in conciliis edita, vel consuetudines moribus adductæ, firmitatem haberent.

3. — Ex data definitione sequitur : 1° magnam esse affinitatem juris canonici cum theologia et jure civili, quamvis jus canonicum ab utroque essentialiter differat. Jus canonicum concordare debet cum jure naturali cujus observationem promovet ; suam radicem habet in jure divino quo stabilita sunt fundamenta certa disciplinæ ecclesiasticæ, atque instituta vitæ christianæ ; providet recto regimini societatis fidelium, pari ratione ac jus civile societati civium ;

quinimo, sæpe leges civiles suas facit, et eo tendit, quantum patitur rerum humanarum conditio, ut utramque societatem fœdere communiat, ad majus bonum procurandum.

Attamen cum his affinitatibus stat essentiale discrimen. Theologia dogmatica, uti animadvertit Card. Soglia, de fide rebusque divinis universim disserit, ut statuat regulam credendi; atque hinc studium omne et operam collocat in demonstrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quævis catholicæ doctrinæ congruat vel adversetur. Theologia vero moralis disserit de virtutibus et vitiis, ex motivo generali bonitatis atque malitiæ; id est, ex principiis generalibus juris naturalis et divini, ut statuat regulam agendi, in foro præsertim interno. E contra jus canonicum potissimum versatur circa disciplinam ab auctoritate ecclesiastica sancitam, circa officia quæ in societate ecclesiastica præstanda sunt, ut ordo publicus servetur, utque fideles honeste conversentur; idcirco respicit fideles, ratione habita communitatis ecclesiasticæ, forumque externum maxime intendit. Legibus divinis, fidem aut mores spectantibus, addit media externa quæ disciplina humana induxit, ut leges illæ certius, et efficacius observentur, pœnasque quibus improbi homines in officio contineantur. Uno verbo : Theologia tota est in rebus fidei et morum universim investigandis, illustrandis et propugnandis; jus canonicum in exponendo regulas positivas a legislatore ecclesiastico statutas, quibus præcepta fidei et morum custodiantur, propagentur, et in usum perducantur.

In quo demum jus canonicum a civili differat nemo non videt. Unum ab Ecclesia procedit, res spirituales regit, moderatur societatem christianam, ac ad finem supernaturalem proxime tendit; dum alterum prodit a principe sæculari, negotia politica et temporalia disponit, pro fine proximo habet temporalem statum atque felicitatem humanæ societatis.

4. — Sequitur 2° necessarium esse clericis ut, pro sua conditione, scientiam juris canonici excolant. Hæc obligatio non omnes urget æqualiter, cum singulorum diversa sint officia ; sed unusquisque ea discere tenetur quæ ad suum munus attinent. Eo sensu S. Cœlestinus Papa dixit : *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare.*

Omnes aliqualem juris canonici notitiam hauriunt e sacra theologia, in qua multæ regulæ canonicæ traduntur de S. Sacrificii ritu, sacramentorum administratione, cultus publici observantiis, et præceptis moralibus Ecclesiæ. Sunt vero partes juris de quibus nihil habent theologi; sunt etiam aliæ gravissimi quidem momenti quas vix memorant, et quas tamen summopere necessarium est cognoscere. In horum studio versari convenit clericos ; nam grave detrimentum patietur disciplina, si non sint in clero viri doctiores qui sacros canones didicerint. Ex ignorantia juris oritur confusio, labefactatur disciplina, et multa prætermittuntur quæ servanda fuissent. Hac de causa pluries concilia provincialia, recenti ætate in Galliis habita, decreta ediderunt ad promovendum studium juris canonici.

Cæterum, ut quis in ea parte proficiat, omnino prærequiritur ut sedulam operam navet disciplinis theologicis; nisi enim apprime noverit doctrinam catholicam de dogmatibus et principiis morum, canonibus interpretandis sæpe imparem omnino se sentiet; tanta est horum connexio, quam modo observavimus ! Illum insuper admonemus, ut aliquam notionem juris civilis, præsertim Romani, habeat, siquidem jus canonicum et civile ita se mutuo adjuvant, « ut qui « optime primum nosse cupit, ait Benedictus XIV, alterius « scientiam sibi comparare debeat. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. x, n° 12.) Multa sunt e jure Romano translata in jus canonicum, et vicissim legislatores nationum christianarum multa e jure canonico deprompserunt; quapropter Lucius III, in cap. *Intelleximus*, 1 (DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE,

lib. V Decretalium) dixit : « Sicut leges non dedignantur « sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum, « principum constitutionibus adjuvantur. » Inde fit ut satis frequenter canonistæ recurrant ad dispositiones et jurisprudentiam Romani imperii, in suis commentariis Decretalium.

5. — III° *Quæ sint præcipuæ divisiones juris canonici?*

Jus canonicum multipliciter dividitur pro diverso respectu sub quo consideratur, ratione nimirum objecti circa quod versatur, subjecti cui imponitur, modi quo fuit inductum, temporis quo viguit.

1° Ratione *objecti*, distinguitur jus publicum a jure privato. Jus *publicum* proxime refertur ad regimen societatis; complectitur jura et officia rectorum; ideo vocatur *publicum*, quia ad communem reipublicæ christianæ utilitatem spectat. Quæ disserunt canonistæ de origine, constitutione, forma Ecclesiæ, de potestate ipsi divinitus concessa, de juribus S. Pontificis, Patriarcharum, Episcoporum, et aliorum rectorum, de hierarchia jurisdictionis inter eos, seu lege divina, seu lege ecclesiastica, attinent ad jus publicum. Jus *privatum* complectitur leges quæ determinant jura atque officia privatorum; v. g., quæ clericis imponunt obligationem gestandi vestem propriam, abstinendi a negotiis sæcularibus, quæ laicis indicunt quid facere aut præcavere teneantur, ut pie vitam ducant. Hæc tamen duo jura, licet ratione sui distincta, in nonnullis inter se confunduntur ut in decursu videbitur.

2° Ratione *subjecti*, distinguitur jus commune a jure particulari. Jus *commune* totam generaliter Ecclesiam regit, dum jus particulare statutum fuit solummodo pro certis quibusdam locis; v. g. pro tali regno, provincia, vel diœcesi. Jus commune potissimum venit sub denominatione *juris canonici* apud jurisperitos, qui regulariter quando de jure canonico disserunt, illudve simpliciter sine addito invocant, intelligunt jus commune. Constituitur auctoritate SS. Pontificum, vel decretis conciliorum œcumenicorum, vel consue-

tudinibus quæ per universalem Ecclesiam, moraliter loquendo, invaluerint. — Jus *particulare* constituitur vel a SS. Pontificibus aut conciliis œcumenicis, vel a conciliis provincialibus, a statutis episcopalibus, seu tandem a locorum consuetudine. Duobus elementis coalescit jus particulare : nimirum, legibus quæ sunt præter jus commune, et legibus ac privilegiis quæ exorbitant a jure communi ipsique adversantur. Quoad priorem partem non est difficultas; quoad alteram vero, intervenire debuit, saltem implicite, assensus Sedis Apostolicæ, uti dicetur infra ubi de primatu S. Pontificis, de jurisdictione Episcoporum, et de *consuetudine.*

3° Ratione *modi* quo inducitur, distinguitur jus scriptum a jure consuetudinario. *Scriptum* dicitur illud quod fuit a legislatore directe statutum; sic vocatur quia legislator qui legem condit, hanc scriptis authenticis consignari curat : *consuetudinarium* nuncupatur quod inductum fuit moribus societatis, cum conditionibus suo loco explicandis.

4° Ratione *temporis*, canonistæ distinguunt jus *antiquum*, *novum*, *novissimum;* quæ divisio non aliam utilitatem habere videtur, quam indicare quæ fuerint vicissitudines juris, et qua ratione, decursu sæculorum fuerit in quibusdam partibus confirmatum quale ab initiis prodierat; in aliis vero partibus immutatum, temperatum, novisve statutis amplificatum, prout postulabat temporum conditio. Re juxta ordinem chronologicum considerata, canonistæ ad jus *antiquum* referunt leges quæ prodierunt a prioribus sæculis ad duodecimum, quo editum fuit decretum Gratiani. Jus *novum* vocant leges quæ prodierunt ab ea ætate ad epocham concilii Tridentini, et consignantur in libris Decretalium. Jus *novissimum* cæteras omnes leges complectitur quæ ad nostra usque tempora conditæ sunt auctoritate Sanctæ Sedis.

§ II. — De fontibus juris canonici.

6. — 1° *Qui sint fontes juris canonici?*

Fons juris est auctoritas e qua jura profluunt, auctoritas nempe legislativa. Aliquando etiam, sensu latiori, canonistæ fontes juris appellant loca, seu monumenta in quibus jus ipsum invenitur, propterea quod ab his monumentis, veluti a totidem fontibus hauriamus cognitionem juris ecclesiastici.

Non convenit inter doctores de numero fontium juris canonici. Alii volunt unicum proprie loquendo exstare fontem, Romani scilicet Pontificis legislativam potestatem. Aliis inconcussum videtur duplicem solummodo esse fontem ad quem omne jus canonicum ultimo revocatur, divinum cujus Christus est auctor, et humanum cujus Pontifex. Juxta Card. Soglia : « Quatuor sunt juris ecclesiastici fontes quandoqui- « dem quatuor legum ecclesiasticarum latores agnoscimus, « neque plures, neque pauciores ; Christus Jesus, ipsius « Ecclesiæ fundator et legislator ; dein Apostoli, potestate a « Christo accepta ; tum summi Pontifices ; denique Episcopi « in conciliis congregati. » (*Institutiones juris publici eccl.*, *Prænotiones*, § 14.) Alii tandem superaddunt jus naturale, Vetus Testamentum, auctoritatem SS. Patrum.

Illa quæstio de fontibus juris est quidem valde gravis, si ad naturam rei attendatur, abstrahendo a statu controversiæ; magni enim refert ne catholici errent circa veram potestatem legislativam, neque loco legitimæ auctoritatis aliam illegitimam sibi fingant. At, si rationem habeamus modi quo, hac saltem ætate, quæstionem expendunt et resolvunt, nullius fere est momenti ; cum ea sit omnium sententia, decretis conciliorum opus esse confirmatione a Sancta Sede data, ut robur legis universalis obtineant. Quam ob causam opinioni communiori, et, nostro quidem sensu, magis fundatæ adhæremus, non diutius huic difficultati immorando ; et

quatuor fontes juris communis assignamus : Christum cujus divinæ institutiones in Scripturis sacris et traditione continentur, Apostolos, Sanctam Apostolicam Sedem, concilia œcumenica.

7. — II° *Utrum et quatenus Scriptura sacra haberi debeat fons juris canonici?*

1° Scripturæ Veteris Testamenti multum inserviunt ad illustranda quædam capita juris ecclesiastici, sed non proprie habentur fons juris. Re quidem vera, cum tam arcta sit utriusque Testamenti connexio, et unum alteri viam paraverit, multa sunt etiam instituta quæ inter se notabilem habent relationem : v. g., sacerdotium leviticum et sacerdotium christianum, vetera sacrificia et sacrificium Eucharistiæ, etc. Hæc in causa fuerunt cur Ecclesia nonnullas leges Veteris Testamenti assumpserit ad providendum dignitati clericorum, et majestati cultus publici : unde SS. Patres et canonistæ sæpe invocaverunt textus Veteris Testamenti, in explanatione harum dispositionum juris, etsi non ignorarent partem ritualem et judicialem legis Mosaicæ abrogatam fuisse morte Christi.

2° Scripturæ Novi Testamenti sunt, vero sensu, fons juris canonici ; fons, inquam, primus, siquidem continent leges a Christo summo Ecclesiæ legislatore latas, quæ sunt fundamentum disciplinæ canonicæ. Quæ ad jus publicum pertinent, de fundatione Ecclesiæ, de institutione potestatis ecclesiasticæ, de sacro imperio Apostolis et imprimis beato Petro a Christo collato, de gesto ab iisdem imperio circa res omnes ad religionem et Ecclesiæ gubernationem spectantes; ea omnia ex sanctis Scripturis Novi Testamenti sumuntur. De jure privato vix quidquam tractari potest, quin idem ex sacris litteris erui, confirmari et illustrari queat, circa obligationes clericorum, et aliorum fidelium.

8. — III° *Utrum traditiones divinæ et apostolicæ sint fons juris canonici?*

1° Traditiones divinæ eæ sunt quæ Deum habent auctorem, et Scripturis sacris non continentur. Has traditiones Apostoli acceperunt ab ipsius Christi ore, vel dictante Spiritu sancto didicerunt, atque suis vicissim discipulis commendaverunt, ut per illos servarentur ; ita ut, veluti per manus traditæ, ad ultimam usque ætatem pervenirent cura pastorum, juxta monitum S. Pauli ad Timotheum : « Quæ a me audisti per « multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui « idonei erunt et alios docere. » (IIª ad Timoth., II, 2.)

Traditiones apostolicæ, quatenus a divinis secernuntur, sunt regulæ quas Apostoli dederunt, tanquam rectores Ecclesiarum.

Traditiones divinæ ab apostolicis distinguuntur, natura rerum et præsertim auctoritate Ecclesiæ. Natura quidem rerum indicat traditiones esse divinas, si materia ad fidem pertineat ; vel humanam potestatem superet, v. g., effectus sacramentorum ; hæc enim solum Deum habere possunt auctorem. Auctoritas insuper Ecclesiæ nos certos facit de divinitate traditionum, si SS. Patres communiter teneant tale institutum, quod ab Apostolis accepimus, fuisse a Christo, vel a Spiritu sancto traditum, ut in perpetuum servetur ; e contra concludimus traditiones non esse proprie divinas si iidem Patres doceant aliud institutum ab Apostolis venire quo rectoribus Ecclesiarum, ut pro temporum opportunitate, lege non immutabili, custodiatur. Sic, v. g. Apostoli eodem decreto prohibuerunt esum sanguinis et fornicationem. Ratio satis dictat unum jure positivo, alterum jure naturali esse vetitum ; undenam vero sciremus utrum prohibitio edendi carnes suffocatas et sanguinem, sit lex divina positiva in perpetuum servanda, an lex humana mutabilio, nisi auctoritas Ecclesiæ id nos edoceret?

2° Traditiones divinæ et traditiones simpliciter apostolicæ, sunt fontes juris canonici. Priores eadem religione veneramur ac sacras Scripturas ; in utrisque enim eadem omnino est

auctoritas : sunt regulæ immutabiles disciplinæ ecclesiasticæ, divina scilicet instituta, absque limitatione temporis data, ut ad consummationem sæculi perdurent. Posteriores, licet non pari auctoritate fultæ, manant nihilominus a potestate legitima quam Christus suis Apostolis dedit ; ac debent summa cura custodiri, nisi ab Ecclesia abrogentur, aut decursu sæculorum in desuetudinem venerint, mutatis circumstantiis. V. g. paulatim in desuetudinem lapsa est prohibitio manducandi carnes suffocatas et sanguinem ; dum aliæ traditiones constanter servantur, uti observantia dieï dominicæ, jejunii quadragesimalis, festorum Natalis Domini et Paschatis, recitatio Symboli in professionem fidei catholicæ, et alia plura quæ merito adscribuntur apostolicis institutis.

9. — IV° *Utrum traditiones ecclesiasticæ, decreta conciliorum, et constitutiones Sanctæ Sedis, sint fontes juris ecclesiastici ?*

1° Traditiones ecclesiasticæ, quæ vel scriptis sanctorum Patrum, vel usu constanti et universali servantur, sunt fontes juris canonici, modo iis non derogaverint recentiora decreta. *Nostra facimus quæ probamus, et quibus nostram auctoritatem impertimur,* ait Bonifacius VIII ; porro Sancta Sedes non probat solum quæ in suis decretis expresse commendantur, sed etiam quæ praxi uniformi Ecclesiarum, regulariter, ubique servantur.

2° Idem a fortiori dicendum de decretis conciliorum œcumenicorum, quibus maxime elucet summa auctoritas Ecclesiæ, in assensu corporis Pastorum, et confirmatione data a Sancta Sede, et « a quibus tot effluxere sanctissimæ « constitutiones, ait Card. Petra, quæ sunt pars præcipua « juris canonici. » (*Comm. in const.* IX Alexandri III, n° 1, tom. II, p. 85.)

3° Tandem nominandæ veniunt, uti partem maximam obtinentes, constitutiones Sanctæ Sedis cujus auctoritas indubia est apud omnes catholicos. Nihil est in jure canonico,

sive per traditiones fuerit transmissum, sive per consuetudines adductum vel immutatum, sive canonibus conciliorum stabilitum, quod hac auctoritate non suffulciatur. Cum autem debeamus in decursu nostrarum *Prælectionum* disserere de conciliis et de decretis pontificiis, hæc in præsenti indicasse sat erit.

§ III. — De consuetudine.

10.—E fontibus juris canonici in quæstiones de consuetudine transimus ob rerum analogiam ; consuetudinibus enim legitimis leges continentur et manifestatur voluntas superioris cui demandatur auctoritas legislativa. Multa ea de re tractantur apud canonistas in commentariis tituli IV, lib. 1 Decretalium. Inquirendum nobis est : 1° quid sit consuetudo et quem effectum habeat ; 2° quæ conditiones requirantur ut valeat juri derogare, aut jus novum inducere; 3° utrum regula generalis de vi consuetudinum habeat exceptiones ; 4° quandonam consuetudines abrogatæ censeantur; 5° utrum omnes consuetudines olim vigentes in Galliis abrogatæ fuerint vi constitutionis pontificiæ qua Sancta Sedes novum statum rerum instauravit.

Hæc cuncta debent accurate, intentoque animo, expendi, eo magis quod si ex una parte expediat non imminuere vim jure communi insitam consuetudinibus, valde periculosum sit ex altera parte regulas protendere ultra limites, et sæpius graves abusus in praxi invaluerint obtentu juris consuetudinarii. « Le danger auquel on s'expose en donnant trop à « l'usage au détriment de la loi est évident, surtout quand « il s'agit de lois ecclésiastiques, *ait* D. d'Astros... Rien de « plus funeste en matière de droit ecclésiastique que des « principes mal assurés qui se prêtent à tous les abus... La « maxime dont on a peut-être le plus abusé à la faveur de

« cette incertitude, est celle qui donne à l'usage le pouvoir « d'abroger la loi. Il est donc nécessaire de fixer l'idée juste « qu'on doit en avoir, et de lui assigner ses véritables « limites [1]. »

11. — 1° *Quid sit consuetudo, utrum et quatenus reponi debeat inter fontes juris canonici?*

I. Consuetudo definitur : Jus moribus communitatis inductum cum aliquo consensu superioris.

Dicitur 1° *Jus*, in quo consuetudo cum lege scripta convenit, et differt a simplici usu, seu mera repetitione actuum similium quæ nec jus nec obligationem inducit. Mox dicetur eamdem esse vim consuetudinis quam legis scriptæ, modo debitis conditionibus vestiatur.

2° *Moribus communitatis inductum.* Hæc duo attendenda : mores et communitas. Mos supponit diuturnam observantiam, nam unus aut alter actus non efficiunt morem ; quapropter essentiale est consuetudini ut per aliquam præscriptionem prævaluerit. Communitas designat societatem qualis ea est in qua residet potestas legislativa, aut quæ saltem capax est legis recipiendæ ; unde, ait Suarez, « privata familia non « potest inducere jus consuetudinis, quia per se non est « capax, etiam passive tantum : nam est imperfecta omnino, « et nunquam sua consuetudine potest introducere jus, « etiam cum consensu principis. » (*De Legibus*, l. VII, c. IX, n° 11.) Ratio a priori est quod lex in quantum differt a præcepto est jus commune. Verumtamen, consuetudo potest induci a certa classe personarum ; v. g., a clero, a magistratibus, imo a persona publica quoad suum officium, quia his conditionibus, seu statibus, lex proprie dicta convenit. Reiffenstuel ea de re animadvertit communitatem monialium posse inducere consuetudinem quæ vim legis habeat, et

[1] *De l'Abus de cette maxime que l'usage abroge la loi*, in-8°, édit. ann. 1814.

simili ratione se subducere legibus sibi impositis. (*De Consuetudine*, nº 115.)

3º *Cum aliquo consensu superioris*, quod sedulo notandum, siquidem plebs nullam partem habet in potestate legislativa Ecclesiæ; quod efficere valet consuetudo id totum consequitur a superiore.

Canonistæ duplicem consensum legislatoris distinguunt, alium personalem, alium juridicum. Adest consensus personalis, quando legislator, cognita consuetudine, illam expresse approbat, aut tacite ei assentitur. Consensus legalis in ipso jure reperitur eo sensu quod legislator, dum dispositiones generales juris communis approbat, implicite assentitur ut omnes consuetudines quæ conditionibus jure requisitis vestiuntur, suos effectus producant. Nonnulli doctores existimaverunt necessarium esse ut consuetudo inducta sit sciente et patiente principe qui potest jus condere. Ita præ cæteris Fagnan in cap. *Utrum autem*, nº 18, DE COGNATIONE SPIRITUALI. Sed communis et receptissima est sententia, teste Schmalzgrueber, nullum alium consensum requiri præter legalem, seu juridicum, qui habetur per sacros canones consuetudinem moribus communitatis introductam atque præscriptam approbantes, eique tribuentes vim juris scripti. Plerique exinde canonistæ ne quæstionem quidem ea de re movent, sed supposita doctrina communiter recepta, duplicem distinguunt consuetudinem æque legitimam, aliam quæ *via præscriptionis*, ignorante principe, inducitur; alteram quæ *via conniventiæ*, sciente et annuente principe; nec aliud discrimen inter utramque assignant, nisi quod ad consuetudinem præscriptam requiratur certum temporis spatium, dum in secunda sufficit ut constet de assensu legislatoris; quamobrem hæc non est nisi, sensu minus proprio, vera consuetudo. Ita præsertim Suarez, Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Engel, Benedictus XIV, Ferraris [1], quibus

[1] Suarez, *de Legibus*, lib. VIII, cap. XIII, nis 6-12. Pirhing, in tit. DE

assentimur. Nihil certe obstat quominus legislator potuerit legem ferre qua approbentur consuetudines, certis conditionibus ab illo præscriptis vestitæ, adeo ut valeant hujus modi consuetudines absque novo consensu, aut scientia superioris : quinimo addi potest cum Suarez illud convenientissimum esse quia moraliter impossibile est omnes consuetudines devenire ad notitiam principis, et nihilominus expedit consuetudines rationabiles observari. Porro, ita statuisse principem merito concluditur ex cap. *Cum tanto*, ubi duæ tantummodo conditiones requiruntur, scilicet ut consuetudo sit rationabilis et præscripta. Sensus obvius est nihil aliud amplius requiri ad legitimam consuetudinem ; nec consequenter oportet ut interveniat consensus personalis legislatoris.

Ut vero invocetur consensus ille juridicus, supponendum est superiorem potuisse absque incommodo reclamare et obsistere consuetudini, si voluerit : si enim talis aliquando fuerit status rerum in quibusdam regionibus, qui det locum gravi dubitationi ne forte Sancta Sedes ideo a reclamatione abstinuerit quia inde graviora mala metuenda fuissent, ob malevolam principis temporalis voluntatem, vel præoccupatas mentes populi, non deberemus ex silentio SS. Pontificum concludere in favorem consuetudinis juri communi contrariæ, licet diuturno tempore prævaluerit. Consensus quidem legalis non requirit specialem scientiam superioris de tali consuetudine, uti plerique canonistæ fatentur; requirit vero libertatem moralem sensu quem indicamus. Quapropter S. Pontificis est, in casibus dubiis, judicare et pronuntiare utrum Sancta Sedes consuetudinibus introductis sufficientem consensum dederit, an eas tantummodo ad tempus tolera-

CONSUETUDINE, n° 16 ; Reiffenstuel, n^is^ 92-96; Schmalzgrueber, n° 15; Engel, n° 19; Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. v, n° 5; Ferraris, v° *Consuetudo*, n^is^ 27, 28; Billuart, *de Legibus*, dissert. v. art. II, etc. Cf. *Études de théologie* (a patribus S. J.), 1859, tom. I, pag. 525-537.

verit, ob gravium malorum imminentiam : deficiente explicita declaratione, illud dignosci potest ex specialibus adjunctis et indiciis, et præsertim ex agendi ratione Sedis Apostolicæ.

12. — II. Consuetudo est fons juris canonici, eo sensu quod positis conditionibus indicatis, quas mox fusius explicabimus, potest novas leges inducere, veteres immutare, aut etiam abrogare, jurisdictionem Præsulum restringere, vel ampliare.

S. Gregorius Magnus scribebat ad Episcopos Numidiæ : « Consuetudinem, quæ tamen contra fidem nihil usurpare « dignoscitur, immotam permanere concedimus. » Epist. LXXVII. « In his rebus, ait S. Augustinus, de quibus nihil sta- « tuit Scriptura, *mos populi*, et instituta majorum, pro lege « tenenda sunt. » Cap. *In his*, 7, dist. XI. — Gregorius IX item declarat : « Licet longævæ consuetudinis non sit levis « auctoritas, non tamen est adeo valitura ut vel juri positivo « aliquod debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationa- « bilis et legitime præscripta. » Cap. *Cum tanto*, 2, DE CONSUETUDINE. Et Bonifacius VIII : « Non est (dum tamen « alias sit præscripta canonice) consuetudo quam allegat « Episcopus reprobanda, quod in inquirendis, puniendis et « corrigendis subditorum excessibus, consilium sui capituli « requirere minime teneatur. » Cap. *Non est*, 3, DE CONSUETUDINE, in VI. Hi textus juris, aliique plures quos legere est in distinctione VII decreti Gratiani, et in titulo speciali DE CONSUETUDINE libri I Decretalium, manifeste supponunt, vel etiam expressis verbis indicant, vim consuetudinis ad legem novam inducendam, ad derogandum legibus jam latis, atque ad Pastorum jurisdictionem ampliandam, seu restringendam. Hoc insuper probat unanimis sententia doctorum qui ea de re nullum dubium movent, etsi multas habeant inter se controversias circa varias applicationes principii generalis ad casus particulares, et circa conditiones requisitas ut valeat consuetudo, uti mox dicemus. Tandem ad eamdem doctri-

nam stabiliendam conspirat praxis constantissima; nam nemo ignorat permulta esse exempla legum quas introduxit aut temperavit consuetudo Ecclesiarum.

Ratio hujus juris consuetudinarii est, quod leges humanæ eo efficacius suum finem assequuntur, quo magis accommodantur moribus communitatis : porro nihil certe magis his moribus conveniens quam consuetudo sponte inducta, et per longum tempus firmata. Nullum quidem jus habet plebs christiana suos usus retinendi absque consensu primorum Pastorum, et præsertim summi Pastoris vicarii Christi; sed cum Ecclesia regatur magno æquitatis moderamine, cum Pastores se patres esse non dominos glorientur, ipsis æquum visum est his favere moribus populi, quando nihil habent adversum fidei et bono disciplinæ. — Ipsa Ecclesiæ catholicitas suadebat ut ita res componerentur. Ecclesia debet servare unitatem sub regimine S. Pontificis cujus est omnes et singulas Ecclesias suis decretis moderari : at simul, cum diffusa sit per orbem, necessarium est ut singularum regionum ingenio se aliquatenus accommodet, quantum sinit bonum universitatis. Huic necessitati providet sapientia Sanctæ Sedis, non solum per specialia decreta, sed etiam aliquid indulgendo moribus, permittendo nimirum ut leges communes sensim temperentur locorum consuetudinibus, eo modo quo magis conveniant ingenio populi, et optatum finem certius assequantur. Cæterum, ratione primatus apostolici, Sancta Sedes jus sibi reservat consuetudines abrogandi, et cuncta ad pristinum statum reducendi, quando opportunum judicaverit.

13. — II° *Quæ conditiones requirantur ut consuetudo jus inducat novum, aut juri existenti deroget?*

Ut consuetudo suos effectus producat, tres requiruntur conditiones : 1ª ratione objecti, ut sit rationabilis; 2ª ratione communitatis, ut a majori parte inducatur; 3ª ratione temporis, ut sit canonice præscripta.

I. Ex parte *objecti*, consuetudo debet esse rationabilis. Rationabilem reputamus consuetudinem quæ non adversatur juri divino, non reprobatur jure humano, et aliunde conducit ad bonum communitatis. Hæc est conditio legis, quam omnis consuetudo habere necessario debet, ut et ipsa vim legis obtineat.

Quod vero dicimus requiri ut consuetudo non reprobetur jure canonico, non eo sensu intelligas quod nulli juri canonico adversetur, alioquin non daretur consuetudo *contra jus*, quod nemo inter canonistas admittet; sed eo solum sensu id sumas quod jus canonicum non prohibuerit talem consuetudinem, uti infra, quæstione subsequenti, explicabitur.

Si consuetudo reputaretur irrationabilis ex eo solum quod juri positivo adversatur, vel quia supponi non potest ullam esse causam rationabilem inducendi consuetudinem contra jus legitimum, vel quia obsistit voluntas superioris. Porro neutrum dici debet : Non I; siquidem etsi lex contra quam præscribitur supponitur legitima ratione sui objecti et consequenter rationabilis, alioquin irrita foret ipso jure, potest nihilominus obnoxia esse nonnullis incommodis, propter quæ utilius forsan erit, aut saltem bonum et conveniens, ut mutetur. Non II; timendum scilicet non est ne contemnatur auctoritas legislatoris; positis enim conditionibus jure requisitis, ipse legislator vult servari consuetudinem quæ contra legem prævaluerit.

Difficultas quandoque est in determinando utrum consuetudo sit vere rationabilis, vel e contra respui debeat uti corruptela. Ut dubium solvatur, attendendum est sedulo ad necessitates Ecclesiarum, ad disciplinam vigentem, ad consectaria quæ ex sublatione legis sequerentur, in bonum vel in detrimentum Ecclesiæ. Si lex contra quam prævalere dicitur consuetudo, sit valde necessaria ad servanda jura Ecclesiæ; si timendum ne nervus disciplinæ solvatur ea lege semota; si tandem consuetudo allegata sit affinis aliis

consuetudinibus quas Sancta Sedes improbavit, hanc admodum suspectam habebimus. E contra, si consuetudo ita moribus regionis indulgeat, ut non detur locus his periculis, reputabitur rationabilis. « Quod si vero, ait Reiffenstuel, « pensatis omnibus, adhuc remaneat dubium super rationa-« bilitate consuetudinis, præsumenda erit rationabilis ac bono « communi expediens. In dubio enim favor consuetudinis « velut in possessione existentis, erit firmandus. » (*De Consuetudine*, n° 43.) Causam potius dimittendam fore arbitramur judicio superioris, pro rei gravitate.

14. — II. Ex parte *communitatis*, necesse est ut consuetudo inducatur a majori parte communitatis, per actus liberos, cum intentione saltem implicita obligationem adducendi, vel legi derogandi, prout consuetudo est præter, aut contra legem.

1° Requirimus majorem partem communitatis, quia abs re foret prævalere partem minorem in majorem, adeo ut hæc teneatur subire conditionem quam imposuerit mos minoris numeri incolarum.

Hinc si lex abroganda sit pro universali Ecclesia, requiritur consuetudo universalis. Verum, abrogatio legis fieri potest per partem, ut scite animadvertit Suarez. « Juxta instituta « canonica, inquit, illa abrogatio fieri potest per partes in « provinciis, in episcopatibus, et aliis communitatibus quæ « per leges proprias gubernari possunt. Nam si in una ex « his communitatibus prævaleat, in majori parte, consue-« tudo contra legem communem, pro illa communitate de-« rogatur, etiamsi pro aliis lex integra maneat. » (*De Legibus*, lib. VII, cap. XVIII, n° 6. — Reiffenstuel, loc. cit. n° 164.) Hoc facili discursu ex multis textibus Decretalium corroborari, et ex praxi certa probari posset ; nam plerumque consuetudines derogativæ juris fuere locales. — Vicissim, si lex communis sensim per majorem partem Ecclesiarum desuescat, et tamen integra alicubi, in una provincia perseveret,

ibi vigebit, non jam quidem quatenus lex generalis, sed quatenus lex particularis, diœcesis seu provinciæ moribus firmata.

2° Requirimus insuper ut consuetudo procedat per actus liberos cum intentione saltem implicita jus inducendi, vel juri derogandi, nam legislator consuetudinem approbat, ut se accommodet moribus, scilicet voluntati præsumptæ communitatis. « Hac de causa, ait Reiffenstuel, devota praxis « fidelium missam diebus ferialibus audiendi, statis horis ad « sonum campanæ B. Virginem salutandi, in ingressu templi « frontem aqua lustrali aspergendi, et aliud hujusmodi, « novum jus seu consuetudinem obligatoriam non inducit, « quia videlicet hæ et similes consuetudines ex liberali tan-« tum affectu et devotione, non vero ex ulla inducendæ obli-« gationis voluntate inchoatæ sunt et continuantur. » (*Ibid.*, n° 129.)

15. — Non consentiunt doctores utrum actus illi quibus inducitur consuetudo contra legem, fieri debeant bona vel mala fide, ex errore vel cum scientia legis.

Plures supponunt requiri cognitionem legis; quia, inquiunt, si lex non servetur ob ignorantiam in qua versantur subditi, falso existimantes legem non existere, non habent intentionem illam abrogandi, et deficiente intentione, consuetudo nihil operatur. Ita Suarez, lib. VII, cap. XVIII, n° 24, et Schmalzgrueber, qui suas probationes sic concludit : « Ad con-« suetudinem contra legem requiritur ut frequententur actus « contrarii, non quomodocumque, sed animo abrogandi le-« gem; hic autem animus haberi non potest sine scientia « legis et conscientia mala fide. » (*De Consuetudine*, n° 24.)

Alii e contra probare contendunt requiri omnino bonam fidem sicut in præscriptione, quod deducunt tum ex analogia inter consuetudinem et præscriptionem quæ nec inchoari nec currere potest sine bona fide; tum ex periculo sententiæ oppositæ qua subditi incitarentur ad violandam legem for-

maliter, spe illam abrogandi. Ita Pirhing, n° 44; Ferraris, n° 30, et alii non pauci. Hanc opinionem communius fuisse receptam apud antiquos, dicit Schmalzgrueber (*Ibid.*, n° 25).

Cæteri tandem arbitrantur valere consuetudinem sive bona fide, sive mala inducatur, quia in utroque casu est sufficiens intentio legem abrogandi. Ita Böckhn, n^is^ 19-26. Rationes hujus opinionis cui assentimur, sunt : 1° quod consuetudo vim suam mutuatur a legislatore qui potissimum intendit se conformare moribus et voluntati præsumptæ communitatis; atqui, sive bona, sive mala fide inducatur consuetudo contra legem, mens bene præsumpta communitatis est ut lex illa, quæ non fuit a multo tempore observata, abrogetur. Cum ea sit indoles hominum ut magis inclinentur ad eam partem quæ illos exonerat, quis non videat voluntatem implicitam et prædominantem communitatis esse ut lex, quæ a diuturnis moribus ita recesserit, tandem suam amittat vim obligandi? — 2° In systemate adversariorum, si sua principia sequantur, mala fides perdurare deberet quamdiu currit præscriptio, quoadusque tempus requisitum elapsum sit; nam eadem esse debet voluntas libera communitatis quacumque epocha consideretur : id vero non admittunt, ut videre est apud Suarez, et merito quidem; nam sensus communis obstat quin dicamus omnino necessarium fore ad consuetudinem, ut per totum id tempus, major pars societatis peccet formaliter. — 3° Tandem praxis præteritorum sæculorum invocari potest. Multæ sunt leges quas consuetudo abrogavit aut immutavit. Sit in exemplum lex jejunii unicam refectionem per diem permittens, quæ temperata deinceps fuit data licentia collationem vespertinam sumendi. Porro, nullibi supponitur majorem partem societatis, dum paulatim invalescebat consuetudo, habuisse scientiam legis, et peccasse formaliter, agendo ex prava conscientia contra hanc legem.

16. — III. Ex parte *temporis* requiritur ut consuetudo sit præscripta. Quantum intercedere debeat tempus, pendet a

natura consuetudinis; aliquando sufficit spatium decem annorum, aliquando postulabuntur viginti aut quadraginta anni, aliquando etiam consuetudo immemorabilis.

1° Sufficit spatium decem annorum ad consuetudinem præter jus, seu inducentem jus novum, et etiam ad consuetudinem contra legem novam cui ab initio mores communitatis obstiterunt. Quoad consuetudinem inductivam juris novi est sententia communiter tradita. « De auctoribus qui in con- « trarium citantur, ait Suarez, non multum curandum est, « quia pauci sunt respectu aliorum. » (Lib. VII, cap. xv, n° 7.) De consuetudine autem juris abrogativa idem theologus hæc opinatur : « Brevius tempus postulandum est, ut « lex nondum recepta non obliget, quam ut abrogetur « lex jam usu præscripta; sed ad hoc posterius ad summum « requiritur tempus quadraginta annorum; ergo sufficit de- « cennium, quia nullum aliud cum fundamento præscribi « potest. » (*De Legibus*, lib. IV, cap. xvi, n° 11.)

2° Ad præscribendum contra legem vigentem, requiritur ad minimum spatium decem, et ad summum spatium quadraginta annorum. Scilicet, olim communis erat opinio apud doctores, teste Suarez, requiri quadraginta annos. (Lib. VII, cap. xviii, n° 12.) Hanc opinionem, quam et suam facit, Suarez probat textibus juris qui non minus spatium requirunt ad præscribendum contra Ecclesias; nam juxta illum, consuetudo derogativa juri merito censetur præscribere contra Ecclesiam. « Verum, ait Benedictus XIV, plerique ex recen- « tioribus non improbabiliter opinantur satis esse consuetu- « dinem decem annorum. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. v, n° 4.) Ita præ cæteris Reiffenstuel, n^is^ 105-108, Schmalzgrueber, Pirhing, n^is^ 35-39, Söll, *Tr. de Præscript.*, part. I, n^is^ 101-114, Leurennius, quæst. 378, n° 4, Mayr, *Trismegystus Pontificius*, n° 39, etc., etc. Hanc sententiam S. Liguori probabilem existimat, etsi nullam ipse determinate amplectatur. Ratio est quod jus canonicum requirit solummodo tempus

longum, non assignato numero annorum : jus autem Romanum, a quo legislator ecclesiasticus suos canones de consuetudine mutuatus est, habet decennium pro tempore longo. Nec obstant decreta circa præscriptionem bonorum : est quippe essentiale discrimen inter hæc duo. Præscriptio bonorum temporalium vergit in detrimentum Ecclesiarum quibus infert damnum irreparabile; siquidem suorum bonorum dominio semel spoliatæ, jam non valent illud suo nutu recuperare : consuetudo e contra nullum jus aufert Ecclesiæ quæ semper valet legem consuetudine abrogatam in statum pristinum restituere, si expedire judicaverit. Hinc Schmalzgrueber concludit has consuetudines non esse contra Ecclesiam, cujus jura non tollunt nec imminuunt.

Hæc opinio probabilis nobis videtur, cum ratione sui, tum auctoritate doctorum. Cæterum, dubium sæpe remanebit ob rerum circumstantias. Sunt quippe consuetudines quædam inductæ per actus quorum rara est, et nonnisi plurium annorum tempore elapso, reversio; ex actibus autem tam raro repetitis difficile est colligere mores atque intentionem communitatis; quam ob causam prudentia tunc dictat rem dimittendam fore arbitrio judicis, qui juxta naturam negotii pronuntiabit.

3° Ad acquirendum facultates quæ jure communi pertinent ad S. Pontificem; item ad acquirendum territorium separatum et jurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et populum, cum ipsius Episcopi exclusione, in aliquo speciali loco, non sufficit quadragenaria consuetudo, sed requiritur in priori casu præscriptio centum ad minus annorum, et in secundo casu consuetudo immemorabilis, de cujus essentia est, ait Benedictus XIV, « ut nihil contra eam auditum un- « quam, vel dictum, aut factum fuerit. » Communis est opinio doctorum acquiri posse, vi præscriptionis, non solum jurisdictionem ordinariam, verum ea etiam jura quæ ab humanis institutionibus reservantur principi, scilicet Romano Pontifici

in signum privilegii, seu specialis prærogativæ; et ratio est quod nec ex natura rei, nec ulla dispositione juris prohibetur hujusmodi præcriptio. At vero cum de præsfiniendis conditionibus requisitis ad illam præscriptionem devenitur, incerti ratiocinantur canonistæ, et videntur in eo potissimum convenire, quod si præscriptio fiat sciente et patiente principe, aut cum titulo, sufficere debet tempus ordinarium : si vero desit titulus, aut scientia principis, arbitrantur necessarium esse recurrere ad consuetudinem immemorabilem, quæ includit præsumptionem legalem indulti apostolici, ab initio dati, vel saltem ad consuetudinem centenariam quæ in jure æquiparatur immemorabili, eosdemque effectus producit. Hæc videtur esse jurisprudentia curiæ Romanæ, cui in hujusmodi negotiis standum est, cum ab arbitrio S. Pontificis pendeant. Idem confirmari potest, tum quoad præscriptionem jurisdictionis quasi-episcopalis in territorium separatum, tum quoad præscriptionem facultatum Sanctæ Sedi jure communi reservatarum, ex const. *Romanus Pontifex*, an. 1641, qua removentur omnia præjudicialia juribus Sanctæ Sedis, et aliarum Ecclesiarum, salva tamen præscriptione centenaria, vel immemorabili, nisi in casibus in quibus per sacros canones, seu concilia universalia, vel constitutiones pontificias illa reprobatur [1].

17. — III° *Utrum regula juris de efficacia consuetudinis ad abrogandum legem admittat exceptiones?*

Quæstio mota est apud canonistas et theologos utrum regula juris modo explanata vim habeat 1° in leges pœnales quibus pœna infertur ipso facto incurrenda; 2° in leges irritantes quibus scilicet statuitur actus quoscumque contra illarum sanctiones initos fore pleno jure irritos; 3° in decreta

[1] Pirhing, in tit. DE OFFICIO ORDINARII, n° 7. Engel, DE OFFICIO JUDICIS, n^is 23, 24. — Benedictus XIV, const. *Inter multæ*, an. 1747, § 3; *de Synodo*, lib. IX, cap. II, n° 6; lib. XIII, cap. VIII, n^is 21-23.

concilii Tridentini; 4° in leges liturgicas, seu sacramentales; 5° demum in legem qua abrogata fuit ipsa consuetudo, si eadem consuetudo postea iterum reviviscit.

I. De lege pœnali et de lege irritante, jam consentiunt plerique canonistæ ac theologi illam abrogari posse contraria consuetudine, quemadmodum in præcedentibus insinuavimus. Re quidem vera, consuetudo contra legem pœnalem inducta potest esse rationabilis, si nimirum lex illa minus conveniat moribus populi, vel experimento constet non esse illi proficuam. Hoc posito, non est cur lex hujusmodi non posset abrogari sicuti alia lex humana. Quando igitur intercesserit tempus necessarium ut obtineat præscriptio, actus contra legem veterem non erunt illiciti, nec proinde incurretur pœna. Nihil etiam obstat quominus consuetudo deroget legi quoad pœnam, relicta obligatione morali ab actu abstinendi, quia lex pœnalis divisibilis est; pœna utique non est per se annexa culpæ, sed ex voluntate principis quæ potest in una parte mutari, licet non mutetur in altera.

Idem dicendum ob paritatem rationum de lege irritante, quia « lex irritans, ait Suarez, potest abrogari aliqua ra- « tione honesta... nec talis consuetudo (legem irritantem « abrogans) semper invenitur in jure reprobata, ut per se « constat, nec ex sola natura rei id potest cum verisimilitudine « cogitari. » (*De Legibus*, lib. VII, cap. XIX, n° 14.) Igitur, sicuti consuetudo valet legem irritantem inducere, ita eodem jure potest legem abrogare.

18. — II. De decretis concilii Tridentini major est difficultas.

Plures canonistæ auctoritate graves dicunt derogari non posse his decretis contraria consuetudine. Ita præ cæteris Benedictus XIV, card. de Luca, Devoti. Benedictus XIV, cum esset Arch. Bononiensis dixit, in sua Institutione LX, n° 7, bullam Pii IV *Benedictus Deus* « abrogare omnia quæ Triden- « tinæ synodo contraria esse videntur; ideoque nullius efficere

« momenti consuetudines quæ leges aliquas in iisdem capiti-
« bus præscriptas violant. » Exinde concludit consuetudinem allegatam in suis regionibus, qua beneficiati se reputabant immunes ab obligatione emittendi professionem fidei, licet constans haberetur, nullam vim habere cum disciplinæ concilii apertissime repugnet. Card. de Luca eodem sensu dixit : « In eis quæ concilii decretis adversantur, quæcumque
« possessio vel præsumptio non suffragatur, neque allegari
« valet, omnesque actus contrarii pro infectis habentur. » (*Discursus* I in conc. Trid., nº 16.) Devoti similiter asserit, modo absoluto, « concilii Tridentini decreta contraria consue-
« tudine tolli non posse. » (*Prolegomena*, cap. IV, § 50.) Innituntur 1º Constitutionibus pontificiis Pii IV *In Principis*, et *Benedictus*, quibus abrogatur quævis consuetudo contraria disciplinæ Tridentinæ. 2º Pluribus decisionibus Rotæ et S. Congregationis concilii, quæ consuetudines allegatas de quibus dubium exortum fuerat reprobaverunt. 3º His adjungi potest quod juxta Fagnan consuetudo non valet generatim derogare decretis cujusvis concilii generalis. (In cap. *Quanto*, nº 42 DE CONSUETUDINE, et in cap. *Si quis*, nº 65 DE FORO COMPETENTI[1].)

Alii doctores in contrariam sententiam abeunt, ad quorum mentem hæc sunt animadvertenda :

1º Doctrina asserens consuetudinem non posse derogare decretis Tridentinis videtur ignota fuisse theologis et plerisque canonistis; siquidem statuunt, uti principium, consuetudinem si, rationabilis sit, abrogare posse omnem legem positivam humanam, nec sub eo respectu ullum discrimen assignant inter decreta concilii Tridentini, vel alterius cujuslibet concilii generalis et cæteras leges canonicas. Sic ut unum e theologis, alterum e canonistis, exempli causa ci-

[1] Cf. *Exposition des principes du droit canonique*, par Son Ém. le cardinal Gousset, chap. XXVI.

temus, Suarez expendit per caput integrum xix, lib. VII *de Legibus, an abrogatio legis per consuetudinem admittat aliquam exceptionem.* Examen instituit de diversis legibus canonicis de quibus dubium esse potest, aut inter doctores controvertitur, et ne mentionem quidem habet de legibus Tridentinis. Ita demum discussioni finem imponit : « Unde tan« dem concludo regulam datam nullam pati exceptionem, quia « præter dictas nullæ aliæ probabiles occurrunt, nec a docto« ribus afferuntur, et rationes factæ videntur eamdem vim ha« bere posse contra aliam quamcumque, si cogitetur. Et ideo « recte dixit Navarrus : Omnis consuetudo rationabilis præ« scripta valet contra quodcumque jus humanum. Nam addens « *omnis*, et *quodcumque*, satis significavit nullum esse locum « exceptioni. » Pirhing examen etiam iniit in commentario tituli DE CONSUETUDINE, *de pluribus consuetudinibus invalidis et a jure canonico specialiter prohibitis ac reprobatis*, n^is 85-99, nec ipse meminit consuetudines legi Tridentinæ adversas; unde certo concludere possumus leges Tridentinas abrogari posse, juxta Pirhing, eadem ratione quam cæteræ leges, quomodo enim illas penitus silentio præteriisset, si consuetudines contra decreta Tridentina inductæ reprobatas esse existimasset? Idem canonista ex principiis infert « quod ea decreta « concilii Tridentini quæ novum jus inducunt, et aliæ cons« titutiones pontificiæ seu canonicæ quæ in diœcesibus hac« tenus non sunt receptæ vel in praxim deductæ, ibi non « obligent, non præcise quia non sunt receptæ ab initio, sed « quia per desuetudinem, sive per non usum longi temporis « sunt sublatæ, ut saltem hic et nunc non amplius obligent. » (In tit. DE CONSTITUTIONIBUS, n° 41.) Monet tamen, ut Episcopi decreta quæ ad morum reformationem spectant, et hactenus in suis diœcesibus non sunt recepta, ultro in observationem deducere conentur.

Hinc theologi et plerique canonistæ, quando quæstionem practicam de aliqua consuetudine resolvere aggrediuntur, non

expendunt utrum hæc consuetudo adversetur decreto concilii Tridentini, sed utrum sit rationabilis ac præscripta. « Non desunt exempla, ait Söll, theologus societatis Jesu, « queis ostenditur quædam decreta concilii fuisse limitata, « restricta, vel omnino per contrarium usum abrogata... ex « quibus patet sacri Concilii decreta abrogari posse per con« trariam consuetudinem, si hæc rationabilis sit, nec per « posterius quoddam decretum reprobetur. » (*De Præscriptione*, n° 561.) S. Alphonsus de Liguori probat, ex adducto decreto concilii, illicitum esse religiosis habere peculium; postea vero hæc subjungit : « Ita respectu ad decretum con« cilii, sed *ratione consuetudinis* quæ hodie fere in omnibus « religionibus, saltem non reformatis, introducta est, puto « cum fautoribus primæ sententiæ, rigorem concilii hodie « temperatum esse, et *licere* singulis religiosis, ex consensu « superioris peculium habere, ut sibi provideant ad usus « necessarios vel honestos. » (*Theologia moralis*, lib. IV, n° 15.)

Perplura hujusmodi exempla ex probatis auctoribus prætcrimus, quæ in id conspirant ut consuetudo admittatur vel respuatur prout est vel non rationabilis et præscripta, abstrahendo ab alia consideratione utrum deroget decretis concilii, vel constitutionibus pontificiis, aut demum cæteris statutis.

2° Ipsimet canonistæ qui sententiam priorem propugnant illam tamen mitigasse videntur in praxi. Benedictus XIV, cujus supra retulimus opinionem, admisit nihilominus « potuisse de« cretum concilii Tridentini (de annali convocatione synodi « diœcesanæ) contraria consuetudine non nihil emolliri et « temperari. » Alias, ut explicet qua ratione populus non teneatur ad audiendum verbum Dei in propria parochia, non obstante decreto concilii quod videtur obligationem intimare, exponit varias solutiones excogitatas a theologis, et demum hanc alteram responsionem affert, uti aliis forte anteponen-

dam : « Sed fortasse melius Zerola aliique sentiunt obliga-« tionem, si quæ unquam fuerit, auscultandi proprium pa-« rochum verba facientem ad suum populum, ablatam nunc « esse per contrariam consuetudinem, cum passim viri pii « et docti alio se confugiunt ad audiendos sacros oratores. » (*De Synodo*, lib. I, cap. vi, n. 5. —Lib. XI, cap. xiv, n. 13.) Card. de Luca animadvertit quod « usus parum recepit de-« creti Tridentini observantiam circa tempus synodi diœce-« sanæ, ut scilicet singulis annis celebrari debeat, cum, inquit, « ista frequentia, nedum episcoporum, sed etiam subditorum « superfluam incommoditatem, aliaque inconvenientia potius « producere videatur, ideoque rara praxis est. » (*Discursus* XXX, in Conc. Trid.) Devoti tenet ex decreto concilii nefas esse clericis possidere simul plura beneficia, ex iis etiam quæ compatibilia dicuntur, si unius reditus sint sufficientes ut clericus honeste ac decenter vivat ; et nihilominus hæc subjungit : « Sed nunc ex consuetudine ubique recepta, « nemo in foro controversiam patitur quod duo beneficia « possidet etiamsi unum præbeat ad vitam honeste traducen-« dam, modo utrumque residentiam non requirat. » Porro præsumendum est quod si ex *consuetudine ubique recepta*, nemo ea de re controversiam pateretur in foro, communiter existimabatur idem non esse illicitum in foro conscientiæ, modo vitarentur excessus, quod docuerunt plures canonistæ quos refert Leurennius. (Devoti, lib. II, tit. XIV, § 17. — Leurennius, *Forum beneficiale*, sect. I, q. 67, n. 3 et 4.) Hæc non discutiendo afferimus, nec probando omnes consuetudines de quibus theologi passim, data occasione, agunt, sed exempli causa, ut appareat auctores ipsosmet qui videntur stare pro impræscriptibilitate decretorum Tridentinorum, non ita propugnasse suam sententiam, ac si sumenda foret absque temperamento.

3° Quod ad constitutiones pontificias quæ ab iisdem scriptoribus allegantur, non existimamus in iis derogatum fuisse

principio juris fundatissimo de vi consuetudinum. Pius IV jubet, Const. *Benedictus Deus*, « ut episcopi decreta concilii « faciant inviolabiliter observari; » et decernit « irritum et « inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate con- « tigerit attentari. » Per alteram Const. *In Principis*, revocat privilegia, exemptiones, immunitates, quæ ejusdem concilii decretis erant contraria. Declarat quæ gesta fuerint, et in posterum fient, *vigore* horum privilegiorum abrogatorum irrita fore. Hæc, et alia hujusmodi, reperiuntur, aut constanter supponuntur in decretis conciliorum, et in bullis pontificiis quibus disciplina constituitur; ex quo enim legislator statutum generale promulgat, vult ut omnes obsequium præstent regulæ præscriptæ. Cum itaque tempore concilii plurima erant in Ecclesiis, communitatibus, capitulis, et ordinibus regularibus, immunitates, observantiæ, et privilegia minime consentanea disciplinæ constabilitæ ad reformationem abusuum, consequens omnino fuit ut Sancta Sedes declararet has immunitates abrogari, et quod vi earumdem immunitatum ita abrogatarum contigerit in futurum attentari, irritum fore. At vero, in neutra constitutione, nec in quavis alia, Pius IV decrevit principia generalia juris communis de consuetudine applicanda non fore decretis concilii, nullam scilicet novam consuetudinem in futurum induci posse quæ iisdem decretis derogatura sit, vel novas immunitates inductura. Ergo, nihil obstat ex parte harum constitutionum quominus derogari possit decretis concilii contraria consuetudine, conditionibus canonicis vestita; est enim doctrina moraliter unanimis doctorum, quod per clausulam abrogatoriam consuetudinum « solum abrogetur præexistens consue- « tudo, non prohibeatur consuetudo in futurum, quia clau- « sula illa non respicit futurum tempus, sed tantum præte- « ritum, » ut ait Suarez. Idem, juxta communissimam opinionem, dicendum est de clausula, seu de decreto irritante.

De declarationibus S. Congregationis quæ in contrarium allegantur hoc unum notabimus, S. Congregationem condemnavisse nonnullas consuetudines de quibus interrogabatur, et quæ ipsi visæ sunt irrationabiles et corruptelæ; nunquam vero statuisse per decretum, imo nec declarasse per modum responsionis ad privatos, hujusmodi esse leges disciplinares concilii, ut nunquam immutari possint, seu etiam iisdem derogari ullatenus valeat qualibet consuetudine.

Hæc cum ita sint, probabiliorem arbitramur secundam opinionem, ea tamen conditione ut servata mente et, quoad substantiam, disciplina concilii in omnibus quæ ad reformationem morum, sanctitatem cultus, et libertates ecclesiasticas attinent, accidentalem solummodo mutationem consuetudo inducat.

19. — III. De legibus sacramentalibus, seu liturgicis, alia movetur difficultas.

Nihil quidem obstat ex parte rei quominus consuetudo vim suam exserat in hanc materiam, sicut in alia quæ sunt juris humani; quidquid in contrarium asseruerint nonnulli recentiores. Scriptores magis versati in liturgicis antiquitatibus explicare consueverunt varietatem rituum per diversitatem ingenii, morum et consuetudinum diversarum gentium; unde venit quod plures ritus non ubique iidem ab exordio instituti fuerint, et alii tractu temporis introducti. « Causæ tantæ varietatis in tanta fidei unitate, ait card. « Bona, hæ fuisse videntur : vel quia dispares diversarum « nationum mores et ingenia sunt, quæ diversos ritus et cæ« remonias, ut in rebus politicis, ita etiam in ecclesiasticis « exigunt... quia dissimiles apud varias nationes mores sem« per fuerunt. Hinc orta diversitas est... » Alter liturgista, cujus card. Bona laudavit eruditionem, animadvertit hunc fuisse perpetuum hominum sensum in religione, « ut inter « præscriptas a Patribus cæremonias, quamvis sanctissimas, « sese continere pauci potuerint, unde pro temporis tractu

« ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu, alia atque « alia addita, multa etiam mutata videre est [1]. »

Celebriores e canonistis putaverunt ob easdem rationes non excipiendas esse leges liturgicas a regula communi. « Si « rationabilis sit consuetudo et legitime præscripta, ait « Schmalzgrueber, juri ecclesiastico derogare poterit... « Proceditque hoc etiam quoad sacramentalia, et ipsas etiam « sacramentorum cæremonias, si substantiales illæ non sint « et a Christo præscriptæ... Ratio est quia, cum hæ cære- « moniæ sint institutionis mere humanæ, nullum fundamen- « tum est eas excipiendi a generalitate capitis finalis tituli de « consuetudine. » Ita Suarez, juxta quem « si consuetudo « potest introducere novam legem et obligationem in ma- « teria sacramentali, non est cur non possit etiam abrogare. » Pirhing tradit eamdem doctrinam, modo consuetudo non reperiatur reprobata in sacris canonibus. Leurennius sequitur Suarez et Pirhing, et docet cum aliis et cæteris canonistis, non esse rationem « excipiendi consuetudinem adversus « legem sacramentalem, aut etiam postulandi potius in ea « consensum legislatoris alium quam legalem [2]. »

Alii vero scriptores, præsertim inter recentiores qui de rebus liturgicis disseruerunt, tenent nullam consuetudinem prævalere posse in hac materia, nisi approbetur a Sancta Sede. Probant 1° ex mente Sanctæ Sedis quæ vult servari studiose ritus antiquitate venerabiles et novitatibus viam intercludere, propter quod instituit specialem Congregationem sacrorum Rituum, cui officium demandavit providendi ut cæremoniæ, si exsoleverint, restituantur, et ritus præter fas recens adinventi resecentur. 2° Ex pluribus declarationibus

[1] Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. VI. — Azevedo, *Exercitationes liturgicæ*, de divino officio, cap. X et XIV.

[2] Suarez, nis 25, 26. — Schmalzgrueber, in tit. DE CONSUETUDINE, n° 21. — Pirhing, ibid., n° 64. — Engel, n° 18. — Wiestner, n° 41. — Leurennius, quæst. 401. Cf. *Études de théologie*, an. 1860, p. 613; an. 1861, p. 101.

ejusdem S. Congregationis. Dicitur in responsione data ad capitulum Ecclesiæ Pisanæ *Cæremoniale Episcoporum esse legem hujusmodi indolis ut nulla contraria consuetudine abrogari valeat* (12 dec. 1832); et in altera solutione dubii propositi pro diœcesi Tridentina, inveteratam quamcumque in contrarium consuetudinem derogare non posse legi a decretis S. Congregationis præscriptæ. (3 aug. 1839.) Eadem decisio data est contra consuetudines etiam immemorabiles quæ adversantur rubricis Missalis. (18 jun. 1669[1].)

His positis duo concludimus : 1° Admittitur consuetudo circa ritus et cæremonias in iis quæ nec præscripta sunt, nec vetita, decretis Sanctæ Sedis. Ipsamet S. Congregatio haud semel respondit in his omnibus, quemadmodum et in quæstionibus de jure præcedentiæ, de associatione canonicorum suo episcopo, etc., standum esse consuetudinibus locorum. 2° Consuetudines inductæ contra præscriptiones rubricarum Breviarii et Missalis, contra ordinationes Ritualis Romani, aut libri çæremonialis Episcoporum, demum contra decreta S. Congregationis non admittuntur. Nonnullæ ex decisionibus allegatis forte non sufficerent ad statuendum principium generale, certum et absolutum; nam aliæ referuntur ad aliquam in specie consuetudinem de qua S. Congregatio consulebatur, non vero ad quamlibet consuetudinem derogatoriam cuivis legi liturgicæ; aliæ sunt animadversiones in decursu expositionis inclusæ, uti rationes proferendæ sententiæ, potius quam declarationes authenticæ. Controvertitur insuper inter doctores utrum responsa directa ad privatos, vel ad Ecclesiam particularem, et quæ nunquam promulgata sunt per modum decreti generalis, faciant jus pro omnibus Ecclesiis, de quo alias dicemus (n° 107). Verum, cum ea sit praxis constans S. Congregationis ut quoties ad illam deferuntur consuetudines, eas

[1] Fagnan in cap. *Cum creatura*, n° 29 de Celebratione missarum, etc., et cap. *Vir autem*, n° 8 de Secundis nuptiis.

improbet ex eo solum quod contradicant rubricis, præscriptionibus librorum liturgicorum, seu decretis; ab omnibus hujusmodi consuetudinibus, de quibus etiam nihil in specie definitum reperitur, abstinendum est, his solum exceptis quæ sunt aliquo modo approbatæ.

20. — IV. *Quandonam consuetudines censeantur abrogatæ, et utrum semel abrogatæ possint deinceps reviviscere?*

Nulli dubium esse debet quin S. Pontifex valeat abrogare, vel etiam reprobare consuetudinem, quod ex supradictis intelligendum etiam de consuetudinibus quantumvis inveteratis Ecclesiæ particularis, non secus ac Ecclesiæ universalis; enimvero subverteretur ordo hierarchiæ divinitus constitutus si Episcopus jure valeret suos usus retinere contra præscriptum Sedis Apostolicæ. Hæc autem duo : *abrogatio* et *reprobatio* consuetudinis, confundi non debent. Consuetudo simpliciter abrogatur quando superior eam tollit, jubendo ut restituatur jus pristinum, vel ineatur nova agendi ratio; consuetudo autem reprobatur quando superior illam condemnat uti pravam, prohibendo ne iterum inducatur.

1° Si agatur de consuetudine universali, abrogatur per legem generalem; nam legislator certe novit hujusmodi consuetudinem quam proinde tollere intendit, condendo legem huic contrariam. Si vero agatur de consuetudine locali, non censetur abrogata per legem generalem contrariam nisi consuetudinis mentio fiat. Prob. cap. *Licet*, 1, DE CONSTITUTIONIBUS, in VI°, lib. I, in quo dicitur : « Licet S. Pontifex, « qui jura omnia in scrinio sui pectoris censetur habere, « constitutionem condendo, priorem, quamvis de ea mentionem non faciat, revocare censetur; tamen quia locorum « specialium et personarum singularum consuetudines et sta« tuta, cum in facto consistant, potest probabiliter ignorare, « ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a « se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non in« telligitur in aliquo derogare. » Ergo ad abrogandum con-

suetudinem localem necesse est ut legislator, aut specialem de ea mentionem habeat, aut saltem clausulam addiderit : *non obstante consuetudine*, quæ sufficit ; hæc enim clausula effectum operatur. Specialior mentio fieri debet si agatur de consuetudine immemorabili, ut testantur DD. Suarez, *de Legibus*, cap. xx, nº 18, Reiffenstuel, nº 189, Fagnan, in cap. *Ad hæc*, DE RELIGIOSIS DOMIBUS, lib. III Decret. Böckhn, nº 51. Hujusmodi consuetudines majorem favorem sibi conciliant, et idcirco sæpe Ecclesia eas conservari permittit, dum alias minus antiquas abrogat. Quod autem si velit et illas auferre, hac similive clausula utetur : non obstante quacumque in contrarium consuetudine, *etiam immemorabili*.

Consuetudo abrogata vim omnem suam amittit ; tamen reviviscere potest per novam præscriptionem, nisi fuerit a legislatore reprobata atque consequenter in futurum prohibita. Ita communiter canonistæ, qui clausulam *non obstante consuetudine* interpretantur de consuetudine vigente tempore quo lex conditur, non vero de consuetudine in posterum forsitan inducenda.

2° Si legislator reprobaverit consuetudinem, uti pravam, uti corruptelam morum aut disciplinæ, eo ipso prohibet ne iterum invalescat ; quapropter usus quamvis frequens non dabit locum novæ consuetudini. Deerit conditio essentialis, nempe consensus superioris. Excipias solummodo casum quo advenerit notabilis mutatio circumstantiarum. « Frequens et « verissima sententia est, ait Reiffenstuel, quoties lex repro- « bat consuetudinem ut iniquam sicque ipsi etiam in futurum « derogat, posse ex nova causa quæ tollit iniquitatem illam, « induci consuetudinem adversus legem illam. Probatur, « quia ratio legis est anima legis ; ergo superveniente nova « ratione sive causa quæ tollit iniquitatem prioris consue- « tudinis, censetur tolli etiam lex ipsa reprobans consuetu- « dinem. » *Loc. cit.*, nº 46. Nonnullas consuetudines explicabimus in decursu quæ olim reprobatæ sunt a conciliis uti

corruptelæ, et quæ a multo jam tempore, aut reputantur laudabiles, aut saltem veluti innocuæ admittuntur, ob temporum mutationem.

Nota. Giraldi dat indicem consuetudinum abrogatarum a SS. Pontificibus. (*Expositio juris pontificii*, pag. 20-24, sect. XXV, lib. I.) Has non referemus in præsenti. Dici generaliter potest consuetudines fuisse simul abrogatas et reprobatas quæ nervum disciplinæ disrumpunt, impediunt correctionem morum, lædunt libertatem et immunitatem Ecclesiæ, Sanctæ Sedis jura restringunt.

21. — V° *Utrum omnes consuetudines veteres Ecclesiæ Galliarum abrogatæ fuerint per bullam* QUI CHRISTI DOMINI, *quam edidit Pius VII pro nova circumscriptione Diœcesium, post initum concordatum anni* 1801?

Pius VII ita statuit in bulla : « Supprimimus, annulamus, « et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totum- « que statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum Archi- « episcopalium et Episcopalium, una cum respectivis earum « capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque « generis... ita ut omnes supradicti Archiepiscopatus et Epi- « scopatus... haberi debeant in posterum tanquam non am- « plius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnino « extincti, aut in novam formam erigendi. »

De sensu hujus constitutionis mota est controversia, recentioribus præsertim temporibus. Omnes fatentur Pium VII abrogasse omnia jura et privilegia, sive ab indultis, sive a consuetudinibus orta, quæ cum nova diœceseon et provinciarum circumscriptione conciliari non poterant, quod manifeste continetur in textu citato. Hoc autem admisso, controvertitur utrum S. Pontifex voluerit præterea quosvis usus, cujusvis generis consuetudines, ac etiam leges speciales Ecclesiæ Galliarum tollere, adeo ut veteri statu rerum penitus deleto, novæ Ecclesiæ enatæ sint sub regimine juris communis ac concordati. Alii affirmant, cæteri negant.

Primi arguunt 1° ex textu allato. Suppressa, inquiunt, Ecclesia Gallicana quæ amplius non subsistit, extinctis omnibus titulis, suppressis demum singulis sedibus episcopalibus *cum omnibus juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis*, novus ordo rerum instauratus est, perinde ac si gentibus ad fidem noviter conversis Ecclesiæ novæ creatæ atque formatæ fuissent; porro Ecclesia recens creata nullas habet consuetudines, nullas traditiones, sed ex omni parte subjicitur juri communi, ac legibus specialibus pro ea latis; ergo respectu Ecclesiarum Galliæ nulla ratio habenda est temporum præteritorum, et consuetudinum quæ præcedant annum 1801 a quo existere incœperunt. 2° Ex variis decisionibus quæ datæ dicuntur in eo sensu, ut nimirum vetera privilegia Ecclesiarum Galliæ extincta sint una cum suppressione sedium, nec restaurata a Pio VII in novarum sedium episcopalium creatione. A citatione harumce decisionum abstinemus, siquidem non habemus textum authenticum, et quo sensu prolatæ fuerint, quave occasione, ignoramus.

Secundi ita ratiocinari possunt : Dari non debet constitutioni *Qui Christi Domini* sensus qui non necessario includitur in textu ejusdem constitutionis, et non concordat cum regulis communiter admissis interpretationis legum, seu constitutionum, quem insuper nec explicavit S. Sedes, nec apprehendit clerus Gallicanus. Atqui 1° effectus quem tribuunt Bullæ pontificiæ non includitur in textu, si sensu obvio sumatur. Constitutio suppressit statum sedium episcopalium cum illarum juribus et prærogativis, *ita ut Episcopatus haberi debeant tanquam non amplius in eorum statu existentes*, quia aut extingui, aut in novam formam erigi debebant. Porro ut sensus horum verborum verificetur, sufficit ut ea omnia suppressa dicantur quæ ad veterem statum hierarchicum, et ad diœceseon nec non parochiarum circumscriptionem referebantur, nullatenus vero necesse est ut abrogatæ simul censeantur leges et consuetudines locales quæ conci-

liari possunt cum nova circumscriptione, et de quibus nulla habetur mentio in bulla Pii VII... 2° Hæc ratio bullam explicandi optime consentit cum regulis receptissimis interpretationis legum. « Si possint in concordiam redigi lex et con« suetudo, ait Suarez, et lex possit habere suum effectum « absque derogatione consuetudinis, etiam restringendo verba « quoad fieri potest, salva illorum proprietate, ita interpre« tanda est, quia juris correctio vitanda est, et multo magis « consuetudinis quoad fieri possit, tum quia est veluti in « naturam versa, ideoque difficile mutatur, tum quia leges « debent esse utentium moribus accommodatæ. (*De Legibus*, lib. VII, cap. xx, n° 5.) 3° Clerus Galliæ non putavit, nec suspicatus quidem est de medio auferri, atque ipso facto supprimi vi constitutionis *Christi Domini* leges et consuetudines locales, et Ecclesias reponi in statu quem fingunt patroni prioris opinionis. Agendi ratio omnium Episcoporum et presbyterorum, non secus ac fidelium, est indubium argumentum hujus interpretationis. 4° Ipsa etiam S. Sedes visa est non aliter suas leges interpretari; non solum enim abstinuit ab admonendo clerum de tanta immutatione disciplinæ, ut gradatim saltem clerus se accommodaret juri communi, sed cum videret ubique retineri veteres consuetudines et leges quæ dissentiunt a jure communi, id nullo modo a se improbari significavit, nec publice, nec privatim. Præsumere non licet Pium VII sua consilia verbis generalibus occultasse, ut suborta deinceps occasione, consectaria deducerentur præter omnium expectationem.

Inter hæc quid dicendum nobis videatur paucis aperiemus. 1° Sublatæ sunt consuetudines quæ non consentiebant cum nova diœcesium et parochiarum circumscriptione, in quo omnes conveniunt. Sublatæ etiam sunt quæ lædebant libertatem ecclesiasticam, aut jura S. Sedis; has enim consuetudines potuit dissimulare Ecclesia Romana, ob temporum circumstantias, majora mala præcavendi causa, nunquam

vero approbavit. Deserendæ sunt insuper aliæ consuetudines quas, data occasione, significavit se nullatenus approbare.

2° Cæteræ consuetudines ac leges locales, quæ vigebant ante rerum Gallicarum perturbationem, et instaurationem novarum sedium, legitime perstiterunt usque dum auctoritas competens illas abrogaverit; quamobrem unusquisque potuit, ac nunc etiam potest consuetudinibus probatis, et hactenus non abrogatis suæ diœcesis adhærere. Necesse non fuit ut reviviscerent nova præscriptione ab anno promulgati concordati, sed quales ante fuerant permanserunt. Consuetudines ac leges de quibus loquimur afficiunt loca, et non pendent a statu hierarchiæ per provincias constituto, quandoquidem, ex hypothesi, statui præsenti rerum, non secus ac præterito, æque accommodantur.

3° Quod igitur nonnulli dixerunt nullam rationem habendam esse, quando de Ecclesiis Galliarum agitur, præteritorum temporum, quia recens enatæ sunt sub regimine juris communis, seclusis quibuslibet traditionibus propriis, nullatenus defendi potest. Quis unquam hactenus cogitaverit nostras Ecclesias ita destitui traditionibus temporum præteritorum, ac si nunquam fuissent, veluti insulæ e medio alveo subito enatæ? Quis dixerit nullas fuisse nec ullas leges locales, nec consuetudines, edicta statim nova formatione sedium episcopalium? Ergone valida fuissent, v. g. matrimonia clandestina inita in nostris diœcesibus, paulo post concordatum antequam decretum Tridentinum *de Clandestinitate* de novo promulgatum fuerit, aut usu per certum tempus receptum in parochiis? Numquid peccabant, saltem materialiter, contra legem abstinentiæ, omnes incolæ diœcesis Parisiensis et aliarum plurium diœceseon qui carnibus vescebantur singulis sabbatis a die Nativitatis Domini ad festum Purificationis, juxta veterem usum suæ Ecclesiæ?... Idem de cæteris pluribus statutis localibus animadvertendum veniret : unde concludimus opinionem allegatam, si absolute sumatur,

nullum fundamentum habere in actibus S. Sedis, et alienam esse a sensu communi.

De nonnullis consuetudinibus quæ dubio gravi locum dederunt agemus per decursum nostrarum *Prælectionum*.

§. IV — De præcipuis collectionibus canonum.

22. — Collectiones canonum prodierunt ex quo concilia, tum apud orientales, tum apud occidentales res disciplinares multis legibus composuerunt, vel etiam plures editæ sunt decisiones in quæstionibus fidei; perutile enim visum fuit hos canones in unum colligere, ut securius conservarentur, atque facilius versarentur in manus clericorum.

Cæterum, necessarium non est animadvertere solam dispositionem canonum in eodem volumine nullam eis superaddere auctoritatem, nisi fiat collectio authentica voluntate legislatoris, qui jure suo potest redigere in codicem legum communium toti societati, decreta quæ primitus pro Ecclesiis privatis condita fuerant.

De præcipuis collectionibus dicemus, postquam de canonibus et constitutionibus apostolicis pauca prælibaverimus. Itaque :

23. — 1° *Quid sint canones Apostolorum et constitutiones apostolicæ?*

I. *Canones Apostolorum* nuncupantur regulæ canonicæ, numero octoginta quatuor, quæ in Corpore juris post decretum Gratiani leguntur. Canones illi non sunt opus genuinum Apostolorum, nec ab omni nævo immunes; merito tamen reputantur insigne monumentum disciplinæ Ecclesiæ per priora sæcula.

Multa quidem probant hanc collectionem canonum non esse authenticam. 1° S. Gelasius Papa dixit in synodo Romana

habita anno 494 : « Liber canonum Apostolorum est apocryphus, » quod de collectione canonum intelligimus; si enim de aliis canonibus, aut de una tantum parte horum canonum decernere voluisset Gelasius, id procul dubio declarare non neglexisset. (Cap. *Sancta Romana Ecclesia*, dist. XV, cap. III, § 64.) 2° Patres qui catalogum scriptorum primæ ætatis texuerunt, uti S. Hieronymus et Eusebius, hujus collectionis mentionem non faciunt. Hanc item non memorant ii quorum maxime interfuisset istius auctoritatem allegare, v. g., Romani Pontifices in causa Paschatis, et S. Cyprianus in causa rebaptizationis [1]. Inde jure concludimus canones apostolicos vel tunc temporis fuisse ignotos, vel habitos pro apocryphis. 3° Iidem canones alludunt ad disciplinam et ad certos errores quæ sunt temporis ætate apostolica recentioris; v. g. canon 51 condemnat praxim Montanistarum; canon 65 plectit pœna depositionis illos qui sabbato jejunant, quod contrarium est disciplinæ Romanæ.

His addemus *Canones Apostolorum* quando prodierunt, quod probabiliter evenit circa initium sæculi quarti juxta peritiores criticos, non omnes, quales hodie leguntur, ubique fuisse receptos. Ecclesia Græca excepit octoginta quatuor canones, prout exstant in Corpore juris; Ecclesia Latina habuit solummodo quinquaginta priores, nec alios retulerunt antiquiores collectores canonum. Synodus Lateranensis habita sub Stephano IV, ann. 769, prohibuit ne alii præter hos quinquaginta reciperentur.

II. *Constitutiones apostolicæ* octo libris continentur, qui inserti sunt in priori volumine collectionis Conciliorum. Opus illud non venit ab Apostolis, nec ab Apostolorum discipulis, saltem quale nunc exstat; multa siquidem in eo reperiuntur

[1] Canon 7 comminatur pœnam depositionis iis qui sanctum diem Paschatis ante vernum æquinoctium celebraverint cum Judæis, quod consentaneum erat disciplinæ Ecclesiæ Romanæ; Canon autem 45 favet errori rebaptizantium in casu baptismi ab hæreticis collati.

contraria traditionibus Ecclesiæ Romanæ; v. g., proscribit absolute quartum conjugium, condemnat baptisma ab hæreticis collatum quod iterari jubet, permittit presbyteris secum detinere uxores quas ante suam ordinationem duxerant... Alia sunt quæ offendunt ordinem chronologicum, supponunt enim ordinationes disciplinæ ævi recentioris. Aliunde perlegenti hos libros manifeste apparet eos non fuisse ab Apostolis scriptos; nec ingenium, nec stylum primorum discipulorum Domini redolent. Quonam vero tempore prodierint, non certis signis indicant critici; probabile satis est editos fuisse per decursum sæculi quarti.

Cæterum, *Constitutiones*, sicut et *Canones* Apostolorum, multa complectuntur maxime utilia canonistis ad illustrandam disciplinam primævorum temporum. Valde probabile arbitramur utramque collectionem conflatam fuisse ex traditionibus apostolicis, synodicis statutis et Pontificum decretis, quibus postea imperiti homines nova et falsa miscuerunt.

24. — II° *Quæ sint antiquiores collectiones Ecclesiæ Græcæ et Latinæ*[1]?

I. Ecclesia Græca habuit suam collectionem canonum, tempore concilii Chalcedonensis, siquidem videmus in actione secunda sanctam synodum postulare ut legantur canones, commentariisque inserantur, quod Actius archidiaconus præstare satagit, legendo e codice plures canones qui singuli per

[1] Fratres Ballerini dissertationem eruditam et utilem canonistis dederunt de *Antiquis collectionibus canonum* quæ prodierunt ante Gratianum. Hæc dissertatio inserta fuit in operibus S. Leonis, ab iisdem Ballerini editis, tom. III. — Collectiones veteres Ecclesiæ Græcæ et Latinæ reperiuntur in *Bibliotheca juris canonici veteris*, 2 vol. in-fol., opera J. Voelli, doctoris Sorbonici. A. Gallandus, presbyter cong. Oratorii, elucubrationes plurium eruditorum, sc. P. Coustant, Fr. Ballerini, de Marca, Quesnelii, etc., de juris ecclesiastici origine et progressu, collegit, in libro *de vetustis canonum Collectionibus, dissertationum sylloge*, 1 vol. in-fol. (Venetiis, an. 1778.) His plura addidit Aug. Theiner : *Disquisitiones criticæ in præcipuas canonum et decretalium collectiones*. (Romæ, in collegio Urbano, an. 1836.)

numerum designantur. Hæc collectio complectebatur canones desumptos e conciliis Nicæno, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodiceno et Constantinopolitano, per ordinem digestos.

Huic primæ collectioni, canones Apostolorum, canones insuper Ephesinos, Sardicenses, Chalcedonenses, et regulas ex libris S. Basilii desumptas, adjecit Joannes Scholasticus, Episcopus Constantinopolitanus (an. 577), qui canones distribuit ordine methodico. Aliam ejusdem operis editionem dedit in qua leges civiles quæ ad easdem materias referuntur, addebantur canonibus ; unde ista collectio nomen *nomo-canonum* accepit. Nono sæculo Photius novam collectionem concinnavit, in qua, præter canones legitimos a sanctis synodis editos, reposuit regulas conciliabulorum, quod opus præsulis schismatici merito suspectum reddidit catholicis.

II. Ecclesia Latina ab ævo apostolico usque ad synodum Nicænam secuta est traditiones quas ab Apostolis acceperat, consuetudines quæ decursu temporum inductæ fuerant, et paucas quasdam regulas a SS. Pontificibus præfixas, quibus postea canones Nicænos et Sardicenses adjecit. S. Innocentius I dicebat, ineunte sæculo quinto, in epistolis ad Episcopum Constant. et ad Episcopum Alexand., Ecclesiam Romanam non aliis uti canonibus[1]. Postea tamen sensim vulgati sunt canones conciliorum orientalium quæ modo memorabamus, et canones conciliorum Africanorum, qui usu in disciplinam totius fere Ecclesiæ occidentalis prævaluerunt.

Hos omnes canones complexa est collectio quæ *Prisca* vocatur. Aliam accuratiorem et magis completam aggressus est Dionysius Exiguus initio sæculi sexti, atque in duas partes divisit. Una pars canones conciliorum tum œcumenicorum, tum provincialium referebat ; altera decretales Pontificum, incipiendo a S. Syricio qui Sedem Romanam anno 381 tene-

[1] Apud Coustant. *Epistolæ Rom Pontificum*, col. 790 et 799.

bat, et, ordine chronologico, epistolas decretaque successorum Syricii, nempe Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis I et Anastasii II, qui obiit anno 500. Utrique parti præibant 50 canones Apostolorum. En collectio illa percelebris, quæ, etsi privata auctoritate confecta, accepta et probata fuit a Sancta Sede. Dicta fuit communiter *Vetus canonum codex.*

25. — III° *Quid sit collectio Isidori Mercatoris?*

Sæculis post Dionysium subsecutis nonnullæ collectiones canonum prodierunt, inter quas duas præsertim memorabimus : unam S. Isidori Hispalensis, alteram Isidori cui cognomentum *Peccator*, seu quandoque *Mercator*. Notissimus est sanctus Isidorus Hispalensis qui collectioni Dionysianæ plura adjecit e sanctis Patribus, et conciliis quæ in Hispania et aliis in regionibus habita fuerant. Quis vero fuerit alter Isidorus ignoratur. Fratres Ballerini conjiciunt ex argumentis verisimilibus hunc fuisse clericum Gallo-Germanum Ecclesiæ Moguntinæ qui decretales ediderit versus an. 839-845[1]. Hæc tamen collectio, quamvis incerti auctoris, alias celebritate vicit, et tantum auctoritatis consecuta est, ut per septem fere sæcula theologi omnes, canonistæ, et concilia, decretales aliaque documenta operis Isidori, citaverint, iisque usi sint in judiciis. Primus omnium authenticitatem hujus collectionis impugnavit cardinalis Cusanus (anno 1450) in *Concordia catholica*, lib. III, cap. II.

Apud omnes eruditos nunc convenit Isidorum suam collectionem corrupisse multis epistolis supposititiis quas ipse fabricaverat, aliis apocryphis, et textibus interpolatis[2].

At fateri etiam debent viri sapientes æque ac docti 1° collectionem Isidorianam non fuisse confectam jussu SS. Pontificum; 2° nulla jura tribuere Sanctæ Apostolicæ Sedi, quæ

[1] Tom. III operum S. Leonis, part. III, cap. VI, § 4.

[2] V. *Dissertationem* Ballerinorum mox citatam § 5, ubi collectionis Isidorianæ spuria, sincera, et interpolata accurate discernuntur.

3.

non innitantur divina constitutione Ecclesiæ; 3° tandem non tantam mutationem perturbationemque induxisse in disciplinam quantam dicunt plures scriptores.

1° Sine ullo fundamento diceretur Romanos Pontifices conspirasse ad jus novum inducendum ope fallacis collectionis canonum. Hoc est merum et calumniosum figmentum adversariorum Sanctæ Sedis; quinimo exstant litteræ apostolicæ Leonis Papæ IV ad Episcopos Britanniæ directæ, anno 850, quæ nullam mentionem faciunt decretalium Isidori, quamvis Pontifex ex professo sibi proposuerit indicare Episcopis canones quos sequebatur Ecclesia Romana, et scripserit eo tempore quo divulgari incipiebat collectio Isidoriana. Cap. *De libellis*, 1, dist. xx.

2° Falsæ decretales nihil adscribunt Sanctæ Sedi quod non innitatur divina ordinatione. Notare operæ pretium est theologos catholicos nunquam usos fuisse his decretalibus, in suis controversiis dogmaticis, ad vindicandum jura, vel unam quidem ex prærogativis Ecclesiæ Romanæ. Hoc ipsimet Protestantes fateri debent. Quod vero spectat ad res disciplinares, v. g., ad judicia criminalia Episcoporum, dicetur suo loco, hæc jure divino nullatenus excedere limites auctoritatis pontificiæ, quin etiam ad illam proprie pertinere[1].

3° Addidimus collectionem Isidorianam non adeo permutavisse disciplinam canonicam, prout plures crediderunt. Nequaquam verisimile est novam atque prius inauditam disciplinam, in causis pluribus, et magni certe momenti, ex una incerti auctoris collectione statim prodiisse, sine ulla reclamatione ex parte Episcoporum quorum intererat... Attamen nulla reperiuntur in monumentis vestigia reclamationis... Dicendum potius ideo librum Isidori receptum fuisse quia nihil fere novum, sed disciplinam tunc temporis observatam, tradebat. Re quidem vera, hæc disciplina in multis dissentit

[1] Cf. Marchetti, *Critique de Fleury*, art. 1.

a vetustioribus regulis quas priorum sæculorum concilia provincialia statuerant; sed nihil inde concludendum, nisi decursu sæculorum hanc ipsam disciplinam paulatim immutatam fuisse; et hoc solum delictum fuit Isidori fabricavisse Epistolas, canones veteres novis suæ manus additamentis corrupisse, textus quorumdam Patrum, vel decreta privatorum conciliorum fraudulenter tribuisse SS. Pontificibus, ut exponeret firmaretque disciplinam quam sua ætate observatam communiter conspiciebat.

26. — IV° *Quid sit et cujus auctoritatis decretum Gratiani?*

Gratianus monachus ordinis Sancti Benedicti, Boloniæ in Italia vitam duxit. Post multos labores in studio juris impensos, aggressus est novam collectionem quæ prodiit anno 1151, sub hoc titulo, *Concordia discordantium canonum.* Opus in tres partes divisit: prima 101 *Distinctionibus* constat, et singulæ distinctiones plura capita complectuntur. In ea parte agitur de origine, auctoritate ac principiis juris; deinde exponuntur status et officia clericorum. Secunda pars habet triginta sex *Causas*, quarum unaquæque in quæstiones, et quæstiones in capita seu canones distribuuntur. Hanc partem collector totam composuit ad expositionem regularum quæ in judiciis servari debent, et ideo *causas* appellavit. Tandem tertia pars inscribitur *de Consecratione* quia potissimum agit de ritibus sacris, de sacrificio, etc.; illa pars in distinctiones et canones dividitur.

Divisio decreti Gratiani in tres partes præcipuas, de *personis*, de *judiciis*, et de *rebus sacris*, est convenienter ordinata, et felicem successum habuit in scholis, quæ extunc majori studio, aptiorique methodo, hoc magni certe momenti caput disciplinæ ecclesiasticæ tractaverunt. Canones olim communius recensebantur juxta ordinem chronologicum, quod scientificam rerum inquisitionem excludebat; a tempore autem Gratiani, doctores cœperunt quæstiones innu-

meras de jure canonico disponere ordinatim, de principiis generalibus disserere, cunctas quæstiones ad capita præcipua reducere, sicque studium juris ad statum scientiæ, non secus ac theologia, erectum fuit.

Attamen, inde concludas nolim Gratianum rem ad perfectionem adduxisse; hoc privato doctori impossibile prorsus fuisset. Decretum in multis deficit : sæpe ordinem perturbat miscendo quæstiones quæ ad materiam propositam non attinent; insuper epistolas decretales supposititias refert, et textus apocryphos Patrum; conciliis et ipsis S. Pontificibus tribuit nonnulla quæ sunt privatorum scriptorum.

Plures SS. Pontifices, nempe Pius IV, Pius V, et præsertim Gregorius XIII, viris selectis curam demandaverunt corrigendi decretum Gratiani, quorum ope emendata fuit nova editio quam approbavit Gregorius XIII in bulla *Cum pro munere*, anno 1530. Hinc enatum apud canonistas dubium, utrum collectio Gratiani auctoritatem habeat juris communis. Omnes admittunt talem auctoritatem non competere plerisque canonibus decreti, si ratione sui considerentur; sunt quippe desumpti ex synodis particularibus, textibus quorumdam Patrum, atque legibus principum sæcularium, vel etiam ex ipso collectore Gratiano qui ipse suam mentem in nonnullis capitibus exponit. Verum Sancta Sedes, hæc cuncta approbando, potuit in disciplinam communem ecclesiarum transferre, et nonnullis visum fuit hoc revera fecisse Gregorium XIII dum sua constitutione providit « ut hoc jus canonicum sat expur-« gatum ad omnes Christi fideles ubique sartum tectum per-« veniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere, « vel immutare aut intervertere, sed prout in urbe Roma im-« pressum fuit, semper et perpetuo integrum et incorruptum « conservetur. »

At vero, si attente inspiciatur textus constitutionis Gregorianæ, apparebit id solummodo voluisse Pontificem, librum Gratiani asservari talem qualis editus fuerat, non tamen illum

habendum esse in Ecclesia ut codicem authenticum legum, et hæc nunc est communis canonistarum opinio, quam amplectitur Benedictus XIV, in libro *de Synodo*, ubi dicit : « Gratiani decretum, quantumvis pluries, Romanorum Pon- « tificum cura, emendatum fuisse non ignoretur, vim et pon- « dus legis non habet : quinimo inter omnes receptum est, « quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, « quantum ex se habuisset si nunquam in Gratiani collectione « insertum foret. » *Lib.* VII, *cap.* xv, *n.* 6 [1].

27. — V° *Quæ sint aliæ collectiones in Corpore juris canonici inclusæ?*

Post decretum Gratiani veniunt in Corpore juris DECRETALES GREGORII IX, SEXTUS DECRETALIUM BONIFACII VIII, CLEMENTINÆ et EXTRAVAGANTES.

S. Raymundus de Pennafort, Præpositus ordinis S. Dominici, collegit jussu Gregorii IX decretales epistolas quas omiserat Gratianus, decreta conciliorum Lateranensium, scilicet III^{i} habiti anno 1179 sub Alexandro III, et IV^{i} anno 1215 sub Innocentio III, et multas decretales utriusque Pontificis, Alexandri et Innocentii. Opus totum in quinque libros dividitur, et singuli libri titulos habent. I^{us} decretalium liber agit de personis; sc. de clericorum electione, officiis, etc....; II^{us} de judiciis ecclesiasticis in materia civili ; III^{us} de rebus sacris, quales sunt beneficia Ecclesiæ, etc....; IV^{us} de sponsalibus et conjugiis; V^{us} tandem de judiciis criminalibus et pœnis; quæ cuncta a canonistis hoc versiculo exprimi solent : *Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.* Illa collectio decretalium est authentica, siquidem illam cum suis omnibus partibus Gregorius IX se approbavisse ut *illa universi utantur in judi-*

[1] C. Berardi librum magna eruditione edidit in decretum Gratiani; *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*, etc., in quatuor vol. in-4° distributum. Canones apocryphos notavit, corruptos ad codicum emendatiorum fidem exegit, difficiliores demum illustrare studuit, interpretatione ex integro contextu deducta. (*Ed. Matriti*, 1783.)

ciis et in scholis, declarat in suo brevi ad doctores et scholares Bononiæ commorantes. Approbatio pontificia complectitur integros canones cum suis titulis, non vero summaria, nec partes decisas, quibus cæteroquin DD. utilissime utuntur ad elucidationem canonum [1].

Decretalibus Gregorii, Bonifacius adjecit (anno 1298) *Sextum* librum decretalium, quem in totidem libros et partes distribuit eumdem ordinem observando quem secutus fuerat S. Raymundus in collectione Gregoriana. Liber *sextus*, sic vocatus quia fuit veluti appendix et complementum quinque librorum decretalium, complectitur canones conciliorum Lugdunensium I[i] sub Innocentio IV, anno 1245, et II[i] sub Gregorio X, anno 1274, simulque plures decretales Bonifacii VIII, qui hunc librum promulgavit, per breve apostolicum scriptum ad doctores scholæ Bononianæ, uti fecerat Gregorius IX.

Clementinæ, sic a S. Pontifice Clemente V vocatæ, continent una cum decretis concilii Viennensis, nonnullas constitutiones editas a Clemente. Hunc librum in lucem publicam protulit Joannes XXII, successor Clementis in sede sancti Petri (anno 1317).

[1] *Summaria* quæ singulis canonibus præficiuntur sunt opus doctorum, non legislatoris. *Partes decisæ* vocantur, partes quas S. Raymundus causa brevitatis exciderat e capitibus, et quas postea editores anno 1230 restituerunt, eas non quidem in capitibus reponendo, sed infra; et hoc quidem utile admodum fuit, nam sæpius maxime prosunt ad intelligentiam canonis, dum occasionem et circumstantias decreti referunt.

Cum tituli sint opus legislatoris, possunt citari instar canonum quando soli dant sensum integrum, v. g. titulus 50 libri III, *Ne clerici vel monachi, sæcularibus negotiis se immisceant;* vel ad determinandum in dubio genuinum sensum canonis. Sic titulus 28 lib. V, *De clerico non ordinato ministrante*, canonistas communius induxit ut dicerent irregularitatem de qua sub hoc titulo agitur, incurri solummodo a clericis qui officium ordinis quem non susceperant exercent, non vero a laicis. Hoc genus argumenti vocant ratiocinium *a rubro ad nigrum*, quia tituli primitus scribebantur rubro colore; et locum dedit effato communi apud auctores liturgicos : *Lege rubrum si vis intelligere nigrum.*

Duæ quæ supersunt collectiones, nempe una *Extravagantium Joannis*, altera *Extravagantium communium*, complectuntur constitutiones quas Joannes XXII, et cæteri Pontifices ab Urbano IV ad Sixtum IV, ediderunt. Hæ collectiones incerti sunt auctoris, nec unquam eas Sedes Apostolica authentice promulgavit; nihilominus tamen non minori auctoritate pollent quam cæteræ partes Corporis juris, quia constitutiones pontificiæ quæ in utraque hac collectione consignantur, fuere universæ Ecclesiæ datæ ab ipsis Pontificibus quorum nomen singulis præficitur.

28. — Itaque *Corpus juris canonici* quinque collectionibus coalescit, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis, et Extravagantibus communibus. Constitutiones, decreta atque canones harum collectionum constituunt jus commune, et debent ubique prævalere in judiciis et causis dirimendis, nisi certo constet de legitimo jure particulari, vel de consuetudine quæ in quibusdam his canonibus derogaverit. Non audiendi sunt qui dixere jus pontificium subsidiarium esse tantum, nec apud nos vigere nisi ubi jus patrium vel consuetudo defecerit. Ipse *Gibert* ea de re observat : « Il y a peu de canons reçus solennellement « parmi nous, mais il n'en est pas de même des canons reçus « tacitement et non solennellement, dont le nombre est très- « grand. Cette réception se fait ordinairement par le seul « usage. La plupart des canons contenus dans le Corps du « droit ont été reçus de cette manière. » (*Institutions ecclésiastiques et bénéficiales,* t. I, p. 71.) Arbitramur proinde jus commune vigere, veluti regulam generalem, nec ab eo recedendum nisi in casu particulari quando huic derogatum fuisse constat, et dicemus cum auctore a card. Soglia laudato : « Manet jus ecclesiasticum decretalium in sua possessione, et « illis qui jus particulare contrarium prætendunt incumbit « probatio. » (*Institutiones juris publici eccl.*, § 58.)

29. — *Nota.* Modus ille communiter servatur in allegandis

textibus juris : 1° Si textus desumatur e decreto Gratiani, indicantur prima verba capitis cum illius numero, et numero simul sive *distinctionis*, sive *causæ*, prout ex prima vel secunda parte citatur textus; v. g. C. *Miramur*, 5, *distinct.* 61. C. *Plerumque*, 27, *quæst.* 7, *caus.* 2. Si vero textus desumatur ex tertia parte decreti sic allegatur : C. *Missarum solemnia*, 12, distinct. 1, *de Consecratione.* — 2° Textus decretalium allegantur per prima verba capitis, indicato titulo : v. g. *Tua nos*, 26, DE SPONSALIBUS.—3° Textus sexti decretalium et aliarum collectionum simili modo allegantur per prima verba, cum numero et indicatione tituli, et signo peculiari quo designetur collectio : v. g. C. *Procurator*, 38, DE ELECTIONE, in 6. C. *Causa beneficiali*, 1, DE CAUSA POSSESSIONIS, Clement. — C. *Ecclesiæ Romanæ*, 1, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, Extrav. Joannis. — C. *Nuper*, 6, DE PRÆBENDIS, Extrav. comm.

30. — VI° *Quæ sint collectiones juris novissimi?*

Constitutiones Pontificum quæ editæ sunt post clausum Corpus juris canonici, nempe a Sixto IV, decreta concilii Tridentini, regulæ Cancellariæ, et variæ decisiones Congregationum Romanarum, præsertim Congregationum Concilii et Rituum, constituunt jus novissimum Ecclesiæ.

Constitutiones pontificias a S. Leone Magno ad recentiorem ætatem continet Bullarium magnum[1]. Cum collectores non obtinuerint mandatum has constitutiones inserendi, neque collectio fuerit auctoritate apostolica probata, bullæ in hac collectione comprehensæ vim legis absolute non habent nisi probentur earum archetypis convenire; attamen authenticæ præsumuntur, et tum apud auctores, tum in foro externo allegantur tanquam leges, quod fit communiter proposito voca-

[1] Epistolas, seu constitutiones SS. Pontificum ab an. 67 ad 440, edidit P. Coustant, monachus ord. S. Benedicti, e congregatione S. Mauri sub eo titulo : *Epistolæ SS. Pontificum*, 1 vol. in-fol.

bulo initiali cujusque bullæ et adjecto nomine Pontificis, v. g. C. *Auctorem fidei* Pii VI.

Decreta concilii Tridentini reperiuntur in ea parte quæ de *Reformatione* inscribitur, post canones dogmaticos. Maxime clericis optandum ut studiosius perlegant illam partem concilii quæ gravissimi est momenti circa disciplinam.

Regulæ Cancellariæ Romanæ sunt numero LXXII. Referuntur potissimum ad res beneficiales; per illas nimirum S. Pontifex declarat quæ beneficia reserventur dispositioni suæ (Reg. I — XI); revalidat et in statum pristinum reducit litteras gratiæ vel justitiæ a suo prædecessore datas infra annum ante diem ejus obitus, et non præsentatas temporibus debitis earum executoribus (Reg. XII); revocat nonnullas gratias, seu facultates concessas, quæ suum effectum non adhuc sortitæ sunt, et quas opportunum judicat novo examini subjici (Reg. XIII — XV); statuit quæ ratio servanda sit in concessione beneficiorum, ne justitia postponatur, ut præcaveantur fraudes, ex parte sollicitantium, causa seu occasio litium removeatur, et litibus exortis finis celerius detur (Reg. XVII — XLVIII — LV — LXVIII); iisdem regulis Cancellariæ S. Pontifex præfinit quid exprimi debeat in litteris concessionis dispensationum, indulgentiarum et aliarum gratiarum, ut certo constet de voluntate concedentis (Reg. XVI, XLIX — LIV); præcavet abusum quo gratia concessa præter limites concessionis protenderetur (Reg. LII); providet juri alteri quæsito, ne scilicet ei derogatum censeatur, nisi specialiter sit expressum; (Reg. XVIII) item dignitati Cardinalium, ne in constitutionibus edendis comprehendantur seu comprehensi censeantur, nisi in eisdem constitutionibus specialis mentio facta sit ipsorum Cardinalium (Reg. LXX); demum statuit quod præmissis et quibusvis aliis regulis Cancellariæ suo tempore edendis, nunquam censeatur derogatum in quibusvis constitutionibus, etiam per clausulas quantumcumque efficacissimas, nisi facta fuerit de illis expressa

mentio, et non aliter, nec alio modo (Reg. LXXI). Ultima regula determinat potestatem attributam Vice-Cancellario, et Cancellariam Regenti.

Regulæ Cancellariæ fuerunt scripto mandatæ jussu Joannis XXII; et paucis mutatis et additis, eædem ad præsentem usque ætatem permanserunt. Vigent tantummodo sub Pontifice regnante et illo decedente revocantur; verum, cum moris sit ut singuli Pontifices statim post suam promotionem easdem renovent, haberi debent pro parte juris communis. Nonnullas, quæ sunt usus frequentioris explicabimus in decursu (n[is] 35 et 56). Cæteræ plures non habent applicationem ad statum præsentem Galliarum.

Decisiones Congregationis Concilii refert *Thesaurus resolutionum* S. C. Concilii, quæ collectio incœpit ab anno 1719, obeunte munere secretarii P. Lambertini (Benedictus XIV). Resolutiones Congregationis regulariter præcedit expositio vel etiam dissertatio a theologo Romano seu etiam a secretario S. C. cui demandatur officium dubia ponendi.

Suam collectionem habet etiam S. Congregatio Rituum, quæ in dies novis responsis vel decretis completur.

31. — En igitur monumenta juris ecclesiastici ab ævo Apostolorum ad nostram ætatem. Disciplina debuit pro ratione temporum in nonnullis mutari; decreta sæculorum præcedentium quandoque corriguntur novis constitutionibus; sed unus est semper finis, quem et Pontifices et concilia intendunt, gloria nempe Dei, in morum puritate, in cultus integritate, in ordinis a Christo instituti conservatione. Sapientia præsertim, et provida sollicitudo Sedis Apostolicæ ubique constanter apparent in tanta serie decretorum. Hujusmodi continua traditio eorumdem principiorum, eximiam præbet demonstrationem assistentiæ Spiritus sancti : ubinam enim reperias tantam successionem Præsulum, qui per octodecim sæcula sibimet sunt eodem sensu eademque sententia concordes; in unum omnes conspirantes, qui nec cupiditati-

bus humanis, nec periculis, nec ulla ratione, ab eo recedant? Dum hi Pontifices, aut jura nutantia firmant, vel nova inducunt, prærogativas suæ sedis extollunt, quod quibusdam criticis visum fuit ostentatio superbiæ, potestatis affectatio : sed absit. « Quibus Deus singularem honoris dignitatisque « prærogativam contulit, ait *Bossuet*, iisdem inspirat verum « de sua potestate sensum, ut ea in Domino, cum res po- « poscerit, fidenter utantur. Quod quidem semel dicere pla- « cuit, ut temerariam ac pessimam sententiam refutarem : « profiteor me de Sedis Apostolicæ majestate, Rom. Ponti- « ficum doctrinæ et traditioni crediturum; quanquam eorum- « dem sedem, non ipsi magis, quam reliqui et tota Ecclesia, « atque orientales prædicant. » (*Defensio declarat. cleri Gall.*, lib. X, cap. VI.)

52. — VII° *Quæ sint monumenta juris particularis singularum Ecclesiarum*?

Monumenta quibus consignatur jus particulare Ecclesiarum sunt constitutiones speciales Sanctæ Sedis, concordata quæ eadem Sedes iniit cum guberniis civilibus, decreta conciliorum provincialium, et statuta diœcesana. Hæc indicasse suffecerit; non enim nostra refert singularum Ecclesiarum disciplinam exponere. In decursu agemus de auctoritate conciliorum provincialium et Episcoporum in condendis decretis seu statutis; de summa potestate Romani Pontificis ad providendum per suas apostolicas constitutiones utilitatibus Ecclesiarum, nullus est ambigendi locus apud catholicos; de concordatis, quibus inducuntur modificationes juris communis et statuitur disciplina particularis quarumdam Ecclesiarum, suo loco dicemus.

§ V. — De regulis juris.

53. — Gregorius IX et Bonifacius VIII inseruerunt, alter ad calcem libri V Decretalium, alter pariter in fine *Sexti*

Decretalium, regulas juris, de quibus dicere operæ pretium ducimus in his Prolegomenis, quia compendiosam notitiam juris præbent et plurimum inserviunt ad resolvendas plures quæstiones canonicas. Præmittemus nonnullas animadversiones generales de hisce regulis; et deinde, uti præambula ad studium juris, quæ præcipuæ sint quoad interpretationem legum, ad dispensationem et ad rescripta referuntur, paucis exponemus.

34. — I° *Quid sint regulæ juris* [1]?

Regulæ juris dicuntur sententiæ quædam generales quæ plures leges seu canones de diversis rebus, eamdem rationem habentibus, brevi compendio complectuntur et proponunt. V. g. sunt multi canones, per libros Decretalium dispersi, qui personas indignas excludunt ab officiis clericalibus, a prælaturis, et a beneficiis; hos omnes canones continet regula summaria 87ª in Sexto, his verbis : *Infamibus non pateant portæ dignitatum.*

Regulæ juris, si authenticæ sint, id est in Decretalibus insertæ, vim et auctoritatem legis habent relative ad omnes casus non exceptos; si autem insertæ non fuerint, sed tantum habeantur apud canonistas veluti axiomata juris, magna certe potiuntur auctoritate, sed non æquali gradu. Hinc enascitur discrimen regularum juris, et regularum doctrinalium, quæ alio nomine vocantur *Brocardicæ* (a corrupto nomine Burchardi celebris olim canonistæ). Regulæ authenticæ, etsi vim legis in foro obtinent, non semper tamen prævalent; patiuntur quippe restrictiones, seu exceptiones, quas doctores *fallentias* appellant, unde axioma : *Non est regula sine exceptione.* Restrictiones indicantur ab ipso jure, vel consuetudine generali innotescunt : quod si utrumque desit, prævalebit regula a qua recedendum non est, donec contrarium probetur.

[1] Regulæ juris ex integro referuntur ad calcem tertii voluminis

Si argumentum deducatur a regulis authenticis, vel a Brocardicis, sedula consideratione opus est, ne protrahantur ultra limites, neve casus qui in disceptationem venit, sit exceptus. Fallentia autem adest, in hac alterutra hypothesi : 1° quando omnibus pensatis alia est ratio horumce casuum, propter quam regulæ generali non cohærent ; 2° quando specialem restrictionem, seu exceptionem, legislator apposuit.

Hæc dicta sufficiant de regulis in genere, quas perutile est nosse ut sapienter observavit Reiffenstuel : « Non obstante « quod regulæ patiantur fallentias, semper tamen censetur « maxima utilitas earum ; atque perutile regulas juris legere, « et relegere, easque quantumvis fieri potest memoriæ « mandare, atque pro decisione causarum et casuum eas « allegare... tum quia cunctæ regulæ, pro adjutorio memo- « riæ compendiosam notitiam juris præbent ; tum quia « juxta eas deciduntur casus emergentes qui a jure specia- « tim et expresse non sunt decisi, cum tales casus decidendi « sint per similia. » (De Regulis juris, *Proœmium*, n° 13.)

55. — II° *Quæ sint regulæ juris circa modum servandum in interpretatione legum canonicarum?*

Hæ dantur regulæ, quas, eodem ordine quo proponuntur, citamus : « 15ª Odia restringi et favores convenit ampliari. « — 30ª In obscuris minimum est sequendum. — 34ª Generi « per speciem derogatur. — 39ª Cum quid prohibetur, « prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. — 40ª Pluralis « locutio duorum numero est contenta. — 49ª In pœnis « benignior interpretatio est facienda. — 88ª Certum est « quod is committit in legem, qui legis verba complectens, « contra legis nititur voluntatem. »

Ut harumce regularum sensum exponamus, nonnulla sunt præmittenda de interpretatione legum. Quamobrem :

56. — I. Interpretatio juris est illius explicatio per verba clariora ; quod fit vel per simplicem declarationem sensus

verborum, et tunc vocatur interpretatio *litteralis ;* vel supplendo quod deest in legis textu, et tunc vocatur interpretatio proprie dicta.

Interpretatio *litteralis* illa est proinde quæ indicat sensum alicujus termini, juxta regulas grammatices, nihil addendo novi, sed sensum qui verbis inest per alia clarius exponendo. Sic, Nicolaus III per bullam *Exiit qui seminat* præcepit fratribus Minoribus, ut hanc ipsam constitutionem pontificiam, de suis regulis, cum ipsam legi contigerit, fideliter exponant ad litteram : « Super ipsa constitutione glossæ non fiant, « nisi forsan per quas verbum, vel verbi sensus, seu con« structio, vel ipsa constructio quasi grammaticaliter ad « litteram, vel intelligibilius exponatur. Nec intellectus « ipsius per legentem depravetur in aliquo, seu distorquea« tur ad aliud, quam littera ipsa sonat. » Cap. *Exiit*, 3, DE VERBORUM SIGNIFICATIONE, in VI°, lib. V.

Interpretatio *suppletiva* supplet quod defuit in textu legis, sensumque determinat, attendendo non solum ad litteram nudam, sed ad scopum et ad alias circumstantias, quæ mentem legislatoris indicant. Est aliquando extensiva, aliquando restrictiva : extensiva quidem, si declaret aliquem casum comprehendi in lege, quamvis non includatur in verbis legis; restrictiva vero quando declarat casum non comprehendi, tametsi lex illum contineret, si sumeretur juxta generalitatem verborum.

37. — II. Interpretatio, seu litteralis, seu suppletiva supponatur, quadruplex distinguitur, nimirum : *doctrinalis, usualis*, *judicialis* et *legislativa*. Interpretatio doctrinalis ea dicitur quæ fit a privatis doctoribus. Plus vel minus ponderis huic interpretationi tribuitur, prout doctores de sensu legis inter se magis conveniunt. Multum attendi aliunde debet ad gravitatem interpretum ; an sit prudentes et versati in causis de quibus agitur; an suam decisionem obiter, vel discussa quæstione, dederint.

Interpretatio *usualis* vim majorem habet quam doctrinalis, si est frequens, generalis, atque diuturnus usus ; nam consuetudo ab ipso jure dicitur *optima legum interpres.* (Cap. *Cum dilectus*, 8, de Consuetudine.)

Interpretatio *judicialis*, seu quæ a judice profertur super re ad suum tribunal delata, auctoritatem habet in eos in quorum causa data fuit ; tenentur quippe illam sequi, nisi ad superiorem judicem legitime appellaverint ; nam judices sunt interpretes juris pro casu suæ jurisdictioni subdito. Verum, sententia casum particularem tantummodo practice resolvit ; adeo ut, alio casu etiam simili adveniente, cæteri judices non teneantur in eodem sensu pronuntiare, si res illis videatur dubia ; unde instar axiomatis est, rem inter alios judicatam cæteris non obsistere. (Cap. *Quamvis*, 25, de Sententia et re judicata, lib. II, Decret.) Attamen, omnes facile consentiunt plura judicia a diversis judicibus prolata sensu eodem, magnam habere auctoritatem ; quinimo, inde communiter efformatur jurisprudentia.

Interpretatio *legislativa* datur a principe, eademque vi pollet ac lex ipsa. « Unde jus procedit, juris quoque interpre- « tatio procedat. » (Cap. *Inter alia*, 31, de Sent. excom., lib. V.) Hæc interpretatio promulgari debet more legum quoties extendit vel restringit sensum naturalem legis; de quo omnes consentiunt ; utrum vero idem dicendum sit de interpretatione declarativa juris, quando dubia exorta erant circa sensum, extensionem, applicationem legis ad talem vel alium casum, adeo ut graviter controverteretur inter doctores quonam sensu sumenda esset, non ita concordant. Plures canonistæ propugnant cum doctissimo Fagnan promulgationem non esse in eo casu necessariam, quod duplici potissimum argumento adstruere conantur : 1° ex ipsa natura interpretationis de qua agitur, quæ non est extensiva, sed comprehensiva legis. Declaratio legis ab eo facta qui illam tulit, aut qui a legislatore jus habet eam interpretandi, non

differt essentialiter ab ipsa lege declarata, inquiunt; ergo eamdem auctoritatem et obligandi vim habet quam ipsa lex. Nam qui declarat sensum legis, non inducit novum jus; sed tantum detegit quod prius latebat. 2° Ex auctoritate S. Congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum quæ suas declarationes habet pro regulis in casu simili servandis, tametsi non fuerint promulgatæ, sed ad individuum qui congregationem consulerat transmissæ; de quo alibi dicemus (n° 107). Alii doctores, præsertim theologi, sequuntur sententiam Suarez qui ex principiis generalioribus ita concludit de omni interpretatione legislativa : « Ut ergo authentica sit « interpretatio, oportet ut habeat omnes conditiones legis « humanæ, adeoque sit justa, procedens a legitima potestate, « sufficienter promulgata. » Ratio est quod interpretatio legislatoris quatenus a doctrinali et a judiciali interpretatione differt, novum præceptum cunctis imponit legem servandi in sensu determinato de quo ante libere controvertebatur, sublata in futurum facultate illam aliter interpretandi. « In rebus dubiis in quibus exstare possunt opiniones « contrariæ circa intelligentiam legis, opus esse arbitror, « ait Bonacina, nova publicatione ut declarationes vim legis « habeant et obligationem inducant ad ipsas non deserendas, « aliud est enim legem jam conditam et publicatam obli- « gare, aliud declarationem ipsius legis obligare, ita ut ab « ipsa declaratione non liceat recedere, vel aliam amplecti. » Huic sententiæ adhæsisse videtur S. Alph. de Liguori ; nam præmissa distinctione inter declarationem quam vocat *pure talem* cujus scilicet sensus a principio est imbibitus clare in lege, et declarationem *non pure talem* cujus *sensus non est clare imbibitus in lege, sed circa illum plures adsunt opiniones et solum percipitur ex argumentis*, concludit : « Hoc « posito dicemus cum Suaresio declarationem *pure talem* « non opus habere promulgatione, sed obligare omnes ad « quos illius notitia pervenerit ; cum non sit nova lex. De-

« claratio non *pure talis* indiget promulgatione ut obliget, « quemadmodum quælibet alia lex, quia hæc habetur tan- « quam nova lex [1]. »

Cæterum omnes fatentur interpretationem datam a legislatore, etiam ad casum privatum, absque promulgatione, gravissimæ esse auctoritatis, et regulariter servandam in praxi; quia si, v. g., Episcopus legem ipse tulerit, melius novit quo sensu lata sit; si vero Episcopus, seu ejus nomine vicarius generalis, legem ante latam interpretetur, censetur testari quomodo servetur in praxi, quæ jurisprudentia usu prævaluerit in sua diœcesi.

38. — III. Legislator pro suo arbitrio legem moderari valet sub specie interpretationis; consuetudo potest etiam eam corrigere, juxta ea quæ in præcedentibus dicta sunt (n° 12); doctores vero, et judices inferiores tenentur legem interpretari secundum regulas ipso jure præstitutas, seu æquitate fundatas, quales viri sapientes communiter tradunt. Hæ sunt regulæ generaliter admissæ :

1ª Verba legis sumenda sunt secundum propriam significationem, nisi aliud suadeat subjecta materia.

Ratio est quod legislator uti debuit verbis claris, ne sua lex haberet quid ambiguum unde judices et privatos in errorem induceret. Ergo interpretis officium est ingenitam verborum significationem accurate considerare, eamque potissimum quæ legis conditæ tempore habebatur, ac in usu erat apud eum qui jus fecit, et apud eos ad quos jus dirigebatur.

Verba clara non indigent interpretatione; verba generalia et absoluta intelligenda sunt sensu absoluto, absque ulla distinctione, nec adducenda ulla exceptio cum superior *ex-*

[1] Fagnan, in cap. *Quoniam* de Constitutionibus, nis 14-48. — Suarez, *de Legibus*, lib. VI, cap. i, n° 3. — Bonacina, *de Legibus*, disp. I, quæst. 1, punct. viii, n° 4. — S. Liguori, *Homo apostolicus*, tract. de Legibus, cap. iii, nis 73 et 74. — Reiffenstuel, in tit. de Constitutionibus, n° 376. — Billuart, *de Legibus*, dissert. V, art. iv.

cipere potuerit et nihil exceperit, ut fert cap. *Quia circa*, 22, de Privileg., lib. V Decret. Unde venit axioma juristarum : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Diximus : *nisi aliud suadeat*... quod explicabit regula subsequens.

2ª Interpretatio menti potiusquam verbis legis convenire debet.

Magnopere attendi debet ad verba, nec ab illorum sensu obvio recedendum, nisi suadeat ratio gravis aliud sensisse legislatorem; at non ita cortici verborum hærere, nec de litterarum sono ita sollicitos nos esse oportet, ut non assequamur intimam legislatoris sententiam, et illi verba accommodare studeamus, quando id requirit subjecta materia ; quia *non debet intentio verbis, sed verba intentioni deservire*, uti fert cap. *Humanæ aures*, 11, quæst. 5, caus. 22; regula autem juris 88ª supra citata dicit : *Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

Igitur necesse est pensare temporum et causarum rationes, finem quem intendit legislator, quibusve mediis hunc scopum attingere curavit. Hæc si attenta meditatione consideraverit interpres, præcepta generalia juris modo in casus propositos extendet, modo certis finibus coercebit.

3ª In obscuris minimum est sequendum et potius habetur ratio æquitatis quam juris stricti.

Sensus regulæ est quod ubi legis sensus ita obscurus est, vel adeo dubia est applicatio juris ad casum, ut neque ex textu legis, neque ex aliis circumstantiis, vera legislatoris intentio sufficienter appareat, hoc quod minimum est, scilicet quod minus gravat, vel minus obligat, sequendum proponere debeamus. Ratio regulæ est quod superior merito censeatur voluisse ita temperare severitatem æquitate, ut lex, quantum sinit bonum publicum, magis inclinet ad id quod gratum et minus onerosum reputatur ; hoc enim plus sapit suave

regimen societatis, melius congruit hominum gubernationi.

Eadem ratione canonistæ dicunt licitum esse uti *Epikeia*, id est præsumere casum non comprehendi in lege universaliter lata, quando alicui, ob suas speciales circumstantias, esset nimis grave ac difficile legi obedire. Ipsamet jura admonent judicem rationabiles exceptiones admittere debere, et juxta juris æquitatem procedere. (Cap. *Ex parte tua*, 15, DE OFFICIO JUDICIS DELEGATI, lib. I, Decret.)

4ª ODIA RESTRINGI ET FAVORES CONVENIT AMPLIARI : ID EST, LEGES ODIOSAS INTERPRETARI DEBEMUS SENSU STRICTIORI, FAVORABILES VERO SENSU LATIORI.

Regula supponit dubium circa sensum, extensionem, vel applicabilitatem legis; si enim de lege certo constet, incunctanter servari debet, etsi dura, et libertatis restrictiva apparet.

Præterea, regula simul statuit de *odiosis* et de *favorabilibus*. Leges odiosæ dicuntur quæ, vel pœnam principaliter intendunt, vel onus grave imponunt, libertatem notabiliter coercendo, vel tandem exorbitant a jure communi. E contra, favorabiles reputantur quæ, aut bonum publicum, bonos mores, libertatem religionis tuentur, nullo gravi onere inducto; vel quæ favores, privilegia, distinctiones honorificas largiuntur, nulli individuo, nec societati, præjudicium inferendo. Distinctio illa legum odiosarum et favorabilium quandoque difficultate non caret, siquidem favor et onus simul in eadem lege non semel reperiuntur. Lex quæ sub uno respectu favorabilis est, sub altero gravat; bonum enim societatis vix procurari potest, quin subditi patiantur aliquod detrimentum suæ naturalis libertatis. Tunc vero, si favorabile et odiosum separari unum ab altero queant, lex dicetur favorabilis simul et odiosa sub vario respectu; si autem separari nequeant, potissimum attendemus ad intentionem præsumptam superioris, qui merito præsumitur voluisse potissimum favere bono publico.

His præmissis, dicendum sensum regulæ esse quod, stante dubio, quamdiu nimirum, re mature pensata, non innotuit vera mens legislatoris, et lex potest, servata proprietate verborum, intelligi in sensu restricto vel latiori, restringi debeat in odiosis, et ampliari in favorabilibus, servata tamen in utroque casu proprietate verborum, remanendo scilicet intra sensum naturalem textus.

Leges igitur quæ inducunt irregularitates, censuras, nullitates actuum, impedimenta matrimonii, sunt strictæ interpretationis; quamvis enim faveant bono publico, finem suum non assequuntur nisi notabiliter prægravando libertatem singulorum, vel etiam pœnas graves imponendo. Privilegia, reservationes, dispensationes, quatenus exorbitant, id est deflectunt a jure communi, sunt quoque strictæ interpretationis, ut fert regula 28ª : *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam sunt ad consequentiam trahenda*. De his infra redibit sermo in solutione quæstionis subsequentis.

E contra, leges quæ provident libertati ecclesiasticæ, religionis incremento, bonis moribus, nec grave onus imponunt præter obligationem conscientiæ ; item leges quæ privilegia statuunt nullius juri derogantia, nec ullo modo in detrimentum ordinis publici vergentia... sunt latæ interpretationis. V. g. : Episcopi comprehenduntur sub nomine cleri, et novitii sub nomine religiosorum, in favorabilibus, non vero in odiosis; vocabulum *populus* generice comprehendit clericos et laicos; in sensu strictiori de solis laicis illud interpretamur.

5ª Pluralis locutio duorum numero est contenta.

Sensus est quod ubi lex plures actus seu personas requirit, utendo his seu similibus terminis : *plures*, *plura*, etc., sufficit ad legis observationem atque applicationem ut duo ponantur actus, vel duæ concurrant personæ, nisi aliunde constiterit majorem numerum postulari. Ratio autem regulæ est quod, sicut numerus singularis excludit pluralitatem, ita

numerus dualis excludit singularitatem ; quapropter legi satisfit dummodo actus bis repetitus fuerit.

6ª NON CENSETUR PLUS DE PRIORI LEGE IMMUTATUM QUAM EXPRESSUM SIT IN POSTERIORI.

Correctio legum, quatenus odiosa, non est facile præsumenda, et expedit *jura concordare juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari*, uti dicitur in cap. *Cum expediat*, 29, DE ELECTIONE, lib. I, in VI°. Hæc magnopere attendenda sunt quando prodeunt leges novæ, aut fiunt conventiones legis antecedentis correctivæ, ne extendantur ultra mentem legislatoris. Res sic componi, et nova instituta interpretari oportet, ut id solum immutatum censeatur juris pristini, quod vel expressis terminis corrigitur, vel nequaquam conciliari potest cum novo ordine præscripto.

Eadem prorsus ratione dicitur in regula 34ª, *Generi per speciem derogatur*. Apud jurisperitos et canonistas *genus* dicitur quod plura sub se continet, v. g. Beneficium; species vero, quod sub genere comprehenditur, sive singulare illud sit, sive non. Quando duæ dispositiones sibi contrariæ videntur, illa quæ specialis est derogat generali ; quæ minus est communis, alteri derogat quæ est magis extenta, in ea parte qua conciliari non possunt. Legislator non præsumitur contradictoria præscripsisse ; si quid proinde in specie non concilietur cum dispositione generali, omnia componantur per applicationem regulæ.

39. — IV. His regulis unum addendum superest, de quo omnes consentiunt, scilicet discernendum esse in decretis, seu constitutionibus, vel rescriptis, quæ sit sententia principalis qua legislator dubiis de jure satisfaciat, vel jus condit, huicve derogat, quæ vero sint adjuncta mere accessoria, quæ in præfatione, in rationum deductione, et in cæteris, extra propositum principale inserta aliquando reperiuntur. Tota vis legis in hac sententia, seu positiva definitione continetur ; cætera possunt quidem multum inservire ad dignoscendum

quæ fuerit mens legislatoris, et quonam sensu lex debeat in praxim adduci, non habent vero vim legis; imo nec semper pro certis tenenda, sive ad factum historicum alludatur, sive ratiociniis e Scriptura, vel aliunde desumptis, res definita comprobetur. Sic, ut unum vel alterum exemplum proferamus: Innocentius III, identidem suæ definitioni, in decretalibus multa adjicit ratiocinando, quæ forte minus ad rationem exacta quibusdam videbuntur; Benedictus XIV item, frequenter theologum agit et historicum in pluribus e suis constitutionibus pontificiis. Porro ea quæ ratiocinando deducunt, sive e textuum discussione, sive ex opinionibus doctorum, sive demum ex jure naturali, non prolata sunt ab iisdem Pontificibus uti totidem propositiones sua auctoritate definitæ, quas canonista, vel theologus, pro certis argumentis assumere debeat. Igitur quid definierit, quid statuerit legislator, id potissimum attendamus; hic vis est atque auctoritas legis.

40. — III° *Quæ sint regulæ juris circa effectum legum?*

Ex libro Decretalium: Reg. 5ª « Quod latenter, aut per « vim, aut alias illicite introductum est, nulla debet stabili« tate subsistere. 8ª Qui ex timore facit præceptum, aliter « quam debeat facit, et ideo jam non facit. »

Ex libro Sexto decretalium : « 18ª Non firmatur tractu tem« poris quod de jure ab initio non subsistit. 39ª Cum quid « prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. « 58ª Non est obligatorium contra bonos mores præstitum ju« ramentum. 64ª Quæ contra jus fiunt, debent utique pro in« fectis haberi. 67ª Quod alicui suo non licet nomine, nec « alieno licebit. 69ª In malis promissis fidem non expedit ob« servari. 84ª Cum quid una via prohibetur alicui, ad id « alia non debet admitti. »

Regulæ allatæ ad quatuor hæc puncta præcipue reducuntur : obligatio legi satisfaciendi modo quem legislator præscripserit; fraus vitanda ne quod lex interdixerit, sub alia specie dolose peragatur; nullitas actuum qui contra legem

fiunt; vetitum ne firmetur tractu temporis quod ab initio irritum fuit : hæc paucis exponemus.

41. — I. Certum est, et in theologia morali abundanter demonstratum, leges canonicas obligare in conscientia ; et has easdem leges, quando actum positivum requirunt qui ad gloriam Dei referatur, eo animo, eoque modo esse observandas, qui ad finem intentum conducere valeat.

Quæ sit vero gravitas peccati, si lex violetur nulla excusante ratione, pendet a natura ipsius legis et ab intentione legislatoris. Communis doctorum interpretatio, verba et scopus superioris, pœnæ quas transgressoribus minitatur, indicant an sit levis, an gravis obligatio; uti exponunt theologi in tractatu *de Legibus*. Cæterum, de facto nulla lex ecclesiastica citatur, in jure communi, quæ non obliget sub gravi; nihil quippe SS. Pontifices, et concilia œcumenica, clero, fidelibusve, præcepto generali præscripserunt quod per se, vel ratione finis, non multum referat ad bonum commune ; et nusquam, in hisce mandatis, declaraverunt, seu subintelligendum dederunt, se nolle obligare sub gravi. Concludendum igitur leges communes obligare per se sub gravi.

Concludas præterea necesse est illum non servare mandatum coram Deo, qui rem præscriptam ad nostram sanctificationem agit timore humano et servili, vel ad captandum laudes humanas, ut subindicat regula 8ª juris.

Concludas tandem, cum regulis 58ª et 69ª, nihil valere juramentum præstitum contra legem canonicam; nam in malis promissis non expedit fidem observari.

42. — II. Certum est etiam illum non satisfacere legi, qui, dum in specie verba legis complectitur, reipsa tamen contra legislatoris voluntatem nititur ; ille enim fraudulenter agit.

Quoties legislator intendit aliquid efficaciter impedire, prohibet simul ea quæ sunt naturaliter et communiter connexa rei vetitæ, seu quæ ab illa necessario sequuntur, ut fert regula 39ª; unum quippe in altero continetur.

Eodem principio dicendum est, cum regula 67ª, nemini licitum fore alieno nomine quod ipsi proprio nomine vetitum est; nisi tamen ratio legis non amplius habeat locum, in casu quo agit nomine alterius. Regulariter quisque in quovis negotio facilius admittitur ad agendum pro se, in re ad se pertinente, quam pro aliis ; unde si prohibeatur agere pro se, consequenter ipsi interdictum censebitur rem sibi vetitam facere nomine procuratorio alterius. Hinc SS. Pontifices, dum clericis commercium interdixerunt, prohibitum simul voluerunt commercium factum a clerico per mandatarium.

Non aliud intendit regula 84ª : *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*. Re quidem vera, si quid prohibeatur non ratione sui, sed ratione modi, seu alicujus particularis accidentalisque circumstantiæ, sufficiet modum immutari, atque evitari illa accidentia, ut desinat motivum legis ; casu autem quo istud prohibetur, ut ita dicam, objective, ratione sui, nulla alia via indirecta admittendum est, ne eludatur mediis subdolosis sanctio quam legislator statuit ad bonum commune societatis. Sic, exempli causa, cum electo ad episcopatum prohibeatur assumere regimen diœcesis antequam a Sancta Sede canonicam institutionem fuerit assecutus, non debet ad idem regimen admitti, titulo administratoris, vel œconomi, aliove quæsito colore.

Ratio harum solutionum eadem semper occurrit, quam sancti canones sæpe invocant, scilicet *ne legi fraus fiat*. Ut autem hoc tanti momenti effatum non extendatur in praxi ultra genuinum sensum canonum, observare necessarium est distingui finem ulteriorem et scopum legis ab objecto ab eadem lege præscripto. Contingere potest ut homo subjectus legi ea via procedat qua non attingitur finis ultimus a legislatore intentus, quin inde arguatur veluti reus violatæ legis ; nam communiter admittunt DD. axioma : *Finem legis non cadere sub præcepto, nisi exprimatur*. Tunc solum committitur fraus contra legem, quando fit quod est a lege veti-

tum; aliis verbis, quando lex eluditur per medium a jure reprobatum.

43. — III. Lex prohibens actum non eo ipso illum irritat, nisi talis effectus sufficienter exprimatur; *multa enim fieri prohibentur quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut dicitur in cap. *Ad Apostolicam*, 16, DE REGULARIBUS, lib. III, Decret. Regula juris 64ª, quæ aliud insinuare videtur, non sensu absoluto, sed cum distinctione, sumenda est.

Ratio asserti generalis est quod prohibere actum et illum irritare sunt duo effectus valde diversi; ergo ut per legem producantur, debent sufficienter explicari. Revera prohibere actum est solum præcipere ut non fiat; irritare actum est inhabilitare personam seu reddere inefficacem illius voluntatem; nemo autem non videt hujusce modi actus esse ab invicem separabiles, et reipsa in multis casibus unum ab altero separari.

Signa quibus lex irritans esse dignoscitur hæc sunt: 1° Interpretatio communis doctorum, quæ moralis unanimitas est certum argumentum sensus legis qualis observatur atque viget; 2° verba legis, quando explicite declarant nullitatem actus contra prohibitionem attentati; 3° objectum legis, si lex personam inhabilem ad agendum constituat; si formam substantialem actus determinet; si judicis, alteriusve prælati inferioris jurisdictionem definiat certis limitibus. Actus proinde quem persona inhabilis præsumit facere; contractus, v. g., matrimonii, forma substantiali destitutus; sententia quam judex ultra sui fori limites profert, omni valore privatur; inde regula 26ª: *Quæ fiunt a judice, si ad ejus officium non spectant, viribus non subsistunt.*

Si dubium remanet, pronuntiabitur in favorem actus, quia « necessarium est, ait Suarez, ut satis constet de modo et « ratione prohibitionis, et in dubio præsumitur pro actus va- « liditate. » (*De Legibus*, cap. XXXVII, n. 8.) Est consectarium regulæ supra explicatæ de minimo in obscuris tenendo (n° 38).

Nota. Quando jura volunt ut irritetur actus a judíce, seu in pœnam criminis patrati, seu in protectionem illorum qui vim, metum, vel dolum passi sunt, magnopere attendendum, utrum actus ille sit ipso jure irritus, adeo ut solum exspectetur sententia mere declarativa, an sit tantummodo nullitati obnoxius, seu ut aiunt rescindibilis, et sententia judicis debeat esse condemnatoria. Effectus non iidem sunt in utroque casu, ut suo loco explicabitur.

44. — IV. Actus qui fuit nullus ab initio, non convalescit solo lapsu temporis, juxta regulam : *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.*

Tempus per se insufficiens est ad imponendum obligationem vel ad eam tollendum. Sunt tamen duo notanda : 1° Actus qui stabilitate carent ob defectum voluntatis, vel ob injuriam illatam, firmantur lapsu temporis, quando per certum tempus jure præfixum, hi quorum intererat non reclamaverunt, licet plenam libertatem sint assecuti; quia ex tunc merito præsumuntur dedisse sufficientem consensum. 2° In materia beneficiali valet possessio triennalis ad convalidandum titulum, modo interveniant conditiones requisitæ, de quibus in decursu dicetur.

45. — IV° *Quæ sint regulæ juris circa dispensationes?*

Ex libro V Decretalium : « 4ª Quod non est licitum in « lege, necessitas facit licitum. » Ex libro VI Decretalium : « 6ª Nemo potest ad impossibile obligari. 28ª Quæ a jure « communi exorbitant, nequaquam sunt ad consequen- « tiam trahenda. 35ª Plus semper continet quod est minus. « 53ª Cui licet quod plus est, licet utique quod minus est. « 81ª In generali concessione non veniunt ea quæ quis non « esset verisimiliter in specie concessurus. » His regulis aliæ in Corpore juris inclusæ connectuntur quæ ad hæc quatuor puncta referuntur : quid sit dispensatio; quis concedere valeat dispensationem; quam ob causam concedi debeat ; quomodo debeamus illam interpretari.

46. — I. Dispensatio est relaxatio vinculi legis, facta a superiore, in casu particulari, in quo lex cæteroquin obligaret. Quatenus dispensatio refertur ad casum particularem, differt a derogatione et a privilegio; quatenus vero supponit legem vigere in hocce casu, adeo ut subditus teneretur illam observare, nisi interveniret in sui favorem auctoritas superioris vinculum relaxantis, differt a mera legis interpretatione quæ fit quando adest moralis impossibilitas legem servandi.

Quod non est licitum in lege necessitas facit licitum, quia *nemo potest ad impossibile obligari :* verba sunt regularum juris quæ interpretamur non solum de absoluta, sed de morali impossibilitate in qua versatur quisquis legem non potest observare sine valde gravi incommodo, uti explicant theologi moralistæ. Hoc in casu non recurrimus ad superiorem, nisi majoris securitatis causa, et est dispensatio improprie dicta, quæ potiori jure diceretur legis interpretatio.

47. — II. Potestas dispensandi, ex natura rerum, competit conditori legis, et illi qui cum legislatore parem habet auctoritatem : « Cujus est enim legem condere, ejus etiam « est illius obligationem remittere, » juxta notissimum axioma, cui convenit regula 1ª juris : « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

Hinc sequitur S. Pontificem posse dispensare super omnibus legibus canonicis, undequaque prodierint, utpote qui omni jurisdictione potiatur ad regimen Ecclesiæ universalis et ecclesiarum particularium, quam plenitudinem potestatis a Christo immediate recepit. Sancta Apostolica Sedes, in ordine consueto rerum, cuncta moderatur ad normam canonum; nec ab eis permittit ut recedatur, nisi provida dispensatione in casibus ipso jure prævisis; verumtamen, ubi urgent graviores causæ, quarum ipsa judex est, plenitudinem potestatis exerit supra jus positivum; unde Innocentius III

dixit : « Secundum plenitudinem potestatis de jure possu-« mus supra jus dispensare. » (Cap. *Proposuit*, 4, DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ.)

Hinc etiam, ratione ex adverso, sequitur prælatos inferiores non posse dispensare super legibus pontificiis, canonibusve conciliorum generalium ad disciplinam pertinentibus, nisi hoc sibi fuerit explicito aut tacito assensu Rom. Pontificis concessum. Hoc consectarium firmant constans Patrum traditio, et concors doctorum, qui majori auctoritate valent, sententia; demonstrat insuper et ratio, siquidem nihil tam apertum quam effatum istud : « Lex superioris per inferio-« rem tolli non potest. » (Cap. *Ne Romani*, 2, DE ELECTIONE, lib. I, Clement.) Quis ordo in societate consistet, quæ disciplina hierarchiæ, si inferiores valeant pro arbitrio derogare mandatis auctoritatis superioris?

Quandonam vero indultum sit Episcopis dispensationes concedere, exponetur ubi de *Officio Episcoporum*.

48. — III. Causæ adesse debent quæ moveant superiorem ad concedendam dispensationem : « Sicut publice expedit, « legis vincula quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus « casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; « sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam « certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere « nil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas « aditum dare. Quapropter sciant universi sacratissimos « canones exacte ab omnibus, et quoad fieri poterit, indis-« tincte observandos. Quod si urgens justaque ratio et « major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus « dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturi-« tate, atque gratis, a quibuscumque ad quos dispensatio « pertinebit, erit præstandum : aliterque facta dispensatio « surreptitia censeatur. » (Conc. Trident. Sess. XXV, de Reform., cap. XVIII.)

Reus fit coram Deo superior qui dispensationes largitur

sine causa; grave siquidem vulnus disciplinæ infert, et abutitur in detrimentum boni communis potestate quam ad ædificationem, non ad destructionem, accepit. Quinimo, invalida erit dispensatio, si detur a prælato inferiori vi delegationis sibi a superiore factæ; nequaquam enim S. Pontifex assentitur ut delegatione abutantur illi quibus hæc negotia commiserit.

Cæterum, gravitas causarum pensatur ex ipsamet gravitate legis, quæ plus minusve necessaria reputatur ad bonum commune Ecclesiæ. Sunt leges tanti momenti, ut nusquam ab eis dispensetur nisi publica urgeat necessitas ; sunt aliæ quæ, etsi utiles, possunt tamen minori incommodo relaxari, et tunc indulgetur privatis etiam commodis, adeo ut ratio non adeo gravis sufficiens censeatur.

49. — Quod concilium Tridentinum declarat dispensationem gratis concedendam fore, eo sensu communiter intelligitur, quod superior nullatenus debeat emolumentum sibi percipere ex concessa aliqua dispensatione. Non condemnatur praxis quæ hodiedum in Ecclesia viget, juxta quam imponitur, uti conditio dispensationis, compositio pecuniæ, pauperibus sublevandis, aliisve operibus pietatis destinatæ. Hæc quidem praxis extendi non debet ultra casus consuetos, ne locus detur abusibus; verum modus quem tenent Sancta Sedes, et sapientissimi præsules, duo commoda profert; ex una quidem parte plures removet a postulanda dispensatione, ex altera vero compensat, operibus piis, vulnus illatum disciplinæ.

50. — IV. Si quando suboriantur dubitationes circa datam dispensationem; scilicet quousque extendenda sit, quidve complectatur, applicandæ venient regulæ juris citatæ.

Plus semper continet quod est minus, subintellige in eodem rerum genere : quamobrem quidquid includitur in generali dispensatione cum ipsa concessum merito dicitur.

In concessione generali non ea veniunt quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus : nam quæ speciali mentione digna sunt sub generali concessione non comprehenduntur. « Cum enim, ait Reiffenstuel, concessiones generales non nisi confusa aliqua prævia cognitione specialium, et quidem eorum quæ fere ordinario et facile concedi consueverunt, fieri soleant; ad extraordinaria autem, insolita, et difficillima, reflexio ordinarie non fiat; mens et intentio concedentis ad ea non extendi verisimiliter præsumitur. » (In regulam 81, n. 3.)

Quæ exorbitant a jure communi ad consequentiam non sunt trahenda. Dispensationes exorbitant, id est deflectunt, a jure communi, uti supra animadversum fuit; quamobrem extendi non debent ad alios casus, nec ad alias personas non expressas, etiamsi similis ratio, imo et gravior, militari videatur : sunt strictæ interpretationis. Facultas quidem dispensandi quam jus commune, seu rescriptum, largitur Episcopis est favorabilis; expedit enim bono communi diœcesis, ut non nimis coerceatur jurisdictio ordinaria Episcoporum, et adsit potestas dispensandi in gratiam fidelium. Ipsamet autem dispensatio est odiosa quatenus deviat a jure communi, unde Bonifacius VIII decrevit : « Ille cum quo per « Sedem (Apostolicam) dispensatur ut, non obstante defectu « præmisso (natalium), valeat ad beneficium, etiamsi curam « animarum habeat, promoveri, nequit prætextu hujusmodi « dispensationis, quam *exorbitantem a jure oportet veluti* « *odiosam restringi*, nisi unicum obtinere beneficium. » (Cap. *Is qui*, 1, DE FILIIS PRESBYTERORUM, lib. I, in VI°.)

51. — V° *Quæ sint regulæ juris circa privilegia ?*

Regulæ de privilegiis sunt fere eædem ac pro dispensationibus ob materiarum analogiam. Addemus sequentes quæ etiam ad dispensationes referri possunt : « 7ª Privilegium « personale personam sequitur et extinguitur cum persona. « 16ª Decet beneficium concessum a principe esse mansu-

« rum. 61ª Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in « ejus dispendium retorquendum. 74ª Quod alicui gratiose « conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. » Ad intelligentiam regularum hæc notanda :

52. — I. Privilegium dicitur *lex privata*, *aliquod speciale beneficium concedens*. Est nimirum concessio alicujus beneficii, seu prærogativæ permanentis, præter vel contra jus commune; in quo sub duplici respectu differt a dispensatione. Dispensatio juri semper adversatur, dum privilegium quandoque nulli legi derogat, quoties scilicet est præter jus commune, non contra. Insuper dispensatio datur pro casu particulari, quo transacto manet obligatio legis; privilegium vero conceditur modo in futurum permanenti.

Privilegium aliud est *personale*, aliud *reale*. Personale confertur directe ac immediate alicui personæ, propter illius experientiam, doctrinam, virtutem, fidelitatem aliave merita. Reale directe ac immediate confertur alicui loco, dignitati, officio, ratione ipsius rei. Inter privilegia realia, ea annumeranda veniunt quæ conceduntur alicui communitati vel certo generi hominum, v. g. clericis aut regularibus; quia etsi omnes in tali communitate existentes hocce privilegio fruantur, tamen non unius, alteriusve personæ intuitu, sed communitati concessum fuit.

Privilegium seu reale, seu personale, dividitur in *gratiosum* et *remuneratorium*. Gratiosum procedit ex mera liberalitate concedentis; remuneratorium datur in præmium meritorum. Privilegium datum regularibus reputatur communiter esse remuneratorium, quia sæpius SS. Pontifices illud largiuntur ad remuneranda merita ordinis religiosi in defensione fidei catholicæ, in administratione sacramentorum, et aliis pietatis operibus.

Alia divisio est privilegii in *concessum ad preces* et *concessum motu proprio*. Primum supponitur datum ad instantiam privilegiati, vel alterius qui partes ejus egit; alterum

e contra datur a superiore independenter ab intercessione. Non tamen obstat si petitum fuerit, modo superior illud non dederit ob hanc postulationem, tanquam ob causam finalem. Discrimen præcipuum inter utrumque est quod privilegium concessum *motu proprio* pleniorem admittat interpretationem. Cæterum, privilegium motu proprio tunc solum dari censetur, cum id expresse declaratur in rescripto. (Cap. *Quamvis*, 4; *Si motu proprio*, 23; de Præbendis, lib. III, in vi°.)

Demum, ex privilegiis, alia concessa sunt per se primo, alia autem *ad instar;* prout conceduntur sine respectu alterius privilegii antea alicui concessi; vel ad instar alterius privilegii, eo scilicet modo, eadem forma, iisdemque consequenter conditionibus quibus illud alteri fuit datum.

53. — II. Privilegium triplici modo acquiritur, rescripto principis, consuetudine seu præscriptione, et communicatione.

1° Omnis legislator potest, in iis quæ suæ jurisdictionis sunt, privilegia concedere, quod viva quidem voce facere valet, sed communiter nonnisi per rescriptum facit, ita postulante provida administratione, ne in controversias veniant hi favores, vel nullum supersit monumentum authenticum quo probentur concessi. Bonifacius VIII, huic incommodo providendum voluit statuendo ut qui se asserunt per privilegia Sanctæ Sedis exemptos, si fuerint a locorum Ordinariis requisiti, hujusmodi privilegia ipsis Ordinariis, aut prudentibus viris ad hoc per Ordinarios deputatis, ostendere et ad legendum integraliter exhibere, necnon de articulis de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere, teneantur (cap. *Cum personæ*, 7, de Privilegiis, lib. V, Decret.). Eadem est ratio quoad alia quælibet privilegia, quoties hujusmodi naturæ sunt, ut ad forum externum deducantur ; nullus quippe judex tenetur ea concessa præsumere, nisi prius sufficienter probentur.

2° Consuetudine acquiri etiam posse privilegia tradunt doctores; quod deducunt ex variis textibus juris, et ratione confirmant. Enimvero, vel privilegium est contra jus, vel præter; si prius, nihil obstat; consuetudo enim quæ valet, positis conditionibus, abrogare legem in totum, a fortiori valebit illi ex parte derogare, specialem facultatem conferendo agendi contra jus commune. Si posterius, obtinebitur etiam per præscriptionem, « nam, ait Schmalzgrueber, per « ejusmodi consuetudinem quæ inducitur via præscriptionis, « acquiri potest jurisdictio (cap. *Duo simul*, 9; DE OFF. JUD. « ORD., lib. I). Cur non alia privilegia? » (*De Privileg.*, n. 94.)

In designando tempus ad hanc præscriptionem requisitum non consentiunt doctores; aliqui immemoriale assignant, quod tenendum esse alibi dictum est (n. 16), quando agitur de facultate aliqua acquirenda, quæ jure communi ad solum summum Pontificem pertinet. In aliis materiis, minori tempore inducitur præscriptio; puta, lapsu quadraginta, vel etiam viginti annorum, imo fortasse aliquando per decennium.

3° Tandem communicatione acquiruntur privilegia, quando superior ad alios extendit privilegia quæ uni prius concesserat: illud fit, vel speciali dispositione, vel lege generali, uti fecerunt summi Pontifices in favorem regularium, præsertim ordinum Mendicantium. Hæc notasse sufficiat de quibus magis in extenso disserendum erit ubi de ordinibus religiosis.

54. — III. Quomodo debeat privilegiatus uti suis privilegiis determinant regulæ juris, quas nunc summatim referre oportet.

1° Non debet uti privilegio, antequam noverit illud sibi esse concessum. Quando privilegium motu proprio, absque prævia supplicatione concessum fuit, non habet regulariter suum effectum ante notitiam et acceptationem privilegiati; quia se habet instar donationis quæ non valet ante accepta-

tionem. Superior merito præsumitur non aliter illud conferre. Si e contra fuerit concessum ad instantiam privilegiati, vel ejus procuratoris, effectum suum operatur a die collationis ; adest enim ex tunc mutuus utriusque partis consensus ; igitur validi erunt actus facti juxta privilegium. Attamen, nisi urgeat necessitas, non licet uti privilegio, non secus ac dispensatione, ante habitam notitiam concessionis ; quia periculum est invalide agendi, si forte, causa qualicumque, superior gratiam postulatam non concesserit. (Reiffenstuel, n. 46. Schmalzgrueber, 29-31, *de Privilegiis.*)

2° Debet utendo suis privilegiis servare modum determinatum, tum a superiore, tum ab ipsa natura seu conditione privilegiorum. Si sint *conventionalia*, standum procul dubio conditionibus ; si *ad instar*, ratio habenda est privilegiorum aliorum ad quorum normam fuere concessa ; si *localia*, non possunt inservire ultra locum assignatum, dum e contra personalia personam sequuntur ubicumque fuerit, modo nullam restrictionem posuerit superior, modo etiam non adversentur statutis peculiaribus locorum, extra diœcesim concedentis ; si *favorabilia*, benignioris interpretationis erunt, item si *motu proprio* data ; si autem *odiosa*, utpote exorbitantia a jure communi, severius erit procedendum. « Hoc vero intelligendum, ait S. Alph. Liguori, de privilegiis « concessis personis particularibus ; quæ sunt concessa « alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam « causam, omnia sunt interpretanda non modo late sed « etiam latissime, etiamsi adversentur juri communi, vel « alicui tertio, quemadmodum communissime affirmant « doctores. Privilegia enim communitatibus concessa præ- « sumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum præstito- « rum, et ideo habentur tanquam favorabilia. » (*Appendix de Privilegiis*, n. 8, ad calcem Tract. *de Legibus.*) Id tamen non ita absolute, et absque distinctione sumendum esse arbitramur.

3° Nemo tenetur uti suo privilegio; *quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum,* ut fert regula 61ª. Excipe tamen si privilegium cedat in bonum commune, vel si removeat obstaculum ad observandum præceptum.

55.— IV. Privilegia amittuntur revocatione, renuntiatione, non usu, et cessatione causæ.

1° Nemo dubitat quin superior valeat, etiam sine causa, revocare privilegium mere gratiosum; at si agatur de remuneratorio, multo vero magis si de privilegio per contractum concesso, causa semper requiritur, quia jus privilegiato acquisitum fuit, et fidem datam servari cuncta jura præscribunt. *Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum* (reg. 33ª).

Revocatio fit expresse vel tacite; sed quocumque modo fiat, necesse est ut certo constet de voluntate superioris. Lex generalis non censetur derogare privilegiis particularibus, nisi id exprimatur.

2° Unusquisque renuntiare potest privilegio personali. Si privilegium sit communitatis, ab ipsa communitate renuntiatio fieri debet; in utroque autem casu, nihil operatur antequam eam superior acceptet; quod simili prorsus motivo intelligendum de dispensatione.

3° Qui non utitur suo privilegio per certum tempus, censetur renuntiavisse eidem privilegio, et dat locum præscriptioni, quando privilegia sunt aliis onerosa, et ipse, occasione data, sponte his uti recusavit. In privilegiis autem gratiosis quæ nulli gravamen inducunt, nullatenus nocet non usus, nec etiam usus contrarius, etsi per longissimum tempus.

4° Tandem amittitur privilegium cessatione causæ, quando causa illa fuit conditio essentialis quæ superiorem movit, nec aliter concedere voluisse censetur. Permanet privilegium si fuerit datum absolute, sine ulla conditione, etiamsi cessaverit

causa finalis quæ superiorem induxerat ad præstandum favorem; *quia beneficium principis decet esse mansurum.*

56. — VI° *Quæ sint regulæ juris circa rescripta?*

Rescripta dicuntur responsa data a S. Pontifice, aut illius nomine atque auctoritate, ad consultationem vel supplicationem alicujus privati. Quæ ad solutiones quæstionis de jure dubio, vel ad lites dirimendas in causis judicialibus, referuntur, dicuntur *rescripta justitiæ;* quæ vero favorem concedunt, beneficium, dispensationem, privilegium, *rescripta gratiæ* nuncupantur. En regulas juris pro rescriptis :

37ª Regula. « Utile non debet per inutile vitiari. 78ª In « argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem « aliquando sunt concessa... »

Præterea Innocentius III statuit ut qui « per fraudem, vel « malitiam, falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, « nullum ex litteris (apostolicis) commodum consequantur. » Cap. *Super litteris*, 20, DE RESCRIPTIS.

His regulis opportunum existimamus addere nonnullas regulas Cancellariæ Romanæ : 18ª *De non tollendo jus quæsitum :* « Ne per varias, quæ pro commissionibus, « seu mandatis et declarationibus habendis plerumque fiunt « suggestiones, justitia postponatur : Idem Dominus Noster « decrevit et declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps « per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gra- « tiam, vel litteras apostolicas pro commissionibus, seu man- « datis, aut declarationibus hujusmodi, etiam proprio motu, « et ex certa scientia, ac etiam ante motum litem a Sanctitate « Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus « sibi quæsitum quomodolibet tollatur. »

51ª *Super dispensationibus :* « Per quamcumque signatu- « ram in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi « specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum « hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat « aut operetur. »

52ª Super necessitate litterarum apostolicarum : « Cum « concessiones super gratiis dispensationum, per regulas « Cancellariæ sint provide limitatæ, licet aliquando in petitio- « nibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint « petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensa- « tive tenere aut facere præsumat ad quod concessiones se « non extendant, voluit Dominus Noster quod nulli talis « dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, ante- « quam super ea litteræ apostolicæ sint confectæ. »

71ª « Regulis cancellariæ nunquam censetur derogatum « in quibuscumque constitutionibus, etiam motû proprio et « ex certa scientia, per clausulas quantumvis efficacissimas, « nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter, nec « alio modo. »

57. — Ex regulis juris Decretalium et Cancellariæ hæc sequuntur :

Sequitur 1° dispensationes a Sancta Sede impetratas non suffragari in foro externo, tam in judicio quam in difficultatibus subortis extrajudicialiter, antequam litteræ apostolicæ confectæ sint, nisi tamen supplicatio signata sit cum clausula quod sola signatura sufficiat, regula in contrarium non obstante.

Non convenit inter DD. utrum in foro interno liceat uti dispensatione litteris non adhuc expeditis, de quo disserit Riganti in reg. 52^{am}, n. 25-40. Probabile nobis videtur hunc usum licitum fore, dummodo tamen impetrans certus sit de gratia, ac de conditionibus præscriptis a superiore. Ratio est quod gratia sit ratione sui perfecta per signaturam, et scriptura requiratur tantum in probationem authenticam. Aliunde regula dicit solummodo gratiam *non suffragari* antequam...; quod intelligi potest, sensu obvio, de foro externo, si moveatur judicialiter, vel etiam extrajudicialiter, aliqua controversia [1].

[1] Cf. Ferraris, v° *Oracula vivæ vocis*, n^{is} 4, 5, 6.

Sequitur 2° rescripta, in quavis gratia impetrata, non includere dispensationem super lege communi, si forte necessaria sit ad usum hujusce gratiæ, nisi dispensatio specialiter exprimatur; vel nisi, juxta oblationem libelli supplicantis, dicta gratia ad dispensationem totaliter referatur; vel tandem rescriptum nihil debeat conferre, aut operari, nisi dispensationem includat. Quando enim, oblato libello quo res aperte et sine ulla dissimulatione exponitur, rescriptum datur, jure sancitum fuit ut tacitam dispensationem præ se ferat, ne superfluum prorsus ac inane remaneat.

Sequitur 3° rescripta pro commissionibus, seu mandatis, vel declarationibus data, etiam motu proprio, et ex certa scientia, nulli jus quæsitum quomodolibet tollere, nisi exprimatur.

Principium generale est, concessiones superiorum ita esse intelligendas ut alterius jura non lædant neque noceant tertio. Regula Cancellariæ hoc principium firmat contra omne præjudicium quod, licet in re minoris momenti, quis sustineret ex gratia aliis concessa. Concessio secunda erit invalida, nisi expresse derogetur juri in hac re per tertium quæsito, quæ derogatio est omnino necessaria ut S. Pontifex censeatur velle præjudicium tertio inferri. « Licet, ait Riganti, « regula locum sibi non vindicet ubi constat Papam voluisse « auferre jus alteri quæsitum, tamen hoc quæritur an vo- « luerit, et propter protestationem in regula emissam, con- « stat nolle, nisi deroget regulæ... Per quem autem modum « censeatur regulæ derogatum, fuit alias reputata ardua « quæstio; attamen prævaluit opinio quod requiritur dero- « gatio specifica et individua ipsi regulæ, et nulla alia potest « introduci formula, per quam possit constare de mente « Papæ, nisi faciat ipse expressam mentionem et eidem no- « minatim deroget. » (In regul. 18^{am}, n. 15-26. Fagnan, in cap. *Cæterum*, n. 25-31, DE RESCRIPTIS, lib. I, Decret.)

Nonnullæ sunt tamen apponendæ exceptiones, præsertim

pro casu quo agitur de gratia ex sua natura præjudiciali, et constat de scientia concedentis; ut puta, si S. Pontifex aliquem suis rescriptis eximat a jurisdictione Episcopi, vel beneficium dismembret, aliave hujusmodi operetur. Tunc manifesta est voluntas Pontificis, qui cum apprime noverit, ipsamet natura gratiæ, per eam præjudicari tertio, sufficienter indicat derogationem regulæ[1]. Præterea, non requiritur derogatio specialis quando agitur de concessionibus factis ob bonum publicum, quia publica utilitas particulari præfertur; nec etiam requiritur quando secunda gratia fuit concessa, citata parte de cujus interesse agebatur; « Regula enim « fundata est in defectu intentionis Papæ, quæ intentio in « hoc casu deesse non videtur. » (Riganti, loc. cit., n. 69.)

Sequitur 4° non valere rescripta, si preces non nitantur veritate. Superior aliquando largitur gratiam per suas litteras; aliquando dat deleganti officium gratiam impertiendi, in forma commissoria, nomine et auctoritate delegantis; in utroque autem casu exprimitur, vel supponitur hæc conditio : *si ita est... si preces nitantur veritate...* ergo omni valore destituetur rescriptum subreptione vel obreptione impetratum, id est per reticentiam veritatis vel per expressionem falsitatis.

Hoc intelligendum putamus de casu etiam quo error ceciderit tantummodo in causam *impulsivam;* non est enim indulgendum malitiis, nec recedere expedit, in favorem mendacis precatoris, a textu canonis quo cavetur ne *qui per fraudem* litteras impetrant, *ullum ex his litteris commodum consequantur*.

Qui non fraudulenter, sed per ignorantiam, falsum expressit, aut verum reticuit, poterit nihilominus uti rescripto,

[1] Hæc est probabiliter ratio cur in Brevibus pontificiis quibus erigitur capitulum Ecclesiæ S. Dionysii, et officium majoris Eleemosynarii, non fit derogatio specialis regulæ 71æ; manifestum quippe erat ex hujusmodi institutionibus imminui jura Archiepiscopi Parisiensis.

dummodo tamen error non cadat in ipsam substantiam gratiæ, nec in causam finalem; scilicet, ut verbis utamur Innocentii III, si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, Pontifex nihilominus litteras dedisset, saltem in forma communi (cap. *Super litteris*).

Sequitur tandem 5° executorem debere ante omnia perpendere authenticitatem rescripti, considerando an nihil desideretur ad illius valorem; et cunctas conditiones quæ in illo præscribuntur servare sedulo in executione.

Vitiosum reputatur rescriptum, si desit forma substantialis; ut puta, nomen Pontificis, dies litteris adscriptus, signatura — si rasura appareat in loco suspecto — si adimatur jus quæsitum tertii, sine expressa mentione derogationis —si rescriptum aliquid contineat contra jus commune, nullis adhibitis clausulis derogatoriis, ut mos est; non enim aliter S. Pontifex a jure communi recedere consuevit; imo necessaria est derogatio specialis, ubi agitur de regulis Cancellariæ.

De conditionibus servandis in executione rescripti, nihil hic dicendum : cuique satis obvium est hæc adamussim tenenda, etiam sub pœna nullitatis, si modo absoluto requirantur, uti vera conditio gratiæ.

58. — VI° *Quis sit sensus regulæ juris* IGNORANTIA FACTI, NON JURIS, EXCUSAT?

Regula non attingit forum internum sed tantummodo forum externum.

Ignorantia invincibilis semper excusat coram Deo, in foro conscientiæ; versetur circa jus, aut circa factum, nihil interest. Quoad vero forum externum, alia regula proponitur, quia cum judex interiora cordis non penetret, debet stare præsumptionibus quas jura inducunt in bonum ordinis publici.

Factum alterius quisque ignorare potest, unde regula 47ª

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur; igitur nisi fortassis agatur de notoriis, vel de iis quæ aliquis ex officio indagare et scire tenetur, allegari potest, imo præsumi debet ignorantia excusans, nisi probetur contrarium. V. g. si quis manus violentas injecerit in clericum non incedentem habitu clericali, præsumetur ignorasse conditionem clerici, et ideo non excommunicabitur. At ratio ordinis publici non sinit ut allegetur ignorantia juris, juris, inquam, certi et clari; ex quo nempe promulgatum fuit in societate auctoritate publica, omnes illud nosse præsumuntur, aut saltem non ita difficile cognoscere possunt consulendo viros peritos; quapropter statutum fuit in regula 13ª ignorantiam juris non excusare.

V. — Commentaria juris canonici.

59. — Finem imponemus his prolegomenis *Prælectionum* juris canonici, citando quosdam e peritioribus canonistis quorum scripta multum inserviunt in adipiscenda scientia disciplinæ ecclesiasticæ. Hos doctores ad quadruplicem classem referimus.

Iª classis illorum est qui in lucem ediderunt Prolegomena juris publici et privati.

Quosdam tantum præ cæteris citabimus :

J. Devoti (Episcopus olim Ananiensis, postea Arch. Carthaginensis), *Juris canonici universi publici et privati*, lib. V; 3 vol. in-4°. Tomus I complectitur Prolegomena. (Romæ, ann. 1803.)

Doujat, *Prænotiones canonicæ*, 1 vol. in-4°. (Professor juris Parisiis, an. 1651.)

Zallinger, *Jus naturale et ecclesiasticum publicum*, 1 vol.

in-8°. (Jesuita, professor juris in lyceo Augustano Augustæ Vindelicorum, an. 1784.)

Pey, *de l'Autorité des deux puissances*, 4 vol. in-8°. (Canonicus Parisiensis, 1780.)

Walter, *Manuale juris ecclesiastici*, 1 vol. in-8°. E lingua Germanica in Gallicam versum.

II. Ad secundam classem referimus eos qui commentaria dederunt in jus universum, libros Decretalium adamussim per singulos titulos secuti. Præcipui sunt :

Barbosa, *Jus universum*, 3 vol. in-fol. (Natione Lusitanus, vitæ partem præcipuam exegit Romæ, sub Pontificibus Urbano VIII et Innocentio X. Plures tractatus speciales edidit *de Officio Episcopi*, *de Officio Parochi*, *de Canonicis*, *de Causulis et Dictionibus usu frequentioribus; Collectanea Bullarii*, etc., et *Remissiones doctorum qui varia loca conc. Trid. tractaverunt :* quæ duo ultima in Indice librorum prohibitorum a S. Congregatione inserta sunt. Obiit an. 1649.)

Fagnan, *Commentaria in quinque libros Decret.*, 3 vol. in-fol. (Vir juris canonici consultissimus interpres, qui per quindecim annos, munere secretarii functus est in pluribus Congregationibus Romanis. Obiit anno 1678.)

Pirhinc, *Jus canonicum, nova methodo explicatum*, 5 vol. in-fol. (Theologus et canonista e Societate Jesu, qui professoris munus habuit in universitate Dilingana, et libros in commentarium Decretalium edidit an. 1674-1676. Magna cum laude in scholis citatur.)

Em. Gonzalez, *Commentaria perpetua in singulos textus lib. Decretalium*, 4 vol. in-fol. (Professor juris canonici in Salmanticensi academia. Prodierunt hæc commentaria anno 1683.)

Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, 6 vol. in-fol. (Ordinis Minorum S. Francisci, in theologia morali et disciplina canonica peritissimus, magnam obtinuit apud canonistas auctoritatem. Ann. 1700.)

Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum universum*, 5 vol. in-fol. (E Societate Jesu, professor juris in universitate Ingolstadiensi, et Dilingana, canonista eruditione ac methodo in discutiendis quæstionibus conspicuus. Prima editio prodiit anno 1712; recentior Romæ typis mandata est anno 1845, in 10 tomos in-4° distributa. Habentur insuper *Consilia*, seu *Responsa juris*, a Fr. Schmalzgrueber; 2 vol. in-fol.)

Wiestner, *Institutiones canonicæ ad Decretalium Gregorii IX, libros V*, 5 vol. in-4°. (E. Societate Jesu, in eadem universitate Ingolstadiensi professor. Prima editio prodiit an. 1705.)

Leurenius, *Forum ecclesiasticum*, *in quo jus canonicum universum explanatur*, 5 vol. in-fol. (E Societate Jesu, qui per plures annos SS. canonum professoris officium cum laude habuit. Data est editio accurate recognita ab alio theologo ejusdem societatis, Augustæ Vindelicorum, an. 1737. Leurenius aliud opus utile edidit sub eo titulo *Forum beneficiale*, 2 vol. in-fol., et alterum *de Episcoporum vicariis*, 1 vol. in-fol., ubi de vicario generali Episcopi, de capitulo sede vacante, ac de Archidiacono tractat.)

Gibert, *Corpus juris canonici per regulas naturali ordine digestas*, 3 vol. in-fol. (Theologus labore quidem ac scientia commendabilis, qui tamen in multis plus æquo tribuit auctoritati Episcoporum, et juribus regiis in detrimentum jurium Sanctæ Sedis et libertatis Ecclesiæ; quam ob causam caute legendus. Præter *Corpus juris* edidit *Institutions ecclésiastiques et bénéficiales*, 2 vol. in-4°. *Usages de l'Église gallicane touchant les censures et les irrégularités*, 1 vol.; *Consultations canoniques sur les Sacrements*, 12 vol. in-12. 1736.)

Giraldi, *Expositio juris pontificii*. (E congregatione clericorum regularium scholarum piarum, eruditione et judicii gravitate, auctoritatem sibi conciliavit. Non disserit, more aliorum, sed potius exponit jus, ut titulus operis indicat. Constitutiones pontificias quæ jus antiquum confirmant vel

in quibusdam immutant, refert ordine decretalium. Pars secunda libri versatur circa decreta concilii Tridentini. Ann. 1768. Nova hujus operis editio data est Romæ, ann. 1829. Giraldi novam editionem Tractatus Barbosa *de Parocho*, edidit cum animadversionibus et additamentis ex posterioribus constitutionibus SS. Pontificum, et decretis SS. Congregationum, 1 vol. in-fol., Romæ, an. 1831.)

Sunt canonistæ qui in favorem juniorum clericorum *institutiones canonicas* breviori forma ac methodo scholastica ediderunt, imprimis Devoti, Zallinger, et Card. Soglia, cujus opus, sub hoc titulo : *Institutiones juris publici et privati*, 2 vol. in-8°, hac nostra ætate excusum est.

III. Tertio loco nominandi veniunt qui tractatus peculiares de quibusdam quæstionibus juris ecclesiastici evulgarunt, quorum plures in decursu, data occasione, citabimus. Interea non possumus silentio prætermittere nomina in scholis celebriora virorum qui, licet universim non tractaverint de jure canonico, plura tamen et gravissima juris illustrarunt.

Suarez, theologus Societatis Jesu : Tractatus *de Legibus*, *de Censuris* et *Irregularitatibus*, *de Religione*, *de Simonia*, *de Statu religioso; Defensio Fidei catholicæ.*

Benedictus XIV : *Bullarium*, quod complectitur multas Epistolas in forma brevium et constitutionum in quibus Pontifex fusa oratione, et magna eruditione de quæstionibus disciplinæ disserit; *de Synodo diœcesana; Institutiones ecclesiasticæ*, quas ad suum clerum dirigebat dum esset Archiepiscopus Bononiensis; *de Beatificatione et Canonizatione sanctorum*. P. Azevedo synopsim operum Benedicti XIV redegit in 3 vol. in-4.

Card. Petra, *Commentaria ad Constitutiones apostolicas*, 5 vol. in-fol.

Pignatelli, *Consultationes canonicæ*, 10 vol. in-fol. Datum est *Compendium ad consultationes canonicas Pignatelli*,

alphabetico ordine digestum, 1 vol in-fol. Coloniæ, ann. 1723.

Card. DE LUCA, *Theatrum veritatis et justitiæ,* in quo sunt discursus de plerisque materiis juris ecclesiastici. 15 v. in-fol.

HALLIER (Episcopus Cabbelicensis in Gallia). *De Sacris Electionibus et Ordinationibus*, 1 vol. in-fol.

CABASSUTIUS, *Juris canonici theoria et praxis*, 1 vol. in-4.

GARCIA (Hispanus, Ecclesiæ Abulensis canonicus). Tractatus *de Beneficiis*, 1 vol. in-fol., an. 1658.

PYRRHUS CORRADUS (Eccl. Neapolitanæ canonicus). *Praxis dispensationum apostolicarum; Praxis beneficiaria*, 2 vol. in-fol., 1717.

LA LUZERNE, *Droits et Devoirs respectifs des évêques et des prêtres*, in-4°.

FERRARIS, *Bibliotheca canonica, moralis...* in qua per ordinem alphabeticum innumeras quæstiones disciplinæ canonicæ resolvere satagit. Editionem recens datam a PP. Benedictinis Montis Cassinensis, typis mandavit D. Migne, ann. 1856. 8 vol. in-4°.

RIGANTI, *Commentaria in regulas Cancellariæ*, 4 v. in-fol.

MONACELLI, *Formularium legale, practicum*, 4 vol. in-fol., Romæ, 1723.

IV. His auctoribus qui speculative, juxta principia juris et sacros canones, disseruerunt de sacris disciplinis, juvat et quosdam addere qui historicis monumentis quæstiones elucidare conati sunt. Non enim sufficit canonum verba tenere, ad interpretationem et sapientem applicationem legis, verum necesse est recurrere ad origines rerum, et exploratas habere traditiones priorum sæculorum unde plura instituta derivarunt; cognoscere circumstantias temporum et morum quibus concilia et SS. Pontifices decreta condiderunt, attento animo considerare quomodo varia instituta secum concilientur, in eumdem finem conspirent, aut cur advenerint mutationes disciplinæ... porro hæc cuncta sine quibus nemo veram scientiam juris acquiret, sola historia detegit.

Inter scriptores, qui sub hoc respectu auxilium præstare possunt canonistis, citabimus collectores conciliorum generalium, Labbe, Harduinum, Coletti, et Mansi, qui multa historice referunt occasione conciliorum, monumenta consignant gravissimi momenti, et notis eruditis plura obscura antiquitatis ecclesiasticæ illustrarunt. — L. Du Mesnil, *Doctrina et Disciplina Ecclesiæ ipsis verbis veterum monumentorum exposita*, 4 vol. in-fol. — P. Thomassinum : *Vetus et nova Ecclesiæ Disciplina*, 3 vol. in-fol. — Natalem Alexandrum : *Historia Ecclesiastica*, ed. Venet. cum notis et animadversionibus Roncaglia, et Dom. Mansi, 9 vol. in-fol., ann. 1771. — Selvagio : *Antiquitatum christianarum Institutiones*, 3 vol. in-4°. — Gohard : *Traité des bénéfices*, 5 vol. in-4.

Hos tamen auctores non sic commendamus, ut ab omni nævo immunes reputari omnes debeant. Sive hos sive alios legerimus, suadet prudentia ut, regulas critices servando, consideremus an monumenta citata vere probent an scriptor non se prodat quibusdam præjudiciis scholæ præoccupatum; narrationes enim historicas, cum historicis commentariis, non debemus sine delectu excipere; quod de aliis etiam scriptis canonistarum notandum volumus.

His Prolegomenis datis, aggredimur *Prælectiones* juris ecclesiastici quas, ut in certam methodum redigamus, in quatuor partes distribuimus : 1ª erit *de statu generali, atque regimine Ecclesiæ,* ubi præcipuas quæstiones juris publici tractare nobis proponimus; 2ª *de personis quibus coalescit Ecclesia*, clericis nempe, regularibus et laicis; 3ª *de rebus sacris;* 4ª demum *de delictis, judiciis et pœnis*.

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

PARS PRIMA

DE STATU ET REGIMINE ECCLESIÆ

Notavimus in ipsis prolegomenis jus ecclesiasticum in duplicem partem dividi : nempe in jus *publicum* quo determinantur societatis christianæ, et rectorum qui in ea potestatem gerunt, jura atque officia; et *jus privatum* quo definiuntur obligationes individuorum. Hæc non ita quidem alia ab aliis separantur ut possint semper seorsim exponi; imo sæpe series connexioque intima rerum postulant ut simul tradantur. Verumtamen multa sunt juris publici quæ natura duce præcedere debent, ea præsertim quæ statum regimenque generale Ecclesiæ complectuntur; inde siquidem vis et œconomia disciplinæ canonicæ apertius innotescit, occasio datur

quæstiones gravissimas discutiendi ad stabilienda jura Ecclesiæ, via paratur explanationi sanctorum canonum.

Quo faciliori methodo hæc cuncta disponantur, dicemus in prima nostrarum *Prælectionum* parte, quæ tractabit de statu et regimine generali Ecclesiæ, 1° de forma constitutiva Ecclesiæ; 2° de jurisdictione summi Pontificis in Ecclesiam universalem ; 3° de jurisdictione Patriarcharum, Primatum et Metropolitanorum; 4° de jurisdictione Episcoporum in Ecclesias particulares, seu diœceses ipsis commissas; 5° de synodis collectis ad tractandum de negotiis Ecclesiæ universalis, vel Ecclesiarum particularium; 6° de officio parochorum et aliorum ministrorum Ecclesiæ in ordine inferiori. 7° Demum corollaria generalia deducemus de duplici hierarchia ordinis et jurisdictionis, de adeptione jurisdictionis, et de regulis præscriptis ut servetur debita subordinatio in exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ.

SECTIO I[a]

DE FORMA CONSTITUTIVA ECCLESIÆ, ET RELATIONIBUS ECCLESIÆ CUM SOCIETATE CIVILI.

60.— Philosophicis ratiociniis procedere non expedit, dum inquiritur vera constitutio Ecclesiæ, sed ante omnia recurrendum est ad sacras Scripturas et ad constantem traditionem societatis christianæ; est quippe Ecclesia institutum non ingenio hominum excogitatum, sed divina ordinatione formatum : « Quæ autem, ait S. Thomas, ex sola Dei voluntate « proveniunt, supra omne debitum naturæ, nobis innotescere « non possunt, nisi quatenus revelata sunt. » (Part. I, quæst. 101, art. 1.)

In tractatu theologico *de Vera Religione* et *de Ecclesia Christi*, demonstratur Christum Dominum instituisse societatem externam ad finem usque mundi permansuram, et in hac societate constituisse potestatem docendi, sacra administrandi, et regendi fideles, quam beatissimo Petro et Apostolis demandavit, ipsi collatis clavibus regni cœlorum.

Hæc certa apud omnes catholicos iterum probare non aggredimur, sed compendiose in memoriam revocamus, ut inde concludatur quæ sit forma constitutiva Ecclesiæ, quali independentia donetur in suo interno regimine; et tandem quibus mutuis relationibus societas temporalis et spiritualis, uniri possint ac debeant.

61. — 1° *Quæ præcipua systemata excogitata fuerint contra genuinam notionem constitutionis Ecclesiæ?*

1° Memorare necesse non est errorem rationalistarum, qui, cum non admittant revelationem christianam, habent consequenter Ecclesiam uti institutionem humanam, nulla divina constitutione firmatam.

2° Alia est ratio hæreticorum. Sæculo decimo quarto Marsilius Patavinus, addictus partibus Ludovici Bavariæ, qui contra auctoritatem Joannis XXII pseudopapam fecerat sub nomine Nicolai V, librum composuit in favorem schismatis. In hoc scripto, cui titulus *Defensor pacis*, probare contendit omnia jura publicæ auctoritatis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, penes communitatem esse, quæ pro suo arbitrio illa imperatoribus impertitur in statu monarchico, ut et ipsi Episcopis committant quæ ordinis spiritualis sunt. Episcopi habent quidem vi ordinationis characterem sacramentalem qui idem est in omnibus; jurisdictionem vero qua alii aliis præsunt, accipiunt a principe sæculari. Joannes XXII proscripsit opiniones Marsilii, uti erroneas, scandalosas et hæreticas. (Baronius, *Annal.* an. 1327.)

Systema Marsilii iterum ex parte propugnavit, sæculo decimo sexto, Richer doctor et syndicus facultatis theologiæ universitatis Parisiensis, in libro *de Ecclesiastica et Politica Potestate*. Commotus excessibus quorumdam monachorum, qui prærogativas Sedis Apostolicæ publicis thesibus nimium exaggerasse ipsi videbantur, in partem extremam deflexit. Asseruit nimirum : 1° omnem communitatem perfectam habere jus impræscriptibile seipsam regendi, a quo jure profluunt omnes prærogativæ rectorum qui, quocumque titulo, societati civili et religiosæ præsunt ; 2° Christum claves prius, immediatius, atque essentialius toti Ecclesiæ dedisse quam Petro ; « Quando quidem, ait *Richer*, tota jurisdictio « ecclesiastica primario, et proprie Ecclesiæ convenit, Ro- « mano autem Pontifici, atque aliis Episcopis, instrumenta-

« liter, ministerialiter, et quoad executionem tantum; » 3° leges, a Pastoribus latas, ut actu obligent, a populo approbari et recipi necesse esse; quamobrem, concludit quod « Ecclesiastici christianos sibi subditos invitos, dissentientes, « aut repugnantes, obligare nequeunt. » Librum Richerii condemnavit concilium provinciæ Senonensis, an. 1612 et provinciæ Aquensis : proscriptus etiam fuit a Sancta Sede. Eosdem errores amplexi sunt, sæculo proxime elapso, Jansenistæ quorum sequentem propositionem, primo a Quesnellio assertam deinde in synodo Pistoriensi renovatam, proscripsit Pius VI in bulla *Auctorem fidei* : « Potestas a Deo « data est Ecclesiæ ut communicaretur pastoribus qui sunt « ejus ministri pro salute animarum. »

Ex illo systemate Marsilii, quod Luther aliique communius Protestantes adoptaverunt, orta est dominatio regum Angliæ in res omnes ecclesiasticas suæ ditionis, et cuncta quæ perpetraverunt in detrimentum Ecclesiæ non alio principio tuebantur. « Tous ces attentats (*aiebat* Bossuet) étaient « fondés sur la maxime dont le parlement d'Angleterre s'était « fait un article de foi, qu'il n'y avait pas de juridiction, soit « séculière, soit ecclésiastique, qui ne dût être rapportée à « l'autorité royale comme à sa source..., ce qui est, sans « contredit, la plus inouïe et la plus scandaleuse flatterie qui « soit tombée dans l'esprit des hommes. » (*Histoire des variations*, liv. V, n. 44, 76.)

Alii præterea novatores subvertere conati sunt divinam Ecclesiæ constitutionem, negando dogma catholicum primatus Sanctæ Apostolicæ Sedis, uti Græci schismatici; vel ipsum episcopatum destruendo, uti Calvinistæ; aut tandem aristocratiam in ordine episcopali inducere tentando.

3° Politici plures abstrahunt, tum a systemate rationalistarum, tum ab erronea doctrina hæreticorum, et sub alio respectu gravem injuriam Ecclesiæ inferunt, libertatem illius regiminis impetendo. Volunt scilicet sæcularis Principis impe-

rio subordinatum fore exercitium omne jurisdictionis ecclesiasticæ, in iis quæ referuntur ad ordinem publicum, et societatem civilem quoquo modo afficiunt. Tribuunt igitur magistratui sæculari potestatem, non solum cohibendi abusus nocivos ordini publico, si qui committantur, sed illos præcavendi, v. g., nominando pastores, impediendo ne præsules in concilium conveniant, ne leges novas a Sancta Sede vel a conciliis promulgatas recipiant, etc., non obtento prius placito gubernii civilis; jus exclusivum principi tribuunt resolvendi dubia quæ oriuntur circa res mixtas, seu quæ simul utrumque ordinem civilem et religiosum attingunt. Sensum horum politicorum sic aperiebat Portalis in Cœtu legislativo, occasione concordati initi anno 1801 : « L'unité de la « puissance publique et son universalité sont une conséquence « de son indépendance. La puissance publique doit se suffire « à elle-même, elle n'est rien si elle n'est pas tout. Les mi- « nistres de la religion ne doivent pas avoir la prétention de « la partager, ni de la limiter... Il est dans l'intérêt des « gouvernements de ne point renoncer à la direction des « affaires religieuses. Ces affaires ont toujours été rangées, « par les divers codes des nations, dans les matières qui « appartiennent à la haute police de l'État. » — « Dès qu'il « y a un intérêt social engagé (*ait* Laboulaye), la puissance « publique est seule maîtresse et seule juge du parti à pren- « dre. » (Portalis, *Discours*, pag. 19, 87; — Laboulaye, *de l'Église catholique et de l'État*, pag. 18.)

4° Nonnulli scriptores catholici, ut hos scopulos efficacius vitarent, et sarta tectaque maneret independentia Ecclesiæ, expetierunt, his recentioribus temporibus, Ecclesiam ab imperio civili omnino separari, ut in Statibus Fœderatis Americæ, et abrumpi concordata Sanctæ Sedis cum guberniis sæcularibus. Nihil, juxta illos melius, nihil perfectius excogitari potest, quam si plena libertas omnibus æquali jure asseratur ex parte gubernii, adeo ut gubernium non alia ra-

tione se ingerat in negotia religionis quam tuendo hanc libertatem contra nefarios insultus, sicuti in aliis quibusve negotiis et institutis, libertatem civium contra omnem violentiam tuetur.

Quid sentiendum sit de expositis opinionibus dicemus in solutione quæstionum subsequentium.

62. — II° *Quibusnam concredita sit, jure divino, potestas sacerdotii et regiminis in societate Christi fidelium?*

Omnis potestas sacerdotii et regiminis in ordine religioso, procedit a Christo Domino, et ab ipso concredita est sancto Petro et Apostolis, ad finem usque mundi permansura in illorum successoribus, nempe in Romano Pontifice, et Episcopis sub ejusdem R. Pontificis autoritate.

Christus dixit Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis... Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ad cæteros autem omnes Apostolos Petro consociatos : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis... Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo.*

En origo prima et radix potestatis spiritualis, quæ simul includit magisterium doctrinale, sacerdotium, atque disciplinæ auctoritatem. Christus Apostolis commendat officium docendi, non unam seu alteram, sed omnes gentes omnia quæ tradiderat ipsis; eosdem sacerdotes constituit novi Testamenti ad sacrorum mysteriorum dispensationem, ut sacrificium offerrent, et fideles pascerent sacramentis; tandem sacrum regimen communitatis fidelium ipsis committit, ad informandum suam Ecclesiam salutari disciplina, cum jure in fratres delinquentes animadvertendi. Hunc in finem,

Apostolis, tanta auctoritate vestitis promisit assistentiam perpetuam Spiritus sancti, cum certa sanctione judiciorum quæ proferent; quæcumque enim alligabunt, aut solvent super terram, erunt ligata, aut soluta et in cœlo.

Maxime autem attendendum est Christum, ut provideret unitati regiminis, ex duodecim Apostolis unum prius elegisse, angularem lapidem, et sub ipso Christo fundamentum quo totum solidatur Ecclesiæ ædificium, et cui modo absoluto claves regni cœlorum, quæ sunt symbolum supremæ auctoritatis, tradidit : *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Apostolis quidem omnibus largitus etiam est potestatem alligandi et solvendi, peccata remittendi et retinendi : verum, uti docte notat *Bossuet*, primum illud verbum *tibi dabo claves... quodcumque ligaveris...* uni dictum, hoc ipso sub ejus potestatem redegit cæteros quibus postea dicturus erat : *quæcumque alligaveritis...* Quod enim semel indefinite et universe datum est, irrevocabile est : præterquam quod partitio auctoritatis suam secum affert restrictionem; contra vero potestas quæ et uni, et super omnes, et sine ulla exceptione datur, infert plenitudinem. (*Sermon sur l'Unité de l'Église.*) Ergo Petro commissæ sunt præcipuæ partes in regimine Ecclesiæ; munus et officium accepit totam gubernandi societatem Christi fidelium, docendi nempe, confirmandi, et pascendi, tum singulos agnos et oves, tum universum gregem, adeoque potitur primatu jurisdictionis. « A Christo, ait S. Leo Magnus, Petrus « unus eligitur qui et omnibus Apostolis cunctisque Eccle« siæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sint « sacerdotes multique pastores, omnes tamen proprie regat « Petrus, quos principaliter regit et Christus. » (Sermo III, *in die suæ assumpt.*)

Hæc fuit constans traditio societatis christianæ, quam gravissimis antiquitatis monumentis innixam theologi probant in tractatu *de Ecclesia*.

63. — III° *Utrum potestas spiritualis pastorum sit suprema*

in suo ordine, independens nimirum tum a communitate fidelium, tum a principe sæculari?

I. Potestas Petro et Apostolis tradita omnino independens est a communitate fidelium.

Verba Christi quæ modo protulimus, et quæ sunt fundamentum jurisdictionis atque testimonium authenticum divinæ ordinationis, diriguntur immediate ad Apostolos, neutiquam vero ad communitatem fidelium : ergo fideles nullam in exercitio hujus jurisdictionis partem habent. Re quidem vera, homines nondum baptizati nullo jure potiuntur in regimine Ecclesiæ; sunt tantum auditores verbi, si gratiam regenerationis a pastoribus sollicitent. Sacramentum autem quo regenerantur et cooptantur in corpore Ecclesiæ, non aliud per se confert quam, una cum gratia sanctificante et sacro charactere, jus passivum sacramenta recipiendi et participandi bonis communibus : imponit obligationem obtemperandi pastoribus, nullum dat titulum quo fidelis valeat se immiscere illorum administrationi. Quod si nullus fidelium ullum jus in sacro regimine assequatur vi sui baptismi, nec communitas ipsa hoc sibi vindicare potest; nam alia jura non habet quam quæ membris quibus coalescit acquisita sunt.

Id confirmat praxis Apostolorum et Ecclesiæ a primævis sæculis ad nostram ætatem. Apostoli sic se in usu jurisdictionis spiritualis gesserunt, ut plenam a Deo auctoritatem habentes in universam societatem fidelium, cum omnimoda ab eis independentia. Non convocant plebem ad concilium, sed ipsi decreta per manus Pauli et Barnabæ annuntiant, ut iis obediat; non plebis nomine, sed nomine Jesu Christi suo ministerio funguntur; nullibi apparet ne vestigium quidem necessitatis obtinendi suffragia plebis christianæ, illiusve præsumptum consensum, ut valeant actus potestatis... Non alium modum servaverunt pastores qui, hæreditaria transmissione, in locum Apostolorum venerunt; quoties enim

actum est de edenda professione fidei contra hæreses, seu de condendis legibus disciplinaribus, rem ipsi omnem perfecerunt, nullatenus admissa communitate ad deliberandum.

Ergo multum a veritate alieni sunt, qui dicunt potestatem primo collatam fuisse societati fidelium, ut per ipsam pastoribus communicaretur; quapropter Pius VI propositionem in qua dicebatur *a communitate in pastores derivari ecclesiastici ministerii et regiminis potestatem*, proscripsit ut hæreticam. (Bull. *Auctorem fidei*, pp. II.) Sanctus Augustinus frequenter quidem dixit unitatem Ecclesiæ claves accepisse, sed sensu valde diverso a systemate novatorum[1]. « Inter hos (Apostolos), ait eximius ille doctor, pene ubique « solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. « Nam propter ipsam personam quam totius Ecclesiæ solus « gestabat, audire meruit : *Tibi dabo claves regni cœlorum*. « Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Eccle- « siæ. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni « cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus « Apostolis suis : *Accipite Spiritum sanctum*. Et continuo : « *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei*. » (Sermo 295, *in nat. Apostolorum Petri et Pauli;* alias 108.) Ergo id solum intendit S. Augustinus, beato Petro non sibi soli, sed in favorem Ecclesiæ universalis et unitatis, datas esse claves.

64. — II. Potestas sacri regiminis est etiam independens a principe sæculari.

Ex dictis modo princeps sæcularis, si catholicus sit, et societati catholicæ præsit, non potest eo titulo se ingerere in regimine Ecclesiæ, cum plebs christiana cujus vicem ageret omni potestate in ordine supernaturali destituatur. Nunc vero ad principem respiciendo, quatenus partes sustinet

[1] Cf. Lefranc de Pompignan, *Défense des actes de l'Assemblée du clergé de France*, 2e partie, chap. III et IV.

societatis politicæ, dicimus illum, hac etiam ratione, non posse jura sibi vindicare in res ecclesiasticas, quod probatur tum auctoritate, tum ratione.

1° Auctoritate. Christus Apostolis concessit potestatem quam ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quemadmodum igitur Christus accepit potestatem plenam, summam, nulli principi sæculari obnoxiam, ad regendum societatem spiritualem; ita et Apostoli missi sunt ut suam auctoritatem cum eodem jure exercerent in Ecclesiam. — Hac divina ordinatione suffulti Apostoli societatem christianam propagaverunt per orbem universum, gubernaverunt legibus disciplinaribus, et ministrorum institutione, cum plena libertate a sæcularibus guberniis. — Eamdem libertatem, uti certam legem, Dei institutione fundatam, omnes catholici constanter habuerunt, ab exordiis Ecclesiæ nascentis ad nostram usque ætatem. Notissima sunt, et apud omnes doctores accepta verba quibus Osius Cordubensis imperatorem Constantium removere studuit ne se immisceret regimini Ecclesiæ : « Ne te misceas rebus ecclesiasticis, nec « nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius « ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica « concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit « Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ad te ecclesiastica « pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, « quæ Cæsaris sunt Cæsari, et quæ Dei sunt Deo. Neque igitur « nobis terræ imperare licet, neque tu adolendi potestatem « habes. » (Apud S. Athanasium, *Historia Arianorum ad Monachos*, n° 44, ed. Bened., t. I, p. 371.) Non aliter dixerunt sanctissimi præsules, quoties sermonem habuerunt de prærogativis Ecclesiæ, et de mutuis ad invicem relationibus utriusque societatis. Eadem reperimus in conciliis, quorum unius solummodo testimonium citabimus, nempe Constantinopolitani quarti, quod octavum venit inter œcumenica. Universalis hæc synodus statuit ne principes, aliive potentes,

sibi aliquod jus arrogent in electione patriarchæ, vel metropolitæ, aut cujuslibet alterius episcopi; « præsertim cum « nullam in talibus potestatem quemquam principum, vel « aliorum laicorum habere conveniat, sed potius silere ac « attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiæ « suscipiat finem futuri Episcopi electio. » Can. XXII.

Sanctorum Patrum et conciliorum traditiones ita paucis comprehendit *Bossuet* : « Dans les affaires ecclésiastiques, la « puissance royale ne fait que seconder et servir. Dans les « affaires, non-seulement de foi, mais de discipline, à l'Église « la décision ; aux princes la défense, la protection des ca- « nons. » (*Politique sacrée*, liv. VII, art. 5, pp. II.)

2° Ratione. Potestas gubernii civilis, non ad alia protenditur, ipsamet sua origine et natura rerum, quam ad ea quæ statum temporalem, pacem publicam, commercium rerum mundanarum, agriculturam, politiam civitatum, etc., respiciunt, neutiquam vero ad ea quæ sunt ordinis supernaturalis; ergo nulla jura debet sibi adscribere in doctrinam fidei, neque in cultum publicum, neque in regimen societatis spiritualis.

Politici fidenter invocant principium unitatis supremæ potestatis in quavis societate, ut concludant regimen ecclesiasticum esse subordinatum potestati principis sæcularis. Fatemur unicam esse supremam potestatem in suo ordine; quid vero obstat quominus duplex sit in iisdem etiam regionibus ordo socialis, essentialiter unus ab altero distinctus, unus societatis religiosæ, alter societatis temporalis? Admissa varietate et distinctione duplicis societatis, nihil etiam obstat quin duplex agnoscatur potestas suprema, quarum una præsit ordini civili, altera ordini religioso, utraque summa. Sunt finis, media, relationes, magistratus, diversa : erit consequenter duplex potestas legislativa, quæ in suo foro, rerum suæ competentiæ curam habebit; quod Gelasius Papa sic enuntiabat in sua epistola ad Anastasium : « Duo « sunt, imperator auguste, quibus PRINCIPALITER hic mundus

« regitur, auctoritas sacra pontificum et regalis potestas. » (Cap. *Duo sunt*, 10, dist. 96.)

Instant objiciendo quod princeps, quatenus jure naturali præpositus ordini publico, cavere possit ac debeat ne respublica et privati detrimentum patiantur occasione religionis; ne pastores pacem publicam perturbent, ne sub prætextu boni spiritualis dissidia in societate temporali moveant ; unde concludunt necesse esse ut princeps potestate principaliori ac suprema polleat invigilandi in ipsa negotia religionis, mediis non tantum repressivis, sed etiam præventivis ad illa pericula removendum, alias non sufficienter bono publico provisum erit ; hoc autem jus cavendi, inquiunt, excludit plenam independentiam quam societati spirituali vindicamus.

Si valeat argumentum politicorum, principi sæculari omnimoda potestas erit in ordine religioso ; et allegata ratione securitatis publicæ, libertatem fidei, cultus atque regiminis poterit penitus adimere societati religiosæ, hæc cuncta suo arbitrio subjiciendo. Dicet etenim sua interesse ne dogmata definiantur, ne damnentur novitates contra fidem catholicam, ne proscribantur quidam libri, ne fiant immutationes in disciplina, ne cogantur antistitum synodi, etc., etc., se non consulto et assentiente ; quoniam forte ex his actibus jurisdictionis spiritualis enascentur disputationes nocuæ, animi commovebuntur, pax publica in discrimen adducentur... Porro catholici nulla ratione illud admittere possunt, cum sit evidenter subversivum divinæ ordinationis; ergo falsum est principium a politicis invocatum.

Iidem politici nolunt clerum se ullo modo immiscere regimini societatis, quod invasionem juris publici dicunt ; in hoc autem male sibimet consentiunt ; nam clerus eadem argumenta, mutatis terminis, merito proferre potest ad sibi vindicandum potestatem cavendi ne religio quid detrimenti patiatur ex legibus civilibus, ex magistratuum sententiis, aliisque negotiis temporalibus ; nemo quippe catholicorum

ignorat pastoribus officium esse commissum curandi de ordine spirituali.

Quid ergo? Sua sint utrique societati jura propria. Quemadmodum Ecclesia plenam libertatem res temporales gerendi, intra limites divinæ ordinationis, guberniis civilibus inesse agnoscit, licet quandoque inde incommoda sequantur; sic et gubernia plenam dimittant libertatem Ecclesiæ sua negotia tractandi, nec curent si quæ incommoda forte, si quæ animorum commotio, occasione exerciti juris legitimi, enascantur in societate. Multo certe gravius imminet periculum, et societates majus detrimentum patiuntur, ubi sub specie cavendi mala mere possibilia, præfocatur libertas religionis et omnia jura permiscentur.

65. — IV° *Utrum et quatenus potestas temporalis subordinetur potestati ecclesiasticæ in ordine spirituali?*

Potestas temporalis, quamvis suprema sit in ordine rerum sæcularium, subordinatur potestati Ecclesiæ in ordine spirituali, eo sensu quod Ecclesia jure valeat docere principes, non secus ac privatos, quid lege divina permissum sit aut vetitum ; præcipere principibus, si tamen christiani sunt ut supponimus, ut hanc legem observent in usu rerum temporalium et exercitio potestatis suæ ; in illos animadvertere qui jus divinum obstinate transgrediuntur ; ac demum dubia, si quæ suboriuntur circa competentiam utriusque fori, judicio dogmatico definire.

Cum duæ societates, spiritualis et temporalis, a Deo processerint, et ea quæ a Deo sunt, ordinata sint, ut dixit S. Paulus, necesse est ut una alteri subordinetur quæ auctoritatem præcellentiorem habet, utpote quæ sola jus acceperit a Deo omnes gentes docendi leges divinas, earumdem legum observantiam urgendi, fines ordinis naturalis et supernaturalis definiendi ; ea enim subordinatione cuncta moderantur, stabilitur concordia inter utramque societatem, præcaventur periculosæ concertationes, quantum patitur humana conditio. Atqui :

1° Primis pastoribus data est potestas docendi, cum privilegio assistentiæ supernaturalis sancti Spiritus, leges divinas seu naturales seu positivas quibus omnia officia continentur, non ea solummodo quæ vitam privatam, sed ea insuper quæ vitam publicam et exercitium summæ jurisdictionis temporalis in societatem civilem, spectant, nisi quis putaverit, vel hæc ultima omnino subtrahi legi divinæ quod absurdissimum dictu foret, vel ad ea non extendi auctoritatem doctrinalem Ecclesiæ, quod apertissime contradicit Evangelio : *Docete omnes gentes omnia quæ mandavi vobis.*

2° Iisdem pastoribus datæ sunt claves regni cœlorum ut summa auctoritate regant in ordine ad salutem omnes, ne exceptis ipsis principibus, qui sacramento regenerationis Ecclesiæ sunt cooptati. Modo dicebamus rationi et sensui communi repugnare quod nihil sit provisum lege divina de exercitio potestatis sæcularis, sed cuncta voluntati arbitrariæ principum dimitti, principes posse innocue transgredi, quatenus principes, leges divinas quibus subduntur quatenus viri privati ; igitur si per baptismum sint Ecclesiæ membra, poterit utique Ecclesia ipsis indicere ut mores suos regimenque societatis componant ad præscriptum legis divinæ, agendo quæ vi hujus legis imperata sunt, præcavendo quæ vetita. Hinc Innocentius III scribebat ad imperatorem Constantinopolitanum, anno 1198 : « Debitum officii pastoralis « exequimur cum obsecramus, arguimus, increpamus, non « solum alios, sed et imperatores et reges, opportune et im- « portune, et ad ea studemus adducere quæ divinæ sunt « placita majestati. » (Cap. *Solitæ*, 6, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.)

3° Jus coercendi pœnis canonicis inobedientes et contumaces, sequitur e potestate docendi atque regendi; quamobrem dubitari nequit quin Ecclesia animadvertere valeat in principes christianos qui suo jure abutuntur contra divinas præscriptiones, uti S. Ambrosius olim divinis officiis interdixit

imperatorem Theodosium ob violentam necem Thessalonicensium. Non semel primi pastores similiter pœnis canonicis affecerunt magistratus qui suæ auctoritatis fines excesserant cum detrimento Ecclesiæ, quod rite factum fuisse non abnegat ipse *Fleury*. « Pour soutenir, *inquit*, l'indépendance des sou« verains on a donné en divers excès. Plusieurs ont soutenu « qu'ils ne peuvent pas être excommuniés... On a soutenu « même que les officiers des rois ne peuvent pas être excom« muniés pour le fait de leur charge, comme s'ils ne pou« vaient pas y excéder. » (*Discours sur les libertés de l'Église Gallicane*, nº 5.) Quæ sint illæ pœnæ canonicæ quibus Ecclesia principes aliosve fideles afficere valet, suo loco dicetur ubi de *Pœnis;* nihil autem obstat quominus in societate christiana aliæ pœnæ temporales, etiam graviores, moribus publicis, voluntate gentis, seu pactis fundamentalibus, vel politica constitutione, pœnis canonicis superadditæ sint, ut ibidem notabitur.

4º Ad Ecclesiam pertinet ut summo judicio definiat dubia exorta circa competentiam fori spiritualis et temporalis in casu conflictus. Summa nimirum auctoritate potitur ad docendum quousque extendantur jura spiritualia sibi divinitus commissa, ac consequenter qui sunt fines jure divino præfiniti utrique societati. Princeps sæcularis, si christianus sit, tenetur obtemperare judicio Ecclesiæ, quia non ipsi sed Petro et Apostolis Dominus noster demandavit officium declarandi ea quæ divina revelatione continentur, et simul interpretandi quæstiones de natura, extensione, applicatione practica jurium spiritualium societatis christianæ. Quæ autem sit doctrina Ecclesiæ manifestatur, cum dogmaticis definitionibus si quæ prodierint, tum disciplina generali, modo aliunde certo constet hanc disciplinam institutam fuisse jure proprio Ecclesiæ, non ex assensu expresso aut tacito principum sæcularium, in certis negotiis mixtis quæ pontifices et principes mutua concessione ordinaverint in bonum commune utriusque societatis.

Hæc igitur est subordinatio ordinis temporalis ordini spirituali de qua Bonifacius VIII dixit : « Oportet temporalem auc-« toritatem spirituali potestati subjici. Nam, cum dicat « Apostolus : *Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a* « *Deo ordinata sunt*, non autem ordinatæ essent nisi gladius « (temporalis) esset sub gladio (spirituali); et tanquam infe-« rior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum « B. Dionysium, lex divinitatis est infima per media in su-« prema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia « æque ac immediate, sed infima per media, et inferiora per « superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem et « dignitate et nobilitate terrenam quamlibet præcellere potes-« tatem, tanto clarius nos fateri oportet quanto spiritualia « temporalia antecellunt. » (Cap. *Unam sanctam*, 1, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, Extravag. comm.)

De jure absoluto egimus : quam autem temperate eo utatur Ecclesia; quam provida ratione illius exercitium accommodet temporum conditioni atque necessitatibus, ut bono communi consulat, et potestatem quam accepit exserat ad ædificationem, non ad destructionem, nullus e catholicis ignorat.

66. — V° *Quæ sint ex dictis relationes utriusque potestatis; quomodo sibi invicem mutuam opem præstent in bonum commune, et quousque expediat Ecclesiam a potestate sæculari adjuvari in exercitio suorum jurium ?*

I. Sequitur ex dictis utramque potestatem esse ab invicem distinctam cum suis propriis juribus et officiis, et in suo ordine supremam, ut audivimus a Gelasio, quod et Nicolaus I his verbis inculcabat alloquendo imperatorem Michaelem : « Christus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis of-« ficia potestatis utriusque discrevit propria, ut... pontifices « pro cursu temporalium rerum legibus imperialibus uteren-« tur..., ac vicissim non ille divinis rebus præsidere videre-« tur qui esset negotiis sæcularibus implicatus. » (Cap. *Quoniam*, 8, Dist. 10.)

Cum itaque Ecclesia ordinetur ad finem supernaturalem, ea quæ ad hunc finem directe referuntur, qualia sunt, v. g., prædicatio fidei, sacramentorum dispensatio, ordinationes cultus divini, leges disciplinares ad informationem morum et hierarchiæ observantiam, attinent ad potestatem Ecclesiasticam proprio jure.

Cum vice versa societas civilis destinetur ad finem temporalem, ea omnia quæ ex se directe ad finem mere temporalem respiciunt, adeo ut non habeant nisi per accidens relationem ad ordinem spiritualem, qualia sunt, v. g. cultura agrorum, commercium humanum, administratio politiæ, tribunalium, et exercitus, pacta politica seu commercii inter gentes, etc., subduntur potestati sæcularis gubernii.

Si quæ sint res quæ ad utrumque finem, sub diverso respectu, immediate referuntur, ad utriusque regiminis provinciam attinent. Quivis fidelis hunc duplicem respectum habet : qua christianus, regitur a pastoribus Ecclesiæ; qua civis, a magistratibus sæcularibus.

Attenta consideratione finis respectivi rerum vitatur periculosissima potestatum confusio quam plures induxerunt, falsa notione *spiritualitatis* et *temporalitatis*, dum alii omnes res externas, et externum reipublicæ statum quoquomodo afficientes, etiam indirecte et accidentaliter, attribuendas voluerunt gubernio principis civilis; alii vero Ecclesiæ adscripserunt res omnes quæ quocumque modo conscientiam pertingere possunt vel ad statum religionis conferre. (N° 61.)

Notandum tamen non sufficere ad determinandum respectivas attributiones Ecclesiæ, nudam considerationem finis proximi, nisi simul habeatur ratio prærogativarum quas Christus Ecclesiæ contulit. Admissa possibilitate et existentia ordinis supernaturalis, nemo diffiteri debet quin Christus potuerit quasdam res ad cultum sacrum, seu ad informandam conscientiam propius conducentes, exclusive committere religionis ministris, uti alibi dicetur de contractu naturali

matrimonii quem ad sacramenti dignitatem evexit: quæ autem hac divina Christi ordinatione continentur, princeps sæcularis non potest pro libitu sibi retinere.

67. — II. Utraque societas debet ita mutuam opem sibi invicem dare, ut bonum utriusque promoveatur; adeoque valde optandum fœdus sacerdotium inter et imperium.

Gregorius XVI litteris encyclicis *Mirari vos,* datis 15 aug. 1832, hos improbat « qui Ecclesiam a regno separari, mu- « tuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi « cupiunt... quæ semper rei sacræ et civili fausta extitit et « salutaris. » Re quidem vera, quod civili imperio deest, auctoritatem scilicet spiritualem quæ intimos pectoris sensus afficit, secretas fraudes inhibet, perversa consilia prævenit aut concepta removet, venerationem inspirat, atque corda ad obsequium debitum inclinat, hoc supplet religio. Vicissim princeps sua potestate, per pœnas exteriores, et ordinis publici tuitionem, repellit ab Ecclesia exterorum insultus, et disciplinam Ecclesiæ munit, contra censurarum contemptores; sic mutuam opem sibi societas spiritualis et societas temporalis conferunt, atque ex illo fœdere inter utramque, efficacius procuratur bonum publicum. « Res omnes, aiebat olim « Yvo Carnutensis, non aliter bene administrantur, nisi quum « regnum et sacerdotium in unum convenerint consilium. » (Epist. 41.)

68. — III. Hæc nobis viam parant ad solutionem alterius partis quæstionis propositæ, scilicet, quousque expediat Ecclesiam juvari a potestate sæculari in exercitio suorum jurium. Omnes quidem admittunt partes gubernii civilis esse ut tueatur Ecclesiam, sicuti alia instituta publica, et causas etiam privatorum contra violentos agressus; sed quæritur an Ecclesia possit, imo unquam potuerit, illæso jure naturali, invocare in sui patrocinium auxilium brachii sæcularis contra hæreseon propagationem et contra schismaticos, ut pœnis coercerentur ac reducerentur ad unitatem. Plures id negant

quia juxta illos potestas sæcularis nulla ratione debet se ingerere in negotia ordinis supernaturalis, et omnibus civibus jure naturali debetur libertas opinionum, conscientiæ et cultus. Hinc exprobrant Ecclesiæ quod voluerit in sæculis præteritis præfocare libertatem in materia religionis. Inter ipsosmet catholicos non una est omnium sententia circa libertatem politicam in negotio religionis, de quo nonnulla sunt animadvertenda.

1° Licet potestas sæcularis ad finem temporalem sit immediate ordinata, nec debeat sponte propria se ingerere in causas ordinis spiritualis, ut supra dictum est, nihil obstat quominus valeat providere ordini supernaturali obsequendo votis pastorum, dummodo contineatur regulis auctoritate eorumdem pastorum constitutis. Id probatur tum auctoritate Ecclesiæ, tum sensu communi populorum, tum ratione. Princeps, ait S. Augustinus, « aliter servit Deo quia homo est, « aliter quia etiam rex est... In hoc, serviunt reges Domino, « in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, « quæ non possunt facere nisi reges... Deo serviunt, sicut eis « divinitus præcipitur in quantum reges sunt, si in suo regno « bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent « ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam re- « ligionem. » Item S. Leo Magnus ad Imperatorem scribebat : « Debes incunctanter advertere regiam potestatem « tibi, non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ec- « clesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios com- « primendo, quæ sunt bona statuta defendas, et veram pa- « cem his quæ sunt turbata, restituas. » S. Cœlestinus Papa ad Theodosium imperatorem : « Major vobis fidei « causa esse debet quam regni; ampliusque pro pace eccle- « siarum clementia vestra debet esse sollicita quam pro « omnium terrarum securitate. » His verba concilii VI Parisiensis subjungemus : « Principes sæculi nonnunquam intra « Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem

« potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum « intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut « quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermo- « nem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe « per terrenum regnum, cœleste regnum proficit, ut qui « intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiæ « agunt, rigore principum conterantur, ipsamque discipli- « nam quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cer- « vicibus superborum potestas principalis imponat, et ut « venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. « Cognoscant sæculi principes se rationem reddere propter « Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive « augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, « sive solvatur, ille ab eis rationem exiget qui eorum potes- « tati suam Ecclesiam credidit. » Demum, ut cætera omitta- tamus, concilium Tridentinum traditiones sæculorum præ- teritorum his verbis ad nos transmisit : « Sæculares principes « Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit[1]. »

Quod sancti Patres, SS. Pontifices et concilia tradiderunt, id confirmat ratio divinæ Providentiæ. Cum scilicet finis creationis sit gloria Dei et salus æterna hominum, eo cuncti intendere debent operas, huic fini ultimo quisque studere pro suo modo ; quod ad principes præ cæteris et cura præstantiori pertinet, magis enim possunt quam viri privati ordini Providentiæ inservire, efficacioribusque mediis promovere felicem statum religionis. Etenim 1° principes sunt *ministri Dei in bonum*, ideoque imperium a summo omnium rerum Domino et Moderatore obtinent ut eo utantur ad procurandum, quantum in se est, bonum a Deo principaliter intentum uti finem ultimum creationis : porro finis ille non est solum tran-

[1] S. Augustinus, *Epistola ad Bonifacium*, cap. v ; *Contra Cresconium*, lib. III, cap. LI. — S. Leo ad Leonem Imperatorem, epist. CLVI. — Epist. S. Cœlestini, Labbe, *Coll. Conciliorum*, tom. III, col. 619. — Decretum Gratiani, caus. XXIII, quæst. v, can. 20. — *Conc. Trid.*, sess. XXV, cap. XX.

quillitas et prosperitas mundanæ societatis tempore præsenti, sed æterna felicitas hominum et gloria exinde ipsi Deo refundenda, ergo... 2° Finis proximus imperii civilis est securitas præstanda omnibus qui in republica degunt et illorum protectio ab injusta vexatione; atqui hæreses et schismata, effrænata libertas opiniones contradictorias evulgandi, et cultum pro uniuscujusque ingenio immutandum, pacem reipublicæ perturbat, concordiam civium disrumpit, et maximam partem hominum periculo seductionis, ac fidei morumque subversionis exponit; ergo multum expedit ut princeps libertatem Ecclesiæ causamque religionis tueatur contra nefarios ausus, et temeritatem novatorum... 3° Qui reipublicæ præsunt debent vim publicam dirigere juxta politicam constitutionem, mores, atque voluntatem præsumptam nationis, modo tamen in bonum conspirent; porro licet supponere statum politicum et moralem societatis, in quo religio consideratur a natione uti primum et maximum omnium bonum, cujus conservationi providere convenit auctoritate publica, sub ductu primorum pastorum; ergo licet potestas sæcularis ad finem temporalem immediate ordinetur, nihil obstat quominus inserviat insuper ad finem supernaturalem.

Hæc prima responsio ad dubium propositum confirmatur sensu communi populorum; ab exordiis enim nationum nulla gens fuit cujus gubernium civile se alienum reputaverit a cura religionis. Istius modi indifferentiam politicam in negotio religionis, nec apud gentes barbaras, nec apud populos legibus excultos, reperias; omnibus enim religio res sacra fuit, et summi momenti ad veram felicitatem et honorem supremo numini debitum.

2° Admisso principio generali, occurrit alia quæstio, nempe quousque, in quonam gradu, expedit ut gubernium civile auxilium præstet religioni, et quatenus Ecclesiæ utile est ut ad protectionem gubernii civilis confugiat?

Solutio dubii pendet a conditione locorum et temporum.

Distinguendum est igitur inter societates quæ eamdem fidem profitentur, et alias societates in quibus ortæ sunt atque constabilitæ sectæ religiosæ; ratio insuper habenda est regiminis politici earumdem societatum.

Quamdiu subsistit unitas fidei catholicæ in aliqua regione, princeps debet omnes curas adhibere ut arceantur novitates doctrinæ et schismata quæ utrique societati periculum procreant. In hoc rerum statu, *hæresis est publicum crimen, quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam,* ut dicitur in codice Theodosiano (lib. XL, tit. *de Hæreticis*). — Ubi deficit illa unitas, et nihilominus religio catholica permanet sola *religio status*, princeps tolerat sectas hæreticas ob bonum pacis, ne societas conturbetur; sed peculiari modo protegit Ecclesiam, et invigilat, quantum sinit prudentia et fert constitutio politica, ut provideatur necessitatibus cultus divini, nullique liceat scriptis publicis oppugnare fidem, nec disciplinam Ecclesiæ catholicæ. — In regionibus ubi omnes sectæ, aut saltem plures, æquo jure admittuntur, alia sunt officia principis; illius agendi ratio determinatur pro singulis nationibus, juxta statum rerum publicarum, juxta concordata, si quæ inita sint inter Sanctam Sedem et gubernium, demum juxta varias necessitates temporum. Ubique vero Ecclesia debet vera libertate donari; quia quidquid in contrarium conentur sive hæretici, sive contemptores revelationis, id jure divino constitutum est.

3° Tolerantia civilis, seu libertas conscientiæ et cultus omnibus civibus asserta ex parte gubernii, est licita in statu sociali de quo mox dicebamus, quatenus necessaria est ordini publico, ne invidiæ concitentur in Ecclesiam et societas conturbetur dissidiis civium. In hoc statu vera religio non potitur libertate, nisi sub ea conditione ut eadem libertas cæteris communitatibus religiosis firmetur; nec concertandum est inter catholicos de legitimitate ejusdem juris politici. Quod vero hæc rerum ordinatio sit progressus legitimus, et conditio

naturalis omnis societatis excultæ, uti nonnullis placet, expendere in præsenti opportunum non judicamus, siquidem quæstio sub eo respectu considerata ad jus canonicum non pertinet. Animadvertisse sufficiat cavendum esse catholicis ne ita probent libertatem conscientiæ, ut videantur improbare quod olim Ecclesia gessit, et doctrinam quam unanimes tenuerunt sancti doctores; nec animo prætereant eamdem libertatem non aliunde ortam fuisse quam ex necessitate politica, exortis et propagatis sectis hæreticorum. Eadem procul dubio esse nequeunt jura veritatis et erroris, boni et mali in quavis societate; id tamen non obstat quominus agnoscamus statum publicum rerum, in quo necessitas ordinis, et ipsiusmet religionis bonum, exposcit ut gubernium suam actionem cohibeat, relicta civibus libertate civili cultus [1].

69. — VI° *In quem finem Ecclesia ineat concordata cum guberniis civilibus, et quæ sit natura harum conventionum?*

I. Concordata sunt conventiones initæ inter Sanctam Sedem et gubernium civile, causa tuendæ pacis et unionis utriusque societatis spiritualis et temporalis.

Multæ hujusmodi factæ sunt conventiones, partim in temporibus remotis, partim hac recentiori ætate. Celebriores temporis acti memorabimus: pactum nempe quod Sancta Sedes pepigit cum imperatore Germaniæ sæculo duodecimo ad imponendum finem controversiis circa investituras; concordatum Nicolai V circa causas beneficiales et electiones, initum an. 1447 cum Friderico III, cui accesserunt principes ecclesiastici et sæculares Germaniæ; concordatum Leonis X cum Francisco I, promulgatum in concilio Lateranensi anno 1516, quo multa sanciuntur de nominatione seu præsentatione regia

[1] Cf. Pey, *Autorité des deux puissances*, part. IV^a, cap. II et III. — Multæ quæstiones in decursu tractantur quæ ad mutuas relationes utriusque potestatis, et ad independentiam Ecclesiæ referuntur, v. g. de immunitatibus clericorum et Ecclesiarum, de competentia fori ecclesiastici, de pœnis temporalibus.

ad ecclesias cathedrales et abbatias, de collationibus beneficiorum inferiorum, de judiciis ecclesiasticis et appellationibus, etc. Præsenti sæculo Sancta Sedes nova concordata iniit cum Gallia, Bavaria, regno Neapolitano, Hispania, Belgio..., et nuperrime cum imperatore Josepho pro natione Austriaca.

Quibusdam visum est omnia concordata id vitiosum habere quod semper vulnus grave inferant libertati et independentiæ Ecclesiæ, et nullo commodo æquivalenti tantum malum compensatur; at temerarios illos concordatorum improbatores ipsa praxis sanctæ Ecclesiæ satis refellit. Qui vi primatus omnium ecclesiarum sollicitudinem gerit, curare utique debet ad bonum Ecclesiæ et religionis profectum, de securitate ecclesiarum, de privilegiis et immunitatibus, de servando fœdere inter sacerdotium et imperium quod tanti interesse societatis modo dicebamus; porro his cunctis providet Sancta Sedes ineundo conventiones cum guberniis sæcularibus. Quamvis in jure cautum sit quousque se extendant limites utriusque societatis, tamen vel malitia hominum, vel rerum adjuncta et locorum necessitates, nonnunquam postulant declarationes ea de re mutuo consensu dari, et fieri aliquas concessiones, etiamsi inde limites ecclesiasticæ jurisdictionis, seu potius illius exercitium restringatur. En ratio concordatorum quibus Pontifices moderati sunt quidem juris ecclesiastici exercitium, nonnulla principibus indulgendo; sed et majora mala præcaverunt, et jura ecclesiis quæsita confirmaverunt. (Ferraris, v° *Concordata*, n. 4, ed. Cassinensis.)

II. Non consentiunt canonistæ quæ sit natura propria concordatorum et vis obligans ex parte Pontificis. Juxta nonnullos, concordatum non est tractatus internationalis, nec conventio synallagmatica, nec contractus communis, sed actus solemnis sui, ut ita dicam, generis, quo supremus hierarcha intuitu boni religionis alicui principi indultum seu privilegium confert; unde concludunt Pontificem posse pro nutu concordatum revocare, saltem de plenitudine potestatis, absque con-

sensu principis, quia plenitudo potestatis pontificiæ nullis legibus adstringitur. Rationem afferunt quod concordata ex parte Pontificis continent gratuitam concessionem, ex parte autem principis promissionem protegendi Ecclesiam, et assecurandi illius libertatem, ad quod jure divino aliunde tenetur. Alii aliter opinantur quia concordatum est vera pactio, promissio mutua utrinque acceptata; porro communis est sententia, uti animadvertit Engel, « Principem etiam de plenitu- « dine potestatis suæ non eximi quominus pacta, utpote juris « naturalis, servare teneatur[1]. »

Absit ne quid omnino derogemus auctoritati Sanctæ Sedis : at simul viri catholici pertimescere debent ne, pontificii arbitrii libertatem extollendo contra mentem ipsorum Pontificum, illorum auctoritatem reapse deprimant in mente aliorum, ansamque præbeant principibus sæcularibus ut suspectam habeant vim atque efficaciam concordatorum. Dicemus igitur cum card. Soglia : « Concordata rationem « habent non privilegii sed pacti; estque illud pactum non « temporarium et personale, sed reale ac perpetuum, quod « religiose observandum est. » (*Prænotiones in jus eccles.*, § 60.) Subintellige tamen ; nisi mutatis circumstantiis, gravis necessitas ecclesiarum mutationem postulaverit; si enim disciplina per concordatum constituta in graves abusus degeneret, S. Pontifex jus habet providendi, ex plenitudine potestatis. Summa potestas quæ Primatui Apostolico divinitus inhæret inabdicabilis est ac semper commune bonum Ecclesiæ respicit; ergo quomodocumque paciscatur S. Pontifex non potest excludere hanc conditionem : *nisi aliud exigat bonum Ecclesiæ*, quæ in omnibus concordatis necessario reservatur.

[1] C. Engel, DE PRÆBENDIS, n° 54. — *Della natura e carattere ezzenziale dei concordati.* Parisiis, an. 1830. Cap. IV, V.— Barthel, *Opuscula juridica;* tom. II, *Opusculum de concordatis Germaniæ dissertatio generalis.* cap. I, sect. II; cap. III, sect. II, n° 1-7.

Extra hunc igitur casum, et dum loquimur de ordine communi rerum, dicimus concordatum obligare utramque partem contrahentem, summum scilicet Pontificem, et principem sæcularem, cum suis respective successoribus; quod multiplici ratione probatur. 1° Ipsamet natura concordati. Formas habet tractatus internationalis, siquidem princeps societatis spiritualis paciscitur cum principe societatis civilis; induit naturam conventionis synallagmaticæ, etenim contrahentium mens est induci reciprocitatem obligationis; habet rationem pacti, quod et natura rerum et ipse concordatorum textus satis manifeste indicat. 2° Intentione Pontificum. Sic, ut nonnulla exempla exhibeamus, Leo X dixit in concordato cum Francisco I : « Illam conventionem contractus et obliga- « tionis inter nos et Sedem Apostolicam ex una parte, et præ- « fatum regem et regnum suum ex altera parte, legitime initi, « vim et robur obtinere..... necnon irritum et inane quidquid « super his a quoquam quavis auctoritate, etiam per Nos et « successores nostros, scienter aut ignoranter contigerit « attentari, decernimus. » (Tit. xvii.) Legimus eodem sensu in art. 18 concordati Pii VII cum Maximiliano rege Bavariæ : « Utraque contrahentium pars spondet se suosque successo- « res, omnia de quibus in his articulis utrinque conventum « est, sancte servaturos... » Eadem reperiebantur in concordatis Germaniæ; et in aliis ad mentem contrahentium supponuntur. 3° Nisi agnoscatur hæc reciprocitas obligationum, ad quid fierent conventiones? Sancta Sedes finem intentum non attingeret, nec principes sæculares cum ea pacisci vellent... Ergo tametsi supponeretur, quod in præsenti non expendimus, concordatum nihil continere præter gratuitum privilegium ex parte Pontificis, et sponsionem obsequii aliunde debiti ex parte principis sæcularis, habet rationem veri pacti quod ex utraque parte religiose observandum est.

Cæterum, hujus fidei in observando promissa SS. Pontifices exemplum semper dederunt, adeo ut merito gloriari

possit sancta Ecclesia catholica, nulla unquam pacta sanctius fuisse ubivis gentium servata, quam ex parte Sedis Apostolicæ.

70. — VII° *Quid ex dictis concludendum de forma constitutiva Ecclesiæ?*

Ex dictis sequitur Ecclesiam esse societatem Christi fidelium, constitutam sub regimine Romani Pontificis primatum obtinentis jure divino, et Episcoporum qui partes sibi commissas a Romano Pontifice, cum debita subjectione ejusdem auctoritati, regunt.

Theologi utuntur comparationibus, e vario regimine societatum eductis, ad explicandum quæ sit forma constitutiva Ecclesiæ; sed parum hæc prosunt, et mallemus dicere cum *Bossuet* : « L'Église catholique parle ainsi au peuple chré- « tien : Jésus-Christ, qui est votre roi, ne tient rien de vous, « et son autorité vient de plus haut. La comparaison que « vous pouvez faire entre son royaume et ceux de la terre est « caduque. La nature ne vous donne rien qui ait rapport « avec Jésus-Christ et son royaume. » (*Histoire des variations*, liv. XV, n° 120.) Si tamen velint utcumque conferre modum societatum civilium cum sacro regimine Ecclesiæ, hæc animadvertenda :

1° A regimine Ecclesiæ exulat democratia; quandoquidem vidimus, nec communitatem fidelium, nec principes, quatenus communitatem repræsentare censentur, jus ullum habere se ingerendi in interiorem administrationem Ecclesiæ. Quod aliqui doctores, ut Bellarminus, dixerunt de elemento democratico in constitutione Ecclesiæ, lato et improprio sensu intelligitur, ut nimirum nullus sit ex multitudine fidelium qui ad officia publica vocari non possit.

2° Regimen Ecclesiæ non est aristocraticum; fides enim catholica eos condemnat qui volunt Episcopos æquali potestate donari cum S. Pontifice, et res ecclesiasticas non aliter componi quam concordi majoris numeri prælatorum assensu.

Hoc systema aperte contradicit dogmati primatus Cathedræ Apostolicæ beati Petri.

3° Regimen Ecclesiæ est monarchicum, siquidem S. Pontifex habet plenam potestatem regendi universalem Ecclesiam, quod est proprium monarchiæ; sed illa monarchia est aliquatenus temperata. « Quoniam, ait card. Soglia, « Episcopi sunt veri pastores ovium suarum et in conciliis « generalibus veri judices, communior sententia est regimen « Ecclesiæ monarchicum quidem esse, aliqua tamen specie « aristocratiæ temperatum. » (Lib. II, § 55.) Cæterum, hoc temperamentum non eo sensu sumas quo in societatibus politicis solet, quarum forma mixta ita oritur ex divisione jurium summi imperii, ut quod in uno subjecto jus inest, ab altero non pendeat. « Ipsa potestas Episcoporum, ut animadvertit « Zallinger, quæ temperamentum aristocraticum efficit, est « perpetuo alligata ad centrum unitatis ac supremam po- « testatem vicarii Christi, eidemque subordinata, ut proinde « hæc mixtio aristocratica non absoluta sed limitata sit. « Præterea, quidquid Episcopus juris competit, id eminente « quadam ratione inest in S. Pontifice. » (*Institutiones juris publici*, § 362.)

Hæc magis explicabuntur in decursu quæstionum canonicarum de primatu Pontificis, de Episcopis et de conciliis, ubi dicetur Romanum Pontificem posse constituere vicarios apostolicos loco Episcoporum ubi opportunum judicaverit, et jurisdictionem Episcoporum manere subditam auctoritati Sanctæ Apostolicæ Sedis.

SECTIO II[a]

DE SUMMO PONTIFICE.

71. — Quæ in præcedenti sectione diximus juxta fidem catholicam de primatu beati Petri, de quo fusius disserunt theologi, hæc nunc considerare oportet in ordine ad disciplinam.

Principium fundamentale ex quo, more canonistarum, deducemus vim decretalium Sanctæ Apostolicæ Sedis consignatur in definitione concilii Florentini : « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem « Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium et omnium christianorum « patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam a Domino Nostro « Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum, et in « sacris canonibus continetur. »

Triplex erit articulus : 1[us] De electione S. Pontificis; 2[us] de illius jurisdictione; 3[us] de ministris jurisdictionis pontificiæ.

ARTICULUS PRIMUS. — DE ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS.

72. — 1° *Utrum per electionem designari debeat summus ontifex, an alio modo posset assumi?*

Episcopus Romanus succedit jure divino B. Petro; verum, quonam modo assumi debeat Episcopus Romæ, an necessario per electionem a pluribus factam, vel alio modo, non ita constat.

Si de facto quæratur, certum est Episcopum Romanum semper, ab ipsismet initiis ad nostram ætatem, designatum assumptumque fuisse per electionem, nisi forte excipere debeamus successorem immediatum S. Petri, quem nonnulli dicunt nominatum ab ipso principe Apostolorum, uti supponitur in cap. *Si Petrus*, 1, caus. 8, q. 1. Sed hoc valde dubium; nam epistolam Joannis III ad Episcopos Galliæ et Germaniæ, e qua deducitur textus allatus, suppositam fuisse ab Isidoro Mercatore doctiores critici tenent duce Baronio. (*Annales* ad an. 522, § 3. Cf. Berardi, tom. II, cap. LVI.) Si autem de jure quæstio moveatur, res difficilior evadit. Electio fuitne determinata voluntate Christi, ut solus modus quo designari oporteat Episcopum Romæ, successorem Petri? SS. Pontifices possuntne alium modum instituere, aut etiam pro suo prudenti arbitrio sibimet assumere successores?

Multi arbitrantur, non jure divino, sed humano, constitutum fuisse ut Papa designetur suffragiis electorum; quod probare nituntur ex silentio Scripturarum et traditionis circa divinam ea de re ordinationem. Inde concludunt S. Pontificem posse immutare modum consuetum, et nominare illum qui, post suam mortem, Sedem Apostolicam occupare debeat. Alii, ut putamus communius, tenent id excedere limites juris pontificii : 1° quia præsumendum est usum adeo constanter, ac invariabiliter servatum in electione Pontificis, indicatum fuisse divina Christi voluntate; 2° quia jus quod tribueretur Pontifici suum sibi nominandi successorem vergeret in detrimentum Ecclesiæ, illam utique exponendo successioni plurium Pontificum qui Sanctam Sedem, veluti hæreditate inter cognatos, occuparent; quod foret maximum malum et obstaculum reformationi abusuum; 3° quia dum

Papa superstes est, non potest alium sibi in regimine consociare, non enim patitur Ecclesia una multiplicitatem sponsorum; instanti autem quo defunctus est, nullo amplius jure potitur ad transmittendum alteri pontificatum. « Effectus « nominationis, ait Barbosa, refertur ad tempus inhabile, quo « eligens Pontifex jam non est; igitur nullo modo futurum « successorem eligere potest. »

Hinc doctissimus Fagnan concludit Papam nullatenus posse sibi eligere successorem, et, si eligat, irritam esse electionem. (Barbosa, *Jus eccles. univers.*, lib. I, cap. I, n. 38-41; Fagnan, in cap. *Accepimus*, DE PACTIS, n. 29.)

Suarez, propositis duabus opinionibus contradictoriis, addit : « Ego, nec simpliciter concederem dictam potesta« tem Pontifici, nec negarem simpliciter. Potest ergo Papa « ordinare modum electionis, justum tamen et utilem Ec« clesiæ, qui non sit in ejus destructionem sed ædifica« tionem; quare, si tentaret prædictum eligendi modum « tanquam ordinarium præscribere, is minime valeret, nec « esset observandus, quia plane vergeret in perniciem « Ecclesiæ. Attamen, si in casu raro, urgente aperta Ec« clesiæ necessitate, id faceret, juste ageret, legitimaque « uteretur potestate, ut arbitror. » (Suarez, *de Fide*, disput. x, sect. IV, n. 16.)

Huic quæstioni non immorabimur, quæ otiosa satis videri potest. Etsi periculosissima tempora intercesserint quibus valde urgens fuisset futurum Pontificem designari ante obitum Pontificis regnantis, ut schismati imminenti via certius præcluderetur, id tamen nunquam factum est. Nullus Pontificum hucusque ad hoc medium recurrendum duxit : probabilene est quod deinceps tentetur? Nedum provideretur bono communi, fortassis hæc designatio futuri Pontificis, quam tot doctores catholici juri divino contrariam arbitrantur, majoris mali occasio foret, nisi tamen præcesserit ea de re doctrinalis definitio.

73. — II° *Quis modus servatus sit in electione S. Pontificis, usque ad sæculum duodecimum?*

Primæva ætate, electio S. Pontificis facta est ab Episcopis provinciæ, clero urbis, et plebe, juxta disciplinam quæ generatim invaluerat apud Occidentales, et ad quam alludit S. Leo, hæc scribendo ad Rusticum Narbonensem : « Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a « clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec ab Epi- « scopis provincialibus judicio consecrati. » Cap. *Nulla*, 1, dist. 62.

Hæc autem disciplina variis vicibus obnoxia fuit ratione temporum, prout visum est necessarium excludere a suffragiis quosdam illorum qui ad electionem prius concurrebant, et implorare principum præsidia quibus legitimæ electiones ad effectum perducerentur, non obstante contradictione ambientium Pontificatum.

Ad evitandum præproperas electiones, statutum fuit ut nonnisi post tertium diem a depositione defuncti Pontificis, de successore eligendo quisquam tractare præsumeret; et tunc electio fieret *adunato clero* et *filiis Ecclesiæ*, proceribus nempe, et optimatibus plebis.

Omnes pactiones fuerunt districtius proscriptæ, et cautum ut, inter plures de quibus certamen emerserit, is semper præferretur in quem major eligentium pars consensisset. Statuitur in concilio Romano : « Si quis, pecunia, vel popu- « lari tumultu, sine concordi et canonica electione et bene- « dictione Cardinalium, Episcoporum ac deinde sequentium « ordinum clericorum, fuerit Apostolicæ Sedi inthronisatus, « non apostolicus sed apostaticus habeatur; liceatque Car- « dinalibus, Episcopis, cum religiosis et Deum timentibus « clericis et laicis, invasorem, etiam cum anathemate, et « humano auxilio, a Sede Apostolica repellere. » (Dist. 79, can. 2, 7, 9, 10.)

Humanum hoc auxilium præstiterunt imperatores. Jam ab

ineunte sæculo quinto, an. circiter 420, Bonifacius I ab Honorio Augusto præsidium imploraverat, quo præcaverentur factiones quibus haud semel perturbata fuerat Ecclesia, occasione electionis. Ex tunc principes patrocinium susceperunt Romanæ Ecclesiæ, et plurimum clerus populusque illorum voluntati detulit; paulatim res eo devenerunt ut non alii eligerentur Pontifices quam qui imperatoribus, aliisve dominantibus in Italia accepti erant, veluti hisce principibus jus quoddam daretur consentiendi in electionem Pontificis, et electio non omnino firma haberetur, nisi obtento illorum assensu. Hinc venit quod imperatore Romano apud Constantinopolitanam urbem degente, vices illius ad hoc suppleret Exarchus Italiæ, ad quem primi de clero et primicerius notariorum mittebant relationem electionis novi Pontificis, ut eam nomine principis confirmaret [1].

Translato imperio Occidentis a Græcis ad Latinos, imperatores easdem fere partes habuerunt in electione SS. Pontificum usque ad tempora S. Gregorii VII. Primi quidem qui hac dignitate insigniti sunt, Carolus Magnus et Ludovicus Pius, integram libertatem clero populoque Romano dimiserunt suum Antistitem eligendi, retento solum officio tuendi Ecclesiam Romanam contra insultus ambientium thronum apostolicum, qui scilicet ordinem electionum vi perturbarent. Verum decursu temporum, ex quo præsertim ad imperium assumpti sunt principes Germani, protectio in dominatum versari visa est; causa, aut specie, protegendi libertatem electionis imperatores obtinuerunt ut electus non consecraretur nisi præsentibus deputatis, vel etiam, quod usu postea invaluit, donec ipse electus ad aulam imperialem deputavisset, et de assensu principis certior factus esset. Jus illud imperatoribus, usu et privilegiis apostolicis utcumque

[1] Dist. 97, can. 1, 2. *Liber Diurnus*. R. P. P., cap. II, *de Ordinatione S. Pontificis*.

inductum, confirmavit Nicolaus II in concilio Romano, an. 1059, decreto de electione in quo Pontifex statuit ut Episcopus Romanus « eligatur de ipsius Ecclesiæ gremio si « reperiatur idoneus... salvo debito honore et reverentia « dilecti filii nostri Henrici qui in præsentiarum rex habetur, « et futurus imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam « sibi concessimus, et successoribus illius qui ab Apostolica « Sede personaliter hoc jus impetraverint. » (Cap. *In nomine Domini*, 1, distinct. XXIII.) Gregorius VII, qui ad Sanctam Sedem promotus est anno 1073, suorum prædecessorum praxi morem gessit expectando donec imperator assensum præstitisset electioni, antequam ordinationem ipse susciperet ; verum postea hanc disciplinam in futurum immutavit, propterea quod nedum tunc temporis prodesset Ecclesiæ, principes ea abutebantur ut sacrorum Antistitum electionem ad se pertraherent [1].

Sæculo subsequenti, anno scilicet 1114, Innocentius II semovit populum ab electione, ob frequentes tumultus quos laici excitabant ; paulo post clerus inferior suffragandi jure fuit privatus, et ad solos Cardinales res tanti momenti delata est. Alexander III confirmavit jus Cardinalibus exclusive attributum, et simul decrevit ut is solus canonice electus haberetur in quem duæ ex tribus partibus Cardinalium consensissent. (Cap. *Licet*, 6, DE ELECTIONE.)

74. — III° *Quis modus a sæculo decimo tertio servetur in electione S. Pontificis ?*

Gregorius X disciplinam *Conclavis* instituit, decreto in concilio generali lato, an. 1273, ad impediendum ne vacatio Sedis Apostolicæ per diuturnum tempus protraheretur, et ad imponendum finem, quantum possibile erat, discordiis eligentium. Itaque :

[1] *Histoire du pape Grégoire VII*, par Voigt, 2e partie, chap. V. — *Histoire de l'Église*, par Rohrbacher, t. XIV.

1° Post decem dies funeribus Papæ defuncti impensos, Cardinales omnes, qui præsentes adsunt, conclave ingrediuntur, e quo non exituri usquedum electionem perfecerint. « Nulli ad illos aditus pateat, ait Gregorius X, vel facultas « secrete cum eis loquendi; nec ipsi admittant aliquos ad « se venientes nisi eos qui de voluntate omnium Cardinalium, « pro iis tantum quæ ad electionis instantis negotium perti- « nent, vocarentur. » Præterea Cardinalibus mandatur ab aliis negotiis penitus vacare, nisi urgens inciderit necessitas providendi bono Ecclesiæ. (Videas plura de sanctionibus in hunc finem adhibitis, in cap. *Ubi periculum*, 3, DE ELECTIONE, lib. I, in VI.)

2° Electio fit per *scrutinium*, vel per *compromissum*, vel per *quasi-inspirationem* juxta regulas generales quas concilium Lateranense pro omnibus electionibus solemnibus præscripsit cap. *Quia propter*, 42, DE ELECTIONE, lib. I Decret. Quando adhibetur *scrutinium*, tres assumuntur e collegio qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant scriptis redacta, et mox publicent in communi; quod repetitur donec concurrant in eumdem suffragia duarum partium [1]. Si per *compromissum* velint procedere, necesse est ut omnes uni aut quibusdam concedant officium eligendi, spondendo se ratihabituros electionem sic celebratam. Tandem electio fit per *quasi-inspirationem*, si, nulla prævia habita deliberatione, omnes simul consentiant : talem unanimitatem a Deo inspiratam merito præsumunt.

3° Cæterum, quavis ratione procedant, necesse est quasdam servari conditiones : 1ª ut omnes Cardinales qui jure communi habent facultatem suffragandi, ad conclave admittantur, quocumque tempore, electione nondum consummata, civitatem advenerint; 2ª ut electores libertate fruantur

[1] Publicato scrutinio, Cardinales qui sua suffragia non dederunt candidato, possunt viva voce adhærere aliorum suffragiis, ut perficiatur numerus necessarius votorum, et ita consummatur electio. Id vocatur *accessus*.

in ferendis suffragiis. Si per metum gravem addicantur, vel errore substantiali decipiantur, non valet electio, uti generatim statuit cap. *Cum dictus*, 32, et cap. *Quisquis*, 43, DE ELECTIONE. Hæc libertas supponit electores posse, pro suo nutu et dictamine conscientiæ, eligere quem voluerint[1]; unde vel unius exclusio jus lædit, et eo gravior injuria fit Ecclesiæ, quod persona exclusa præ cæteris reputatur magis idonea regimini. Nihilominus tamen cum relinquatur, etiam hac exclusione facta, ampla facultas assumendi dignum, probabile non est ita lædi libertatem ut in discrimen veniat validitas electionis. 3ª Ut electione libere celebrata, res acta sit respectu electorum, adeo ut jam non valeant variare in suis suffragiis : cap. *Publicato*, 58, eod tit. Penes autem electi est non consentire electioni; quod si præstiterit assensum, eo ipso Pontifex jure divino constituitur.

4° Cardinalis primus ex ordine Diaconorum peractam electionem solemniter populo significat his terminis : *Annuntio vobis gaudium magnum; habemus Papam, Eminentissimum et Reverendissimum Dominum N... qui sibi nomen elegit, ut N... in posterum vocetur.*

ARTICULUS II. — DE JURISDICTIONE S. PONTIFICIS.

75. — Prærogativas et jura Romani Pontificis e Primatu Apostolico deducimus, qualem definivit concilium Florentinum cujus verba supra retulimus (n° 71) : constitutus est scilicet in persona Petri principis Apostolorum, doctor et pastor

[1] Ea quæ jam pluribus abhinc sæculis quidam principes (imperatores Germaniæ, reges Galliæ et Hispaniarum) prætulerunt, ne quis sibi non gratus eligatur in Pontificem, Ecclesia nunquam sua auctoritate sancivit, licet ob bonum pacis Cardinales consueverint rationem habere *exclusionis*, in electione.

omnium fidelium, centrum unitatis catholicæ, in quo omnes ecclesiæ particulares convenire debent. Postquam hæc jura explicata fuerint, pauca subjiciemus de litteris pontificiis quibus S. Pontifex suas voluntates indicit, et de earumdem litterarum promulgatione.

76. — I° *Quæ corollaria deducantur ex titulo doctoris Ecclesiæ catholicæ?*

Ex titulo doctoris sequitur 1° jus condendi decreta seu definitiones dogmaticas, circa fidem et mores, quæ ad omnes et singulas ecclesias dirigantur, scilicet ad universam Ecclesiam ; nam divina institutio gregem universum Petro commisit. Jus illud, extra casum concilii œcumenici, soli S. Pontifici competit; quia nullus est præter illum qui individue acceperit a Christo curam pascendi omnem gregem, agnos et oves... Suo in ea parte officio fungi potest, sive primus docendo fideles, sive suo assensu firmando doctrinam ab aliis pastoribus traditam; et si opportunum arbitretur, causas exortas ad suam sedem evocat, sublata cæteris omnibus facultate de illis cognoscendi. « En des cas extraordi- « naires (*ait* Bossuet), dans des matières fort débattues et « où il serait à craindre que l'épiscopat se divisât, le Pape « peut s'en réserver la connaissance, et le Saint-Siége a usé « avec beaucoup de raison de cette réserve dans les matières « de la grâce. » (*Lettres diverses* : Lettre XCIIe à M. Dirois, t. XXXVII, éd. de Versailles.)

Sequitur 2° constitutiones dogmaticas a Sancta Sede datas omnibus imponere obligationem definitionibus fidei adhærendi, sublata quibuslibet, etiam Episcopis, facultate aliter judicandi. Re quidem vera, oves debent sequi pastorem; qui indigent corroborari in fide audire debent vocem illius cui Christus Dominus commisit curam confirmandi omnes; igitur, cum successor Petri sit omnium pastor, et suos fratres confirmandi officium susceperit, necesse est ut omnes adhæreant constitutionibus dogmaticis Sedis Apostolicæ. —

Probatur insuper celebri professione fidei, quæ attribuitur S. Hormisdæ, et cui tot Episcopi per multa sæcula subscripserunt, ut « *certum sit*, ait Bossuet, *hanc formulam in tota Ecclesia catholica fuisse comprobatam.* » (*Defens. cleri Gall.*, lib. X, c. VII.) Porro, hæc habet illa professio : « Prima salus « est rectæ fidei regulam servare ; quia non potest præter- « mitti sententia D. N. J. C. dicentis : *Tu es Petrus*... Hæc quæ « dicta sunt rerum probantur effectibus ; quia in Sede Apo- « stolica inviolabilis semper catholica custoditur religio : unde « sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et prædicantes « omnia ejus constituta, spero ut in una vobiscum commu- « nione quam Sancta Sedes prædicat esse merear, in qua est « integra et verax religionis christianæ soliditas [1]. » Ponderentur verba SEQUENTES IN OMNIBUS : his inculcatur certe necessitas adhærendi, non solum quibusdam articulis quos per multum ac diuturnum tempus Sancta Sedes constanter prædicavit, sed et recenti definitioni quam proponit ; talis quippe necessitas omnia tempora complectitur, ad omnes constitutiones sese extendit. — Id confirmat forma solemnis constitutionum dogmaticarum S. Sedis quibus declaratur quoscumque judices debere quæstiones subortas definire juxta sententiam prolatam ab Ecclesia Romana, « sublata eis et cuilibet eorum facultate quavis aliter judicandi et interpre- « tandi. » Judicium externum quod Ecclesia pronuntiat circa quæstiones fidei determinat assensum internum fidelium ; ergo si cuncti, cum fideles, tum pastores, debeant non aliter judicare quam fert constitutio pontificia, sequitur omnes æque teneri ad illi adhærendum.

Hæc necessitas obsequendi definitionibus dogmaticis Sanctæ Sedis, gravissimum argumentum est infallibilitatis SS. Pontificum. Quamvis, attenta sola natura rerum, auctoritas superioris docentis inducere valeat ex parte subditorum

[1] Labbe, tom. IV, *Col.* 1444, 1486, 1686.

obligationem obsequendi assensu interno reverentiali, præcisa hujusce superioris infallibilitate, ut servetur debita subordinatio, ut infra dicemus, ubi de episcopis (n° 158), aliter ratiocinandum est quando agitur de summo Pontifice docente Ecclesiam universalem. Divina enim providentia permittere non potest ut exponatur Ecclesia periculo errandi in causa fidei, dum supremo suo pastori debitum obsequium præstat. Quapropter, cum omnes qui sunt undique fideles, teneantur adhærere definitionibus Sanctæ Sedis, easdem constitutiones habere necesse est pro judicio certo, irreformabili, et infallibili doctrinæ christianæ.

Sequitur 3° S. Pontificem jus habere damnandi libros qui pravam doctrinam continent, et illorum lectionem prohibendi. Qui invigilare ex officio debet fidei integritati, et fideles pascere sana doctrina, is procul dubio poterit, imo debebit ea removere et tollere quæ plurimum nocent fidei, quales sunt libri hæretici. De his iterum dicendi occasio se dabit, ubi ad Congregationem *Indicis* devenerimus.

77. — II° *Quænam corollaria deducantur ex titulo pastoris Ecclesiæ catholicæ?*

Ex titulo pastoris sequitur 1° S. Pontificem habere jurisdictionem immediatam et universalem in omnes fideles. Christus illi dixit : PASCE OVES, PASCE AGNOS ; quæ verba, modo absoluto prolata, designant officium commissum Petro omnes oves et agnos pascendi, non solum mediate, loco aliorum pastorum, si suo officio defuerint, vel ab illorum sententia appellatum sit ad Sedem Apostolicam, sed directe atque immediate, eo modo quem utiliorem judicaverit pro opportunitate temporum. Hoc etiam probat decretum Florentinum, quo Pontifex Romanus declaratur *doctor*, *pastor* et *pater* omnium christianorum ; quæ verba arbitraria prorsus interpretatione intelligerentur de jurisdictione tantum mediata.

Cæterum, nihil obstat quominus plures simul in eumdem gregem habeant jurisdictionem immediatam, dummodo sit

subordinata; nec exinde putes detractum fore utilitati divisarum provinciarum et diœceseon, quam divisionem ob gravissimas causas fuisse inductam omnes norunt : nec aliquam ex jurisdictionis usu confusionem pertimescas; quandoquidem S. Pontifex singularum Ecclesiarum jura ipse curat fovetque, et suam jurisdictionem non exercet immediatam, nisi id expedire prudenti arbitrio judicaverit.

Sequitur 2° S. Pontificem posse condere leges quæ tum Ecclesias particulares, tum Ecclesiam universalem obstringant, jure proprio, independenter ab acceptatione, seu fidelium, seu Episcoporum. Hoc quippe proprium est officium pastoris, ut gregem pascat et regat; regitur autem plebs christiana per leges disciplinares. Eo sensu concilium Florentinum agnovit in successore Petri *plenam potestatem pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam*. Traditio constans præteritorum sæculorum et ipsa necessitas Ecclesiæ catholicæ hanc doctrinam firmant. Traditio quidem; nam a primæva ætate permultæ leges a Sancta Sede editæ sunt, quæ constituunt partem maximam juris canonici. Ipsa deinde necessitas regiminis; siquidem societas christiana stare nequit sine potestate legislativa quæ provideat bono communi; porro, sola auctoritas pontificia constanter subsistit, quæ huic necessitati provideat, cum notum sit synodos generales Episcoporum nonnisi rarissime coadunari.

Sequitur 3° S. Pontificem posse derogare, tum decretis conciliorum œcumenicorum, tum consuetudinibus ac privilegiis Ecclesiarum particularium, per abrogationem, suspensionem, aut dispensationem, prout necessitas postulaverit. Nemo dixerit Romanum Pontificem posse licite, absque ulla causa gravi, arbitrio voluntatis, immutare quæ sapienter statuerunt concilia, vel rationabiles firmaverunt consuetudines provinciarum; non enim habet jura in destructionem sed in ædificationem Ecclesiæ. Unde venerabilis ille Antistes Gelasius ad Episcopos Dardaniæ scribebat : « Uniuscujusque

« synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit « assensus, non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris « oportere quam primam, quæ et unamquamque synodum « sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione cus- « todit[1]. » Nullus etiam negabit quin, exigente necessitate, Sancta Sedes valeat dispensare super legibus juris communis, vel etiam eas mutare, consuetudinesque locales. « Concedi- « mus, aiebat ipse *Bossuet*, in jure ecclesiastico Papam nihil « non posse, cum necessitas id postulaverit. » (*Defensio cler. Gall.*, lib. XI, c. xx.) Hæc cum ita sint, firmum stat nostrum corollarium. Etenim 1° non delegatione conciliorum, non assensu tacito Episcoporum, sed divina ordinatione Papa constituitur ad regimen Ecclesiæ, ut necessitatibus omnium provideat, quod inducit facultatem dispensandi super legibus, et derogandi consuetudinibus locorum ; 2° si Papa utatur hac potestate, nullus præter ipsum judex legitimus erit rationis sufficientis, seu necessitatis. Causa non deferretur ad concilium quod non est adunatum, nec forte per plura sæcula convocabitur ; nec ad Episcopos in orbe catholico dispersos, qui de opportunitate rei, in tali statu, pronuntiare nequeunt ; nec ad Episcopos particulares quorum interest, siquidem repugnat sententiam superioris hierarchæ ad tribunal judicum inferiorum deferri ; hoc esset ordinis publici subversivum ; ergo manet ut Papa jure proprio possit, ob motiva necessitatis de quibus ipse judex est, derogare, etc.

Sequitur 4° S. Pontificem posse erigere diœceses, instituere Episcopos, et committere Vicariis Apostolicis Ecclesias quibus non expedit, ob circumstantias, præficere pastores ordinarios. Christus, dum episcopatum instituit, nec limites provinciarum præfixit, nec Episcopos qui Ecclesias gubernarent elegit ; hoc autem nemo præter summum Pastorem, jure proprio, efficere potest. Non certe plebs christiana, cui

[1] Labbe, *Collectio conc.*, t. IV, *Epist.* XIII S. Gelasii ; col. 1200

nullum jus competit in regimine ecclesiastico, ut in prima sectione demonstravimus; non Episcopi viciniores, qui extra limites suarum diœceseon nullam habent jurisdictionem; quanto minus poterunt instituere Episcopum! Ergo hæc institutio ad illum solum jure proprio pertinet, cui Christus curam universi gregis commisit; nec alius ordo institutionis legitimus reputari debet quam ille quem ipse probaverit, sive per seipsum Episcopos eligat et instituat, sive hoc officium aliis committi sinat.

Sequitur 5° S. Pontificem habere auctoritatem judiciariam quæ in omnes causas, cum personales, tum reales extenditur; hoc quippe officium est proprium legislatoris; aliunde eruitur a summa jurisdictione quam Sanctæ Sedi concessam divinitus diximus. Non mirum proinde si, vel in prima ætate, videamus a remotioribus partibus Ecclesiæ appellari ad judicium Romani Pontificis, ut vel ipse primus sententiam ferret, vel aliorum sententias prolatas firmaret sua auctoritate, aut revocaret.

Multa alia, his quæ summatim tantum percurrimus, addi possent; quidquid enim ad officium pastoris in ordine spirituali attinet, jure divino continetur in auctoritate successorum Petri.

78. — III° *Quænam corollaria sequantur ex utroque simul titulo doctoris et pastoris?*

Ex utroque officio doctoris et pastoris :

Sequitur 1° Ecclesiam Romanam esse centrum unitatis catholicæ; nam omnes fideles tenentur illius dogmaticis definitionibus adhærere, et leges disciplinares servare; nec privati, nec Ecclesiæ particulares, remanent in unitate, nisi quatenus servantur in hujus Ecclesiæ matris ac magistræ communione. « Ad hanc enim Ecclesiam, ait S. Irenæus, propter « potentiorem ejus principalitatem necesse est omnem con- « venire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. » (Lib. III, *Contra hæreses.*)

Sequitur 2° S. Pontificem jus habere evocandi ad suum tribunal causas majores, quæ ad fidem vel ad disciplinam spectant. Celebris est in antiquitate distinctio causarum majorum; illas memorat S. Innocentius I in epist. ad Victricium. Aliæ directe referuntur ad Sanctam Sedem, quin Episcopi possint de illis cognoscere; aliæ autem terminari non debent, nec possunt, nisi per judicium hujus Sedis Apostolicæ, quamvis in prima instantia sortitæ fuerint tribunal Episcoporum.

« Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ait « Innocentius in citata epistola[1], ad Sedem Apostolicam, « sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post « episcopale judicium referantur. »

Quæ sint in specie illæ causæ majores, non est in præsenti dicere, cum debeamus de singulis suo loco tractare; sufficiat proinde quasdam memorare e præcipuis. Sunt præsertim: causæ fidei — erectiones sedium episcopalium et provinciarum ecclesiasticarum circumscriptio — institutio, translatio et depositio Episcoporum — beatificatio et canonizatio Sanctorum — approbatio ordinum religiosorum — ordinationes sacræ liturgiæ — concessiones indulgentiarum, exceptis nonnullis quæ limites jure pontificio præfixos non excedunt.

Sequitur 3° S. Pontificem habere jus convocandi concilium generale, huic concilio præsidendi, illius decreta confirmandi.

79.—*Nota.* Sancti canones passim memorant distinctionem duplicis potestatis qua utitur S. Pontifex: unam appellant *ordinariam*, aliam *absolutam* vel etiam *plenitudinem potestatis;* utramque reipsa Pontifici competere probant corollaria mox educta e principio fundamentali Primatus Apostolici. Pontifex potestate ordinaria utitur quando juris positivi dispositionem retinet; v. g., si constitutionem edat dogmaticam, si diœcesim erigat, si approbet religiosum ordinem;

[1] P. Coustant, *Epistolæ Pontificum*, pag. 749.

potestatem vero extraordinariam exserit quando jus humanum non servat, ut si jus ipsum auferat, si legibus conciliorum deroget, privilegia acquisita immutet... Plenitudo potestatis nullis juris publici regulis est limitata; Pontifex autem non præsumitur ea potestate uti, nisi clausuram inserat quæ id indicet, v. g., *Non obstantibus*. Nam, « licet Papa hoc facere « possit, ait Fagnan, non semper tamen decet eum uti pleni- « tudine potestatis. » (In cap. *Super eo*, DE BIGAMIS, lib. I, Decret., n. 18.)

80. — IV° *Quotuplicis speciei distinguantur litteræ apostolicæ quibus utitur S. Pontifex ?*

S. Pontifex suam jurisdictionem exercet, atque tum Ecclesiæ universalis, tum Ecclesiarum particularium, sive demum fidelium privatorum, utilitatibus prospicit, Rescriptis, Constitutionibus, Litteris encyclicis, insuper et Oraculis vivæ vocis.

RESCRIPTA dicimus responsa ad consultationem, relationem aut supplicationem, quibus S. Pontifex jus editum confirmat, obscurum interpretatur, dubium resolvit; vel privatorum negotiis indulget gratias largiendo, nempe privilegia, dispensationes, beneficia, etc., aut vices committendo ad instruendas causas litium.

CONSTITUTIONES generatim nuncupantur Litteræ Apostolicæ quas S. Pontifex motu proprio dirigit ad Ecclesiam universalem, vel ad Ecclesiam particularem, aut ad certum personarum genus in Ecclesia universali constitutum, ad jus edendum, vel ad jus antiquum confirmandum, aut denique ad immutandum aliquid disciplinæ.

Rescripta et Constitutiones non eodem semper modo obsignantur, nec iisdem formis exarantur; unde venit distinctio Bullarum et Brevium. BULLÆ expediuntur per Cancellariam; obsignantur sigillo plumbeo, pendente ex chordulis sericis aut cannabeis, prout continent rescriptum gratiæ, aut rescriptum justitiæ; subscribuntur *N.*, *servus servorum Dei*,

juxta usum a S. Gregorio Magno inductum; exarantur in membrana subnigra (pergamena), charactere Gallico, seu, ut aiunt, Gothico. Brevia obsignantur cera rubra sub annulo piscatoris[1]; contrahuntur breviori formula, in membrana candida, charactere Latino; et manu secretarii subscribuntur; expediuntur per secretariam Brevium. Communiter forma solemnior Bullarum adhibetur in negotiis gravioribus; et forma minus solemnis Brevium melius convenire visa est causis non ita gravis momenti, quod usu consueto recipitur, nec tamen semper ita servatur; nam et majores causas identidem per Breve apostolicum expeditas fuisse constat, uti præ cæteris probat Breve Innocentii XII *Cum alias*, an. 1697, quo damnatæ sunt nonnullæ propositiones e libro Fenelonii *de Placitis Sanctorum* (Maximes des Saints). Cæterum, eadem est auctoritas litterarum apostolicarum, utravis forma dentur, modo de illarum authenticitate constet[2].

Encyclicæ sunt litteræ apostolicæ ad omnes Episcopos Ecclesiæ catholicæ, vel alicujus regionis datæ, ad explicandum doctrinam, vel proscribendum librum damnosum, aut admonendum de abusu ut præcaveatur, aliave hujusmodi.

Oracula vivæ vocis sunt declarationes, decisiones, seu concessiones a S. Pontifice viva voce factæ. Alia sunt authentica, et alia non. Authentica habentur quando in scripturam rediguntur et testimonio illorum quibus ex officio incumbit consignantur; si neglectu impetrantium, aliave de causa, omissa sit hæc publica in scripturam redactio, oracula carent authenticitate.

Gratiæ et privilegia oraculo vivæ vocis concessa, ejusdem

[1] Annulus piscatoris refert imaginem S. Petri e navicula retia jacientis; servatur apud familiarem Papæ et defuncto Pontifice statim frangitur per Cardinalem camerarium.

[2] Qui plura inquirere voluerit de origine Bullarum et Brevium, et de variis discriminibus inter utrumque, adeat C. Petra, *Commentaria ad constitutiones apostolicas; Proœmialia*, § 1, 2, 3; Ferraris, v^is *Breve. Bulla*

sunt valoris pro foro interno, sive sint authentica, sive non, quia scriptura non requiritur ad substantiam privilegii (nº 57); unde satis frequenter contingit Papam hoc modo facultates tribuere: at si causa in forum externum deducatur, necessarium venit ut illarum concessio testimonio authentico comprobetur, ne quis prætextu oraculi vivæ vocis ordinem communem perturbare præsumat et leges eludere.

Quinam veniant nomine officialium S. Pontificis, quorum attestatio facta de concessis gratiis sufficit, ut in foro etiam externo fidem obtineant, non omnino constat : verumtamen dici potest idoneos esse vi sui officii qui ea de re testentur : 1º Cardinales quorum testimonio fides adhibenda est; 2º Legatos et Nuntios quibus officium specialiter fuerit commissum; 3º Secretarios Congregationum, Auditores sacri palatii, Secretarios litterarum apostolicarum et alios officiales curiæ Romanæ quoad ea quæ « ad cujuslibet officium, seu munus « quo funguntur pertinent, » uti declaravit Urbanus VIII Const. *Alias felicis*, anno 1635[1].

81. — Litteris apostolicis inseri solent formulæ quibus utitur Pontifex ad removendum efficacius difficultates quæ forte exsecutionem mandati retardarent. Præcipuæ hæ sunt: *Motu proprio et certa nostra scientia..... De plenitudine potestatis apostolicæ..... Non obstantibus quibusvis in synodalibus universalibusque conciliis editis et edendis constitutionibus et ordinationibus.....* His formulis Pontifex declarat se decretum tulisse *motu proprio*, id est spontanea voluntate, sive ad alicujus instantiam, sive nullo promovente, egerit. Effectus hujus clausulæ est quod gratiæ concessæ motu proprio sint sensu benigniori interpretandæ.....*Ex certa scientia*, id est re sibi nota, adhibitis virorum sapientum consiliis, ut excludatur suspicio subreptionis..... *Ex plenitudine potes-*

[1] Reiffenstuel, in tit. xxxiii, lib. V, Decret., § 7, n. 149-164. Ferraris, vº *Oracula vivæ vocis*.

tatis apostolicæ, qua potest a legibus communibus, a constantissima etiam disciplina recedere, cum judicaverit necessarium..... *Non obstantibus quibusvis*, etc.; unde nulla exceptio valet contra has constitutiones petita ex oppositis decretis conciliorum œcumenicorum; quibus cæteroquin, nemine inter catholicos contradicente, derogare valet, quando id expostulat majus bonum Ecclesiæ [1].

82. — V° *Utrum constitutiones apostolicæ debeant in singulis provinciis promulgari ut vim obligandi habeant?*

I. Agitur de constitutionibus disciplinaribus: quoad enim constitutiones dogmaticas, omnes fatentur non esse locum dubio: definitio dogmatica omnes Christi fideles obligat eo ipso quo certum est eam prodiisse a Sancta Sede, nec necesse est hanc definitionem per specialem promulgationem ipsis per provincias intimari.

Utrum vero promulgatio litterarum apostolicarum, in re disciplinari, fieri debeat authentice per singulas provincias, an e contra sufficiat eas uno loco, ut puta Romæ, promulgari ut vim obligandi habeant ubivis terrarum, et reipsa obligent statim atque sufficienter cognita fuerit illa promulgatio, disceptatur. Ut illa quæstio solvatur, abs re non erit memorare quæ olim fuerit ratio a SS. Pontificibus adhibita in legum promulgatione; et quam ob causam nova deinceps promulgationis forma prævaluerit.

Per duodecim priora sæcula Romani Pontifices constitutiones sive synodorum, sive Sedis Apostolicæ, quandoque mittebant in provincias per clericos probatissimæ fidei. Has constitutiones evulgandas transmittebant, inscriptas Episcopis alicujus regionis, interdum diversis Episcopis, sæpius tamen Primati, aut Metropolitanis, aut, ubi constituti fuerant, Vicariis apostolicis, qui postea Episcopis sibi subjectis nun-

[1] Cf. Begnudelli, *Bibliotheca juris canonici*, v° *Clausulæ communes*. — Barbosa, *de Clausulis usu frequentioribus;* 59ª, 79ª, 82ª, etc.

tiabant; qui autem hoc munus litteras apostolicas cæteris præsulibus significandi habebant, cogebant synodum regionalem, vel exemplaria, subscriptionibus munita, ad absentes mittebant per Diaconos, aliosve prudentes viros. Citantur exempla hujus modi promulgandi decreta Sanctæ Sedis quæ sic ad Episcopos singulos primum, et deinceps, horum cura, ad clerum plebemque, si omnibus communia erant, perveniebant.

Versus sæculum decimum tertium, quo frequentiora fuerunt dissidia inter principes et Ecclesiam Romanam, aliam rationem sua decreta promulgandi adhibuerunt Pontifices, scilicet per affixionem in uno loco factam, cum ista clausula quod constitutio sic promulgata *liget omnes et arctet perinde ac si ipsis intimata fuisset*. Hac usus est Martinus IV cum in Michaelem Palæologum Græcorum imperatorem anathemate animadvertit. Similem modum servarunt plures successores Martini, v. g. Bonifacius VIII, anno 1303, in eos qui læderent venientes ad Sedem Apostolicam vel recedentes ab ea, et deinde in Philippum Pulchrum; Joannes XXII in Ludovicum Bavarum, etc. Quo autem motivo ad id inducti sint satis patet; et aliunde declarat his terminis Leo X in sua constitutione eodem ritu promulgata in Lutherum : « Verum quia « difficile foret præsentes declarationis litteras ad præsen- « tiam et personam Martini et aliorum declaratorum et ex- « communicatorum personaliter deducere, propter iis faven- « tium potentiam, volumus ut adfixio et publicatio præsentium « litterarum in valvis duarum cathedralium... ita eos liget et « arctet... ac si eis et eorum cuilibet personaliter intimatæ « ac præsentatæ fuissent. » Inde forsan, exemplo ab iis casibus ducto in quibus ob temporum et hominum perversitatem, oppressionemque libertatis ecclesiasticæ, motivum grave suaserat recedere a veteri consuetudine notificationis et ritum alterum admittere, manavit praxis et paulatim invaluit cætera decreta eodem modo promulgandi; eo quidem

magis quod satis frequenter multa, tum ex parte principum, tum etiam ex parte plurium Episcoporum, obstitissent promulgationi litterarum apostolicarum in provinciis quas suis legibus attingere volebant Pontifices Romani.

83. — II. Tres sunt opiniones canonistarum circa vim promulgationis legum factam solummodo in urbe Roma, modo nunc assueto. 1ª tenet hanc rationem promulgandi litteras pontificias esse insufficientem, respectu provinciarum ab urbe Roma remotarum. Est essentiale legi, aiunt hujus opinionis patroni, ut societati intimetur non per famam, incertosve rumores, sed notitia certa; alias non est vera promulgatio : atqui, publicatio in uno solo loco facta apta non est ad hunc finem; non deducit, via certa et authentica, notitiam legis ad communitatem, sed per populares rumores, diaria, privatas epistolas, etc., ergo quamvis clausulæ adjiciantur supradictæ, lex, hoc modo promulgata, vim non haberet obligandi. 2ª opinio, quam tenent doctores non pauci, asserit promulgationem Romæ factam sufficientem quidem esse, spectato rigore juris, seu ex natura rerum, ut constitutio obligare valeat, sed de facto non obligare in foro conscientiæ, nisi Pontifex suam voluntatem in contrarium expresserit. Doctores, scilicet, qui hanc sententiam propugnant non negant jus S. Pontificis; sed existimant eam esse voluntatem illius præsumptam ut clausulæ Bullarum non aliter interpretentur quam de foro externo, pro casu quo res ad curiam Romanam devolvetur. 3ª demum opinio, quæ communior est doctorum, asserit leges, seu constitutiones apostolicas, simul ac Romæ in curia, aliisque locis consuetis, promulgatæ fuerint, ubique terrarum vim obligandi habere, nisi aliud in ipsis exprimatur [1].

[1] Cf. Van-Espen, tr. *de Promulgatione legum ecclesiast.* — Reiffenstuel, DE CONSTITUTIONIBUS, n. 117-131. — Billuart, tr. *de Legibus*, dissert. III, art. 2. — Suarez, *de Legibus*, lib. IV, cap. XV.

84. — III. His præmissis, dicimus 1° S. Pontificem jus certum habere statuendi ut promulgatio facta Romæ, vel in alio loco designato, sufficiat ad obtinendum vim obligandi in toto orbe christiano.

Omnes admittunt nullum in specie modum promulgationis requiri natura rerum; necessarium tamen esse atque sufficere legem eo ritu promulgari quo possit ipsa communitas, cui lex indicitur, certam et publicæ auctoritati innixam legis notitiam accipere, nullamque ejus probabilem ignorantiam prætendere. Hinc Van-Espen concludit decreta pontificia Romæ solum promulgata non censeri promulgata respectu provinciarum exterarum, quia, inquit, « moraliter impossi« bile est ut per eam publicationem populi et communitates « fidelium per vastissima locorum intervalla dispersi, certam « horum decretorum notitiam accipiant. » Nos e contra cum communi DD. opinione, potiori jure concludimus hæc eadem decreta vim obligandi habere, utpote vere ac sufficienter promulgata respectu totius communitatis. 1° Decretum intimatur communitati, nomine auctoritateque legislatoris qui solemniter declarat se illud proponere urbi et orbi; 2° multiplicia sunt media quibus notitia certa hujus facti publici paulatim ab urbe principe derivetur in extremas gentes. Nonne certo in dies novimus plurima facta religiosa, politica, bellica, quæ in dissitis terris peraguntur? Cur item, vel potius magis, notitiam non haberemus promulgationis decreti apostolici factæ in urbe Roma, inter quam et extraneas gentes sunt tam frequentes relationes? 3° Nemo sane dicet leges ecclesiasticas quo die Romæ publicantur eodem die gentibus remotissimis necessitatem inferre obtemperandi; sed nihil certe repugnat asserere has leges habere in actu primo, ut aiunt, vim obligandi, constitui vere in ratione legis communis; et populos dissitos ab urbe Roma tunc reipsa obligatione obtemperandi affici, quando, elapso tempore conveniente, pro majori vel minori distantia locorum,

sufficientem certitudinem promulgationis legis habuerint. Hæc notitia, non incertis rumoribus, sed publicæ auctoritati innititur. 4° Præterea animadvertere oportet quandoque necessarium fore, ob difficultates temporum, recedere a vetusta consuetudine promulgandi leges per singulas provincias. Audivimus modo Leonem X non aliam causam allegantem in constitutione contra Lutherum. Ergo dimitti debet superiori, qui divina ordinatione providere tenetur bono regimini omnium ecclesiarum, instituere ac sancire suprema sua auctoritate ritum promulgationis quem opportuniorem judicaverit.

85. — Dicimus 2° non allegari rationes sufficientes in favorem secundæ opinionis, ut asseratur modo generali leges pontificias, quamvis Romæ promulgatas, de facto non obligare gentes exteras antequam authentice in singulis provinciis publicentur, vel usu recipiantur.

Patroni hujus opinionis duobus præcipuis argumentis nituntur : scilicet arguunt 1° ex jure Romano, quod sæpe Pontifices declaraverunt servandum esse ubi jus canonicum nihil constituit; porro jus Romanum requirebat promulgationem per singulas provincias, et in jure canonico nihil habetur specialiter constitutum circa modum promulgandi leges ecclesiasticas. Arguunt 2° ex incommodis : si lex sit irritans, actus contra illam etiam ab ignorantibus facti erunt invalidi; si lex sit tantum jubens aut vetans, inducetur confusio inter incolas ejusdem provinciæ, et dabitur locus anxietatibus; qui enim aliquid noverint de promulgatione Romana tenebuntur lege, qui ignoraverint non tenebuntur; et si major pars ignoret, alii pauci nec commode, nec convenienter legem observare poterunt. « Ergo fundate dicimus, concludit Billuart, SS. Pontifices quorum regimen suave est et « benignum, et quibus data est potestas ad ædificationem, « non ad destructionem, nolle suas leges in provinciis obli-

« gare, antequam in illis promulgentur, nisi aliter se inten-
« dere declarent. »

Fatendum est non paucas utilitates secum afferre promulgationem authenticam per provincias : est quippe medium facile et securum legem cognoscendi ; viam insuper præcludit dubiis variisque interpretationibus quæ forte per longum tempus ex publicis rumoribus orirentur ; demum præcavet animorum dissidia et incertitudines in casu quo urgent difficultates contra observantiam legis, quia libertatem relinquit pastoribus recurrendi ad legislatorem, ut illi exponant statum rerum et quid fieri debeat ab eo accipiant. Contingere enim potest, uti animadvertit Benedictus XIV, legem, quæ cæteroquin sapientissima et valde utilis est plerisque ecclesiis, non convenire tamen quibusdam provinciis... Tandem sunt forte consuetudines locales, quibus non derogatur a lege generali, juxta ea quæ statuit caput *Licet Romanus Pontifex* (n. 20) ; hæc autem nulli magis nota sunt quam Episcopis, Ordinariis locorum : quam ob causam expedire, inquiunt, ut lex, antequam obliget in foro interno, fuerit per Episcopos in suis ecclesiis promulgata authentice.

Hæc quidem gravia sunt ; non sufficiunt tamen ad stabiliendam secundam opinionem. 1° Quidquid sit de jure veteri, S. Sedes sufficienter statuit quid servari nunc debeat per clausulas inseri solitas ; quod enim dicunt has clausulas referri solum ad forum externum, arbitrario asseritur, et alienum est a sensu obvio verborum. 2° Sunt rationes graves, et etiam urgentes quandoque necessitates servandi ordinem rerum a pluribus sæculis per regulas Cancellariæ constitutum. Vi harum regularum providetur efficacius uniformitati disciplinæ ; si quidem facta semel promulgatione per affixionem decreti apostolici locis determinatis, lex constituitur pro universali Ecclesia, ac nisi specialiter ab ea Sancta Sedes nonnullas provincias dispensaverit, cuncta negotia ad normam ejusdem legis dirimentur, undequaque orta sint. In-

super hoc modo, Sancta Sedes præcavet negligentiam, vel etiam malevolas artes quorumdam pastorum, qui indefinite, variis prætextibus, protraherent promulgationem litterarum apostolicarum.

86. — Dicimus 3° rem totam pendere a voluntate summi Pontificis, cui unice standum; et hæc sit conclusio quæstionis propositæ. Quapropter, si voluerit sua decreta, simul ac fuerint Romæ promulgata, ubivis terrarum obligare omnes qui illa certo noverint, nequaquam requiretur alia publicatio authentica per provincias. Hanc autem voluntatem sufficienter manifestat quoties apponi curat in suis constitutionibus clausulas a diuturno tempore consuetas, de quibus modo dictum est.

87. — Quod ad praxim attinet, hæc observanda :

1° Episcopi debent leges pontificias, Romæ promulgatas pro universali Ecclesia, suis diœcesibus intimare, nisi obtinuerint dispensationem, aut licentiam remittendi legis executionem ad tempora opportuniora. Si forte suboriatur dubium an Episcopus obtinuerit hanc licentiam, habeatve rationes canonicas differendi publicationem aut executionem legis, subditi debent regulariter stare judicio sui Prælati, in iis præsertim quæ sunt fori externi, donec S. Pontifex suam mentem declaraverit; alioquin contingerent in diœcesi divisiones noxiæ, aliis conantibus inducere observantias quas Episcopus impossibiles judicaret pro temporum adjunctis; quæ quidem dissensio animorum scandala procrearet, ordinemque publicum perturbaret.

2° Promulgationi solemni æquiparatur, imo aliquatenus vim majorem habet, uti in *Prolegomenis* animadvertimus, ipsa legis executio, per quam moribus communitatis inducitur.

3° « Attendenda est, ait Reiffenstuel, praxis et hactenus « recepta locorum consuetudo, utpote quæ tantæ est effi- « caciæ, dummodo rationabilis sit, ut non solum dubium

« jus, quale est præsens, ob tantam doctorum et rationum « varietatem, interpretari possit; sed etiam legi, tempore « longævo, derogare. » Hæc causa fuit cur ex pontificiis constitutionibus nonnullæ sint quæ variis in regionibus non obligant; quia nempe nec publicatæ, nec usu receptæ fuerunt, et defectu hujusce publicationis et acceptationis, quamvis ab initio culpabili, in desuetudinem abierunt, uti notant post Reiffenstuel, aliosque graves auctores, editores Cassinenses libri Ferraris, v° *Breve, Bulla*, n. 38. (Reiffenstuel, n. 132, 133, 134.)

88. — *Nota.* Quod politici dicunt de jure principis sæcularis, providendi ne leges seu rescripta SS. Pontificum, et conciliorum generalium, publicentur, et executioni mandentur, nisi prius fuerint a gubernio civili recognita, inscriptaque tabulis curiarum supremarum, sufficienter confutavimus in sectione præcedenti (n. 64). Abs re tamen non erit nonnulla subjicere de quæstione tanti momenti. 1° Quidquid asseruerint jurisperiti in cœtu legislativo et in *Concilio status*, dum disserebatur de *articulis organicis*, certum est nulla reperiri vestigia ante sæculum XV legis civilis qua vetitum sit litteras apostolicas intimare, antequam præsentatæ fuerint gubernio et munitæ approbatione quam vocant *exequatur*, seu *Placitum regium*. Primum istius modi edictum prodiit a Ludovico XI, anno 1475. — 2° SS. Pontifices has ordinationes potestatis civilis non prætermiserunt, data occasione, condemnare uti alienas a sacris traditionibus, injuriosas in Ecclesiam et labefactantes libertatem societatis spiritualis. Sic, ut duo exempli causa testimonia afferamus : Innocentius VIII commonuit litteris apostolicis, datis anno 1486, Joannem Lusitaniæ regem ut legem ea de re in sua ditione latam revocaret, quia hæc statuta sunt aperte contra libertatem et jura Sanctæ Sedis, ac proinde gravia et detestanda viris catholicis. Item Pius VII reclamavit per suum Legatum *a latere* contra *articulos organicos* ob eam potissimum rationem, ut

videre est in ipso textu reclamationum quem ad calcem tomi tertii nostrarum *Prælectionum* inseruimus. — 3° Fundatissimum est principium Ecclesiæ catholicæ necesse esse omnem Ecclesiam convenire ad sedem Petri *propter potentiorem ejus principalitatem*, ut supra audivimus e sancto Irenæo: ita providetur unitati Ecclesiæ, et Romanus Pontifex officium sibi commissum pascendi et regendi exequitur. At, si apostolicæ constitutiones non ante intimari, nec effectum sortiri possunt quam a principe sæculari probatæ sint, adimitur libertas Petri ad pascendum gregem; jurisdictio ecclesiastica subditur arbitrio principum etiam hæreticorum et paganorum, omnium enim eadem sunt jura politica; vis infertur Ecclesiæ catholicæ. Ergo sub quovis respectu consideretur hæc ordinatio civilis, nulla ratione est admittenda[1].

Nisi aliter ordinatum fuerit a S. Sede in quibusdam materiis ob concordata inita cum guberniis, hæc recognitio legum ecclesiasticarum a potestate laicali et inscriptio in tabulis curiarum, acceptari non potest a catholicis, nisi in hunc finem ut scilicet leges canonicæ recenseantur inter leges imperii, quarum utique executionem magistratus sæculares urgere possint.

Appendix de principatu civili S. Sedis.

89. — Hucusque egimus de juribus primatui apostolico divina constitutione connexis. Nulla quæstio hactenus mota est inter canonistas de civili principatu S. Pontificis; cum vero hodiernis temporibus nonnulli e catholicis existiment satius fore si S. Pontifex solam jurisdictionem spiritualem haberet, dum alii Ecclesiæ catholicæ contradictores eo usque deveniant ut asserere non dubitent illegitimam esse et divinæ

[1] Cf. Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. XII, cap. II.

ordinationi contrariam potestatem temporalem S. Sedis, unde concludunt inanes esse, ac vi destitutas, censuras quas hæc S. Sedes edixit in usurpatores provinciarum ditionis pontificiæ, abs re non erit paucis exponere quid ea de re sentiat Ecclesia catholica.

I. Nihil penitus obstat ex parte juris divini, et naturæ rerum, quominus S. Pontifex habeat simul jurisdictionem spiritualem in omnem Ecclesiam, et potestatem temporalem in quasdam provincias.

Hæc assertio est adeo evidens ut vix indigéat probatione; qua enim specie rationis dicetur adversari juri naturali, aut divino, rerum ordinationem quæ per tot sæcula servata est ab Ecclesia Romana, cum omnium populorum christianorum assensu? Nulla certe est repugnantia officii Episcopi et principis in eodem homine, qui utrumque sustinere potest, ac reipsa sustinet Romanus Pontifex, cum temperamento mansuetudinis ac paternæ sollicitudinis quæ pastorem decet, et justitiæ ac fortitudinis quæ regimini reipublicæ convenit. Nec dicant regimen ecclesiasticum, pro suo immutabilitate in doctrinis et traditionibus, adversari legitimis progressibus societatis civilis. Hæc doctrinæ catholicæ immutabilitas nihil præjudicii affert societati, nec ullo modo impedit progressus, seu adoptionem eorum omnium quibus scientia, vel industria humana, societates dotant in bonum commune. Quidquid consonum est juri divino, in temporum successu ac societatum evolutione, id Ecclesia probat, admittitque, cum sobria quidem et cauta, ut decet, sed sincera et diligenti cura; si quid autem sub vana specie progressus obtendant quod cum lege divina sociari non potest, id principi laico si christianus sit, non magis probare licet, quam S. Pontifici.

II. Potestatem temporalem in nonnullas provincias adepta est S. Sedes, non fraudibus certe, seu ambitione Pontificum, sed naturali rerum eventu, votis populorum, concessionibus-

que principum sæcularium, ita ordinante divina providentia, in gratiam libertatis Ecclesiæ.

Origines historicas, progressus, ac vicissitudines ditionis temporalis pontificiæ, exponendi non est hic locus; et hæc aliunde indubiis monumentis nota sunt[1]. Ratio etiam divinæ providentiæ in adducendo hunc statum rerum in aperto est. Cum enim catholica Ecclesia perfectæ societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuerit, ea libertate pollere debet ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subjaceat. Singulari idcirco divinæ providentiæ consilio factum est, ut cum imperium Romanum corruit et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex civilem principatum assequeretur. Quo sane a Deo ipso consultum est ut, in tanta temporalium principum multitudine ac varietate, S. Pontifex illa frueretur libertate politica quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque impedimento exercendam. Ita plane decebat ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda sedem illam quæ omnium gentium utilitatibus æquali sollicitudine et caritate consulere debet. « Nos satis scimus, ait *Bossuet*, Romanis Pontificibus et sacerdotali ordini, regum concessione, « ac legitima possessione bona quæsita, jura, imperia, ita « haberi ac possideri, uti quæ inter homines optimo jure habentur ac possidentur. Imo ea omnia, ut dicata Deo, sacrosancta esse debere, nec sine sacrilegio invadi, rapi, et « ad sæcularia revocari posse. Sedi vero apostolicæ Romanæ « urbis, aliarumque terrarum concessam ditionem, quo liberior ac tutior potestatem apostolicam toto orbe exerceat, « non tantum Sedi Apostolicæ, sed etiam toti Ecclesiæ gratu-

[1] Cf. Gosselin, *Pouvoir temporel du Pape au moyen âge*, Ire partie. — DD. Dupanloup, Ep. Aurel., *La Souveraineté pontificale selon le droit catholique et le droit européen*, in-8°, an. 1860.

« lamur, votisque omnibus precamur sacrum principatum « omnibus modis salvum et incolumem esse. » (*Defens. Declar.*, lib. I, sect. I, cap. XVI.)

Concilia provincialia in Galliis recens habita, Turonense, Burdigalense, Bituricense, etc..., omnes orbis catholici antistites, una cum S. Pontifice propugnaverunt eodem sensu jura S. Sedis, errores novatorum ea de re condemnaverunt, et S. S. D. nostro Pio IX assensi sunt dum profitebatur se indutum virtute ex alto quidvis discriminis, quidvis acerbitatis ante perpessurum, quam apostolicum officium in tuendo hæc sacra jura ulla ex parte desereret.

III. His præmissis, « facile intelligitur quemadmodum Ro« manæ Ecclesiæ principatus, licet suapte natura tempora« lem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacra, « quam habet, destinationis, et arctissimi illius vinculi quo « cum maximis rei christianæ rationibus conjungitur. »

Verba sunt Pii IX in litteris apostolicis diei 26 martii an. 1860, quibus pœna excommunicationis infligitur invasoribus et usurpatoribus provinciarum pontificiæ ditionis. Quæstiones proinde de juribus principatus civilis S. Sedis non remanent intra fines ordinis politici, sed ad ordinem religiosum simul attinent cum hæc jura fuerint dicata Deo, Ecclesiæque Romanæ data in finem spiritualem, ut S. Pontifex pleniore libertate fruatur in obeundo sacrum apostolatus ministerium per orbem terrarum. Qui eadem jura vi aut fraudibus invadunt peccant, non solum in legem justitiæ, sed insuper in religionem, et sacrilegium perpetrant ut mox audivimus ex *Bossuet*, quod et confirmavit S. S. D. D. Pius IX, in litteris apostolicis modo citatis, quibus facinora usurpantium provincias ditionis pontificiæ his verbis perstringit : « Grave « admittitur sacrilegium quo una simul aliena jura contra « naturalem divinamque legem usurpantur, omnis justitiæ « ratio subvertitur, et cujusque civilis principatus ac totius « humanæ societatis fundamenta penitus evertuntur. »

Ipsemet S. Pontifex, tametsi valeat ex plenitudine potestatis apostolicæ, ob urgentissimam temporum necessitatem, alienare partem bonorum et jurium temporalium Ecclesiæ Romanæ, sicuti aliquando alienavit bona et jura aliarum Ecclesiarum, id tamen non potest pro arbitrio; quia non est illorum dominus sed dispensator, non sibi sed Ecclesiæ quæsita sunt, et in suam sedem sacramentis obstringitur ne eadem bona alienet[1]. Id præsertim non potest in præsentibus temporum adjunctis, uti haud semel declaravit; quia abalienatio vergeret in detrimentum libertatis Ecclesiæ, honoris S. Sedis, ordinisque publici.

Articulus III. — De consiliariis et ministris S. Pontificis.

90. — S. Pontifex ministros habet qui illum consiliis et curis juvent in regimine Ecclesiæ, seu in negotiis particularibus. Sunt præsertim Em. Cardinales, Legati, Vicarii et Præfecti apostolici, necnon Protonotarii. Habet præterea Congregationes quæ partem officii apostolici sustinent, tribunalia ad causarum expeditionem, et Cancellariam. Expedit ut accuratam notionem habeamus horum ministrorum Sanctæ Sedis, et prærogativarum seu jurisdictionis Congregationum Romanarum.

§ 1. — *De Cardinalibus.*

91. — I° *Quid sint Cardinales?*

I. Cardinales dicuntur qui Ecclesiæ Romanæ senatum constituunt, qui soli electores sunt S. Pontificis, et pri-

[1] Juxta const. Pii V *Admonet*, an. 1567 editam et pluries a SS. Pontificibus innovatam, is qui in Romanum Pontificem eligitur promittit ac jurat se nunquam civitates, terras et loca ad S. Sedem pertinentia concessurum in feudum, vicariatum, ducatum, aut alium quemvis titulum perpetuum, aut ad longum tempus. Cardinales juramento etiam se obligant ad servandum, quantum in se est, eamdem constitutionem, et omnes ex ipsis qui alienationes hujusmodi vetitas, R. Pontifici insinuarent aut suaderent, sub etiam prætextu necessitatis vel evidentis utilitatis, eo ipso sententiam excommunicationis incurrerent.

marii illius consiliarii, et administri in regimine Ecclesiæ universalis.

Vocantur *Cardinales*, quia olim *incardinati* dicebantur qui alicui Ecclesiæ addicti erant, ut ibi stabiliter ministrarent, distinctione habita illos inter et cæteros clericos qui accidentaliter temporariam operam Ecclesiis dabant. (Cap. *Ministerium*, 2, DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI, lib. I, Decret.) Hinc more Ecclesiæ Romanæ, aliæ Ecclesiæ suos etiam habebant clericos, Cardinalis titulo insignitos, qui sicut officium, ita et nomen quibusdam in provinciis Galliarum usque ad ultimum sæculum retinuerunt[1]; sed a multo jam tempore nomen illud fuit communiter reservatum exclusive Episcopis provinciæ Romanæ, Presbyteris, ac Diaconis quos S. Pontifex ad cardinalatus dignitatem promovet.

Præter hanc etymologiam, nomen *Cardinalis* habet mysticam significationem quam frequenter scriptores memorant, et allegant ipsi pontifices, nempe *a cardine* super quem movetur ac innititur ostium domus. Sancta enim Romana Ecclesia his consiliariis et ministris selectis pontificiæ jurisdictionis firmiter stat et sua officia exercet; unde Eugenius IV dicebat : *Sicut nomine ita re ipsa cardines sunt super quos ostia Ecclesiæ universalis versentur et sustententur.*

II. In collegio Cardinalium triplex ordo distinguitur : 1us est *Episcoporum;* scilicet Ostiensis, Portuensis, Albani, Prænestini, Sabini et Tusculani, quos a sæculo decimo videmus clero Romanæ Ecclesiæ adscitos. Usus quidem obtinuerat, quemadmodum in omnibus aliis provinciis, ut viciniores Episcopi ejusdem metropolis partem haberent in electione Pontificis, illiusque conciliis præsentes adessent; sed per decursum sæculi decimi arctiora fuerunt vincula quibus hi præsules clero urbis Romæ, veluti pars illius nobilior, fuerunt cooptati. — 2us *Presbyterorum*, qui titulum habent ab

[1] Gohard, *Traité des Bénéfices*, tom. 1, p. 107.

Ecclesiis in urbe constitutis quæ olim vice erant parochiarum, ad quas utique fideles conveniebant divinas liturgias audituri, et S. Eucharistiam sumpturi; v. g. *Sanctæ Praxedis*, *Sancti Laurentii in via Latina*, etc... Hodie iidem tituli presbyterales dantur etiam Episcopis, quos tamen Papa designat cardinales-presbyteros horum titulorum : sic S. Carolus Borromeus habuit titulum presbyteralem *Sanctæ Praxedis*. — 3us Ordo est *Diaconorum*, quorum Ecclesiæ titulares fuere olim diaconiæ, seu sacella plerumque pauperum hospitalibus adjuncta, quæ diaconiæ nomen obtinuerunt, cum harum curam diaconi haberent.

Ante Sixti IV tempora, qui Cardinalis Diaconus creatus fuerat, presbyteralem titulum obtinere nequibat, nisi cum presbyter ordinaretur; at vero Pontifex ille, anno 1480, cœpit indiscriminatim presbyterorum titulos diaconis committere, et diaconorum presbyteris, posteaque res eo pervenit, ut etiam simplicibus clericis tituli diaconorum commendarentur. (Ferraris, v° *Cardinales*, art. 1; add. Casinenses, n. 77.)

Ea est lex præcedentiæ inter Cardinales ut Episcopi præcedant presbyteros, et isti diaconos. Inter Episcopos præcedit suburbicarius qui antiquior est institutione; inter autem presbyteros et diaconos, illi primum locum occupant qui primi ad Cardinalatum fuerunt promoti. Decanus S. Collegii est Cardinalis-Episcopus antiquior inter residentes in urbe.

92. — II° *Qua auctoritate creentur Cardinales, et quis modus in illorum promotione servetur?*

Ad solum S. Pontificem attinet jus eligendi et creandi Cardinales, cum sint consiliarii et administri Sedis Apostolicæ. Has autem regulas servare consueverunt S. Pontifices, a quibus recedere possunt pro suo arbitrio[1].

1° Præfinitus est numerus Cardinalium ad septuaginta;

[1] Card. Petra in Const. 1^am^ Eugenii IV, tom. IV, pag. 259 et seq.

quorum scilicet sex ex ordine Episcoporum, quinquaginta ex ordine Presbyterorum et quatuordecim ex ordine Diaconorum. Hoc sacrato numero, quem Sixtus V in perpetuum præfixit, habent SS. Pontifices senatum ad imitationem Moysis, qui septuaginta senes collegit ad sustinendum regimen populi Dei. (Bulla *Postquam*, § 4.)

2° Excluduntur a cardinalitia dignitate irregulares defectu natalium, etsi legitimati fuerint subsequenti matrimonio parentum. Insuper non assumuntur nepotes, fratres germani, nec patrui Cardinalis adhuc viventis, ne in consiliis prævaleat affectio parentelæ, et ut removeatur occasio simultatum.

3° Promovendus debet quatuor minoribus esse initiatus, et ab anno cooptatus clero, per primam tonsuram : tenetur intra annum ad diaconatum promoveri; alias, nisi tamen dispensationem obtinuerit, in consistorialibus negotiis, in congregationibus, et electione summi Pontificis voce activa caret, juxta præscriptum Sixti V.

Expetivit concilium Tridentinum ut assumerentur ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri potest; sicque assideant in curia Romana prælati qui melius noverint Ecclesiarum statum atque varias necessitates.

4° SS. Pontifices diversis ritibus usi sunt, pro diversitate temporum, in promovendo Cardinales; nulla siquidem cæremonia per se requiritur in hisce negotiis quæ omnino pendent a Sanctæ Sedis arbitrio; nec ulla necessitate tenentur exquirere Cardinalium suffragia, quamvis pro sui convenientia id non negligant. Consueverunt Pontifices proponere in consistorio quos in collegium cooptare intendunt, interrogando Cardinales quid ipsis videatur; hisque adprobantibus illico decretum promotionis edicunt. Quandoque, præterea, unum aut plures creant Cardinales quorum nomen in consistorio reticent, et qui idcirco dicuntur *reservati in pectore;* hi proclamantur ac declarantur in alio subsequenti consistorio.

5° Cardinalitiæ dignitatis insignia sunt birettum et galerus purpurea, cum annulo pretioso quem S. Pontifex immittit in digitum cardinalis promoti, cui simul unum titulum assignat. Non tamen horum insignium concessio, nec alii ritus adhibiti ad solemnitatem, nec juramenti præstatio, nec apertio oris, de quibus non est nobis dicendum per singula, necessaria reputantur ut Cardinales votum habeant in conclavi, et gaudeant præeminentiis et prærogativis suæ dignitatis; quia hæc cuncta sunt cæremoniæ mere accidentales, dum jura ab ipso actu creationis procedunt.

93. — III° *Quæ sint officia et privilegia Cardinalium?*

I. Officia præcipua Cardinalium unde educuntur illorum jura et dignitas præcellens, sunt : 1° S. Pontificem suis consiliis et opera juvandi in regimine Ecclesiæ; 2° Sede vacante, providendi electioni novi Pontificis; 3° negotia gerendi Ecclesiæ universalis, donec hæc electio celebrata sit; nihil tamen innovare debent nec possunt in disciplina, nec aliis curis operam dare quam electioni quam citius promovere tenentur, nisi urgeant causæ quarum definitio differri nequeat. Cap. *Ubi periculum*, 3, de Electione, lib. 1, in vi.

II. Singuli præterea Cardinales jurisdictione episcopali potiuntur in ecclesia sua titulari : eam administrant; in illa sacra mysteria solemniter agunt; tonsuram et ordines minores conferre possunt, si sint charactere sacerdotali insigniti, quo jure tamen non gaudent nisi pro clericis qui ipsorum tituli, seu Ecclesiæ, servitio sunt adscripti. Possunt etiam mandata edicere, et in horum statutorum transgressores animadvertere. Cap. *His quæ*, 11, De Majoritate et Obedientia, lib. 1, Decret. Hæc tamen jurisdictio, juxta constitutionem pontificiam Innocentii XII (*Romanus Pontifex*), ad ea solummodo attinet quæ *servitium Ecclesiæ, seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et correctionem morum duntaxat concernunt*. Non extenditur proinde ad excessus graves, nec ad forum contentiosum ubi delicta castigantur ad vindictam

publicam, sed stare debet intra fines correctionis paternæ, et extrajudicialis[1].

94. — III. Prætermissis aliis pluribus privilegiis quibus Sancta Sedes Cardinales donavit, dicemus solum de illorum præeminentia in cæteros omnes prælatos.

Cum illud proprium sit officium Cardinalium consociari S. Pontifici in sollicitudinibus Ecclesiæ universalis, illumque repræsentare, nemo mirari debet, si hac sua dignitate antecellunt alios prælatos, Episcopos, Metropolitas, atque Patriarchas, et primam post Pontificem sedem occupant in conciliis.

Ordo ille sedendi non servabatur ante sæculum duodecimum; multa monumenta probant hucusque Cardinales, presbyteros, et diaconos, gradum ordinis retinuisse, sedendo post omnes Episcopos, et ipsosmet Cardinales-Episcopos plerumque locum cessisse Primatibus[2] : sed cum Cardinalibus solis exclusive attributum sit suffragium in electione (an. 1179), et illis graviora negotia tunc committerentur, supra cæteros omnes collocati fuerunt, eosque videmus sine ulla ordinis distinctione antecedere Episcopos in primo concilio Lugdunensi sub Innocentio IV, habito ann. 1245. Extunc nulla in cæteris synodis subsequentibus, ne in Constantiensi et Basileensi quidem, orta fuit reclamatio contra hanc prærogativam, quam ipsi Patriarchæ agnoscere non abnuerunt.

Eugenius IV rationes præcellentiæ Cardinalium ita explicat in Bulla *Non mediocri* quam anno 1440 scripsit ad Henricum Arch. Cantuariensem, qui nolebat locum cedere Archiepiscopo Eboracensi (d'York), cardinalitia dignitate recens insignito : « Cum archiepiscopalis dignitas præsit Ecclesiæ « privatæ unius patriæ utilitati, ista totius populi christiani « publicæ. Illa unam duntaxat regit Ecclesiam, ista cum

[1] Ferraris, v° *Cardinales*, art. 3, n[is] 36, 37.

[2] Gohard, *Traité des Bénéfices*, t. I, p. 162-166. — Ferraris, v° *Cardinales*, art. II, n° 31.

« Sede Apostolica universas; et cum a nemine nisi solo Papa « judicentur Cardinales, ipsi et Patriarchas, et Archiepis- « copos, ac reliquos Ecclesiæ gradus cum S. Pontifice judi- cant. » Fatemur quidem Episcopos jure divino superiores suo ordine esse Cardinalibus qui solum presbyteratum vel etiam diaconatum receperunt; sed in societate christiana, jura præcedentiæ auctoritate jurisdictionali determinantur, potius quam charactere sacramentali ordinis; et hoc vel ab initio fuit in celeberrimis conciliis observatum, siquidem Nicææ, Chalcedone, Ephesi, Legati pontificii sedem occuparunt ante cæteros omnes, quamvis unus aut alter esset tantum presbyter vel diaconus[1].

Igitur, licet Cardinales, qua tales, nullam proprie dictam jurisdictionem habeant vivente S. Pontifice, nisi in suis Ecclesiis titularibus, cum tamen personam Pontificis repræsentare censeantur, illique præ cæteris adhæreant, omnes alios, merito ita jure disponente, præcedunt dignitate. Hac de causa, Urbanus VIII, audita relatione Congregationis, decreto consistoriali, anno 1630, statuit eos appellandos fore *Eminentissimos*, quod ubique servatur, nec aliis extunc convenit titulus ille *Eminentiæ*.

95. — IV° *Quid sit consistorium?*

Consessus Cardinalium qui habetur præside S. Pontifice vocatur *Consistorium*. Aliud est consistorium secretum quo soli Cardinales conveniunt; aliud publicum ac solemne, ad quod multi alii, legati principum et prælati admittuntur. Negotia quæ in consistorio tractari solent vocantur *consistorialia*. Hujusmodi sunt : promotiones Cardinalium, institutiones et

[1] Eadem prorsus ratione Archidiaconi, qui olim erant tantum ad ordinem diaconatus promoti, præcedebant sacerdotes; item canonici ecclesiæ cathedralis, quamvis plures essent tantum diaconi, et subdiaconi, in omnibus publicis cæremoniis, in choro, in processionibus, in synodis, sedem occupant ante omnes alios, quia collaterales habentur Episcopi, cujus senatum efformant.

translationes Episcoporum, quorumdam beneficiorum majorum provisiones...., quæ Sanctæ Sedi reservantur.

Ut vero illæ causæ cum ea quam rerum gravitas exposcit maturitate discutiantur, sicque præparata deferantur ad consistorium in quo definitio seu decretum detur, instituta fuit congregatio particularis quæ dicitur *consistorialis*.

§ 2. *De Congregationibus Romanis.*

96. — Causas ad suam sedem devolutas, pro rerum gravitate, alias in concilio Romano quo plures Episcopi conveniebant, alias in cœtu Cardinalium, alias vero cum clericis capellæ pontificiæ, seu sacri palatii auditoribus, olim Romani Pontifices definiebant. Cum autem difficultates temporum non sinerent satis frequenter celebrari concilia; nec aliunde possibile foret omnia graviora negotia, quorum numerus in dies invalescebat, in consistorio pertractare, cunctis Cardinalibus simul convocatis, summa cum prudentia SS. Pontifices instituerunt Congregationes Cardinalium ad causarum difficultates cognoscendas, et auctoritate Sedis Apostolicæ definiendas. Præcipua constitutio Sanctæ Sedis pro erectione harum Congregationum, illarumque attributionibus respectivis determinandis est Bulla Sixti V, *Immensa æterni Dei bonitas*, an. 1587.

Sunt igitur ita distributæ Congregationes pro negotiorum varietate, ut aliis causæ fidei, aliis causæ disciplinares, aliis res liturgicæ committantur; et insuper erecta sunt officia publica quibus Cardinales præsunt, ad expeditionem gratiarum seu indultorum. Ea ratione ministerium ac sollicitudo S. Pontificis allevatur, et omnibus utilitatibus Ecclesiæ utilissime fuit provisum.

1° Congregationes in causa fidei institutæ.

97. — I° *Quæ sint Congregationes in fidei causa institutæ, et quid in particulari de Cong. Inquisitionis notandum?*

In fidei defensionem et propagationem institutæ sunt Congregationes *Inquisitionis*, *Indicis*, et *de Propaganda fide*.

I. S. Congregationem Inquisitionis, quæ primum locum inter alias, ob excellentiam ac gravitatem objecti, tenet, primum instituerat Paulus III. Pius IV deinceps, Pius V, et tandem Sixtus V, multa sanxerunt ad definiendum illius attributiones.

Habet auctoritatem inquirendi, procedendi, et judicandi in omnibus causis quæ ad hæresim manifestam, ad schisma, ad apostasiam, ad sacramentorum profanationem, ad polygamiam, vel ad magiam attinent; quam utique auctoritatem exerere valet in omnes fideles, clericos et Episcopos, cujuscumque dignitatis sint, non solum in urbe et ditione temporali S. Sedis, sed in orbe universo terrarum, ubi viget religio christiana. Verba sunt Sixti V. Congregatio Inquisitionis duplici proinde officio fungitur : est simul auctoritas doctrinalis et judiciaria. 1° Fert sententias doctrinales de dubiis sibi propositis : sic recentioribus temporibus, multæ editæ sunt decisiones circa usuram et magnetismum, quæ ab illo tribunali prodierunt. Attamen quando graves oriuntur controversiæ, ac novæ quæstiones agitantur, SS. Pontifices solent specialem congregationem constituere, ad præparandam viam definitioni. — 2° Fert sententias judiciarias, quibus condemnantur vel absolvuntur rei criminis in causa fidei, et pœnis plectuntur. — Tribunal non procedit in Legatos neque in Episcopos, sine licentia speciali S. Pontificis..... Præterea, illius potestas restringitur per concordata, quando inter Sanctam Sedem et gubernia civilia convenit, ut judicia non aliter nec alibi peragantur quam in partibus a judicibus ordinariis locorum, exceptis causis majoribus jure reservatis, nec ad Sanctam Sedem appellari possit omisso medio.

II. Ut tanti momenti negotia prudenter tractentur, illa Congregatio viris magnæ auctoritatis coalescit, et res sedula cura in præviis concessibus examinantur ante definitivam

solutionem : quæ duo non inutile putamus hic indicare. Et quidem, si agitur de personis quæ huic congregationi intersunt, veniunt primo loco, uti judices, Cardinales plures, octo nimirum vel decem ; Cardinalibus multi consultores, electi inter regulares vel sæculares clericos, adjunguntur. Inter consultores unus est qui partes judicis ordinarii agit, et vocatur *Commissarius Sancti Officii;* est e familia S. Dominici, et habet unum assessorem. Alter e consultoribus cui singulariter competit nuncupatio *Consultoris Sancti Officii*, quia hoc munus peculiariter habet et præ cæteris exercet, est e familia Minorum conventualium. Magister generalis ordinis S. Dominici, et magister sacri palatii, inter consultores semper habentur et fixum locum occupant; tandem sunt inferiores officiales ut notarius, et alii.

III. Tres distingui debent conventus Congregationis, quorum duo priores sunt præparatorii. Primus conventus habetur in palatio Sancti Officii, prope basilicam Vaticanam; adsunt commissarius Sancti Officii, assessor, consultores, et inferiores officiales. Res in eo conventu discutiuntur maturo examine; et cuncta deinceps referuntur ab assessore in secundo conventu in quo interveniunt Cardinales, et qui locum habet (regulariter feria IV[a]) in domo ordinis S. Dominici, prope ecclesiam *B. Mariæ supra Minervam*. Cardinales audiunt relationem causæ, expetunt vota consultorum, quos in medium vocant, si utile judicetur; et sententiam suam dicunt, quam tamen S. Pontifici submittunt. Hoc sæpe modo concluditur negotium et prodit decretum sub illa forma : « Feria IV[a]... S. C. Eminentissimorum et RR. S. R. E. Cardinalium, habita in conventu S. Mariæ super Minervam, post examen theologorum ad id deputatorum, facta relatione ad Sanctissimum, præsenti decreto declarat... » Tandem, quando gravitas negotii exposcit, habetur tertius conventus cui præest S. Pontifex. Ipsi compendiose refertur quod gestum est conclusumque in præcedenti, sententia doctorum,

cum votis Cardinalium; quandoque introducuntur consultores ad novam explanationem causæ; ac tandem S. Pontifex suum judicium profert, quod communiter sic exprimitur : « Feria Vª... in generali Congregatione S. Romanæ et universalis Inquisitionis, habita in palatio apostolico coram SS. DD. N. et Em. DD. sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus in tota republica christiana Inquisitoribus, SS. Pater, auditis votis eorumdem, statuit ac decrevit.... »

Summaria hæc indicatio processus S. Congregationis Inquisitionis satis probat nihil fuisse neglectum quominus negotia fidei summa cum maturitate tractentur, et simul provideatur conditioni reorum, si causæ sint personales. Ipsimet hostes Ecclesiæ sæpe fateri coacti sunt servari in hoc tribunali modum qui benignitatem spirat et æquitatem. Maximam utilitatem Ecclesia ab illo reportavit ad custodiam fidei[1].

98. — II° *Quid sit Congregatio Indicis?*

S. Congregatio Indicis est ea quam S. Pius V instituit in subsidium Inquisitionis, ad proscribendum libros qui judicantur contrarii sanæ doctrinæ, vel moribus christianis.

Ut quæ ad hanc Congregationem spectant rite exponantur, quatuor attendere debemus : nimirum, regulas Indicis, modum quo congregatio procedit in applicatione harum regularum, judicium quod profert librum damnando, consectaria practica quæ ex illo judicio sequuntur.

99. — I. In concilio Tridentino, selecti Patres et theologi regulas decem ediderunt quas postea Pius IV et Clemens VIII approbaverunt, præcipiendo inviolabilem illarum observationem. Summarium hoc est :

[1] Nihil diximus de tribunali *S. Officii*, seu Inquisitionis quo sedent Judices deputati ut procedant contra reos pravitatis hæreticæ, quia de facto jam a multo tempore desiit illud tribunal extra ditionem temporalem S. Sedis; et quia aliunde, in IVª parte ubi de *Judiciis* et *Pœnis*, locus erit explicandi formam processus hujus tribunalis et exponendi principia juris circa pœnas temporales.

1° Prohibentur omnes libri hæresiarcharum cujuscumque argumenti existant, et libri hæreticorum qui de religione ex professo tractant; libri autem quos hæretici de aliis materiis composuerunt, permittuntur, ea conditione quod fuerint a theologis catholicis, jussu Episcoporum, examinati et approbati.

2° Versiones Veteris Testamenti factæ ab auctoribus hæreticis vel suspectis de hæresi, non aliis concedi possunt quam viris doctis et piis, judicio Episcopi, modo tamen iis utantur solum tanquam elucidationibus Vulgatæ editionis, non tanquam sacro textu; modo insuper, si quæ annotationes his versionibus annexæ sint, expurgentur prius a facultate theologica alicujus universitatis catholicæ, aut inquisitione generali, loca suspecta. Versiones autem Novi Testamenti ab iisdem auctoribus factæ nemini conceduntur, quia parum utilitatis, et plurimum plerumque periculi habent.

3° Non conceditur usus versionis, seu traductionis Bibliorum in lingua vulgari, nisi illa versio fuerit a Sancta Sede approbata, vel edita cum annotationibus desumptis ex SS. Patribus, aut ex doctis catholicisque viris. Hoc, propter perseverantes hæreticorum fraudes, pluries præscripserunt SS. Pontifices, et S. Congreg. *Indicis* his inculcavit decreto 7 jan. 1836 : « Revocanda iterum esse in omnium memoriam quæ alias « decreta sunt : vernaculas nimirum Bibliorum versiones non « esse permittendas nisi quæ fuerint ab Apostolica Sede ap- « probatæ, aut cum adnotationibus editæ. » Non idcirco, suppositis etiam conditionibus, lectio versionis in lingua vernacula passim sine discrimine conceditur; sed his solummodo qui ex consilio sui confessarii vel parochi, præsumuntur ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis dari mandat regula IVª.

4° Idem servandum præcipitur de libris vulgari idiomate disserentibus de controversiis inter catholicos et hæreticos

temporis præsentis; id est, horum librorum lectio non omnibus indiscriminatim datur, sed iis solum qui judicio Episcopi, absque fidei ullo detrimento, hac facultate uti posse cognoscuntur.

5° Prohibentur omnino libri qui res obscœnas ex professo tractant, vel sortilegia, auguria, aliasve artis magicæ incantationes continent.

6° Innovatur decretum concilii Lateranensis V, sess. x, sub Leone X, circa librorum impressionem; quapropter prohibetur ne quis librum publice edat, nisi prius obtinuerit approbationem ab ordinario qui curabit librum a se, vel ab alio idoneo ad id deputando, examinandum; quod ad ephemerides etiam extendi declaravit S. Congregatio Concilii. Ut efficacior lex illa redderetur, ac pericula removerent, SS. Pontifices voluerunt : 1° nomen et cognomen auctoris in fronte libri inscribi; 2° ipsam approbationem in scriptis dari et in fronte libri consignari, ut authentice lectori appareat. In casu quo de auctore non constat, vel Episcopo videtur ob justam causam librum edi posse tacito ejus nomine, describi debet nomen illius qui librum examinaverit atque approbaverit. (Instructio data a Clemente VII, *de Impress. librorum*, § 1; — Conc. Trid., sess. IV, *Decretum de editione librorum.*)

7° Qui libros hæreticorum, vel cujusvis alterius scriptoris ob hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem, damnatos legunt aut detinent, incidunt ipso facto in excommunicationem majorem; qui vero libros alio nomine interdictos legunt, vel habent, incurrunt reatum peccati mortalis et possunt judicio sui Episcopi severe puniri. Præterea omnes qui libros imprimunt, aut imprimi facere præsumunt, non obtenta approbatione, excommunicationi subduntur vi decreti Conc. Lateranensis.

100. — II. Sacra Congregatio *Indicis* ad hoc fuit instituta ut harum regularum fidelem observationem procuret. Com-

ponitur numero competenti Cardinalium, et habet secretarium ex ordine S. Dominici, cum primario consultore, et multis viris peritis in theologia, jure canonico, aliisque partibus disciplinæ sacræ.

Officium Congregationis non est inquirere an alicubi editi sint libri contra fidem vel mores, sed examinare libros qui deferuntur. Ut vero judicium de libris delatis ferat, illorum examen committit uni, vel alteri consultori, qui in relatione manuscripta quid sentiant exponunt, indicatis locis et paginis ubi defectus reperitur. Clemens VIII per *Instructionem* pro iis qui examini curam daturi sunt, et Benedictus XIV per Bullam *Sollicita*, regulas sapientissimas præscripserunt[1]. Uterque graviter monet theologos deputatos ad examen, ut præcaveant ab omni studio partium et præoccupatis opinionibus scholæ, seu nationis, quas intactas relinquere oportet, quamdiu nullo decreto Sedis Apostolicæ fuerunt damnatæ, ac sine ullo religionis detrimento defenduntur, aut oppugnantur.

Relationes censorum libri exhibentur sacræ Congregationi per manus secretarii. Si liber sit scriptoris catholici, aliqua meritorum et nominis fama illustris, consulit Benedictus XIV ut Congregatio audiat auctorem suam causam tueri volentem, vel unum ex consultoribus designet qui patrocinium libri suscipiat, si opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur (*Sollicita*, § 10). Hoc tamen, etsi valde conveniens, prudentiæ S. Congregationis dimittit; non enim reputatur omnino necessarium, cum non persona auctoris, sed liber solus, in causam veniat.

101. — III. Tandem profertur judicium, si, re serius considerata, scriptum censura dignum reputetur.

Notare est 1° in hocce judicio Congregationem alterutro

[1] Hæ litteræ Apostolicæ, cum aliis instructionibus scitu valde utilibus, reperiuntur ex integro consignatæ in libro *Indicis*.

modo pronuntiare : vel condemnat librum simpliciter et absolute, vel illum prohibet *donec corrigatur*. 2° Utravis forma judicium pronuntiet, non indicat motiva censuræ; an sint errores contra fidem, opiniones falsæ contra disciplinam, commendationes ritus superstitiosi, quæstiones intempestive tractatæ contra legem eas interdicentem, aut quæ periculum procreare possint, dicteria in præjudicium famæ et existimationis aliorum, aliave istius modi... Hæc enim singula sufficiunt ut liber condemnetur, quod concludimus ex *Instructione* data a Clemente VII, § 11; et testatur Cardinalis Gabrielli in sua epistola ad Fenelonium, occasione censuræ Lovaniensis contra famosam resolutionem casus a quadraginta doctoribus datam Parisiis, in negotiis Jansenismi. « Unum subjiciam, aiebat Gabrielli, haud raro evenire simi- « les censuras nigro theta notari eo quia ipsarum auctores « in unum errorem recto fine invecti, in alterum extremum, « seu quid huic finitimum incauti impingunt, vel in convicia « et maledicta erumpunt, vel intempestivis digressionibus « privatas passiones ulciscuntur, vel bonam causam malis « et alias reprobatis mediis tueri obnituntur[1]. » Attamen, licet ex solo tenore judicii concludi non possit ob quam causam liber sit damnatus, hoc plerumque ex circumstantiis innotescit; et aliunde sufficienter per illud fideles admonentur librum esse sub aliquo respectu reprehensione dignum. 3° Decreto damnationis adjicitur prohibitio his terminis : « Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis, prædicta « opera damnata et proscripta, quocumque loco, et quo- « cumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere « vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut hæreticæ « pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub pœnis in « indice librorum vetitorum inditis. » Hæc prohibitio attingit libros condemnatos sub clausula *donec corrigatur*, sicuti

[1] *Correspondance de Fénelon*. t. III, n° 100, p. 26 (ed. Paris.).

alios qui sunt proscripti modo absoluto. Notandum, quoad libros primæ classis, correctionem a nemine privato judicio atque auctoritate fieri posse, sed rem totam ad S. Congregationem referri debere. Si correctio facta ipsi sufficiens visa fuerit, permittit ut liber de novo imprimatur, vel adjectis foliis et resecatis locis suspectis rursus divulgetur, at ea conditione ut in frontispicio hæc aut similia exarentur : *Cum correctione per S. Congregationem ordinata.*

102. — IV. Regulæ *Indicis* et decreta S. Congregationis habent per se, ubivis locorum, vim directivam simul et obligatoriam in omnes Christi fideles; nemo quippe catholicorum dubitare potest de jure pontificio proscribendi et interdicendi libros nocuæ lectionis.

Horum decretorum rigorem paulisper temperari in nonnullis regionibus, ob diuturnam praxim et præsumptam tolerantiam Sanctæ Sedis, existimant plures doctores non minimi quidem nominis, uti sunt, inter cæteros : Layman, Wiestner, Engel, Schmalzgrueber, Pichler, in suis commentariis tituli DE HÆRETICIS, 7 lib. V Decretalium; etsi non eodem sensu singuli suam mentem aperiant. Alii asserunt *Indicem* non esse in Germania receptum quoad libros hæreticorum; nec consequenter excommunicatos haberi qui hos libros legunt, tametsi graviter peccent si eos legant cum periculo erroris aut deceptionis, ut frequenter fit. Alii sustinent *Indicem* non esse receptum quoad pœnam excommunicationis; urgere tamen quoad reatum peccati quod plerumque ob periculum subversionis committitur. Schmalzgrueber et Pichler mediam viam tentant inter dissentientes sententias. « Doctrina Laymani, ait Schmalzgrueber, videtur « locum habere potissimum in iis libris qui cæteroquin boni « sunt, sed ob unam, aut alteram, aut plures doctrinas « minus convenientes cum theologia, sanctis canonibus et « constitutionibus pontificiis, vel quia scripserunt de materia « de qua scribere non licet, damnati sunt; nam tales libros in

« Germania, non obstante Indice expresse illos prohibente, « passim teneri et legi in comperto est, quales v. g. sunt « Pellizarii *Manuale Regularium*, Barbosæ *Collectaneæ declarationes et remissiones*, etc., in qua doctrina consentit « ipse Reiffenstuel, nº 119, quamvis addat securius et laudabilius esse, etiam in his, simpliciter obedire Sedi Apo-« stolicæ. » (Tit. VII, *De Hæreticis*, nº 60; Pichler, eod. tit., nº 10.) *Billuart*, vir Sedis Apostolicæ præscriptionibus addictissimus, non aliter opinatur; nam memoratis regulis IVª, VIª, VIIª *Indicis*, animadvertit : « Verum observant auctores hunc « indicem non esse quoad omnia in toto rigore receptum. » (Dissert. V, art. 3, *De Hæresi.*) Tacemus plures scriptores Gallicos qui eadem de praxi Galliæ dixerunt ac Germani.

Communiter, et merito quidem, cæteri theologi stant pro vi obligatoria decretorum S. Congregationis, de quo argumento gravem eruditamque dissertationem edidit S. Alph. de Liguori[1].

Animadvertendum est patronos prioris opinionis non posse inniti argumento ex consuetudine deducto, quandoquidem Benedictus XIV statuit atque decrevit, Const. *Quæ ad Catholicæ*, an. 1757, Indicem ab omnibus et singulis ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter observandum fore sub pœnis tam in regulis Indicis quam in litteris apostolicis et constitutionibus alias statutis quas confirmavit et innovavit, *non obstantibus usibus, stylis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.* Igitur consuetudines tempore Benedicti XIV inductæ contra regulas Indicis sublatæ sunt vi hujus constitutionis. A tempore autem Benedicti et recentiori ætate, prodiit jussu Leonis XII decretum quo mandatur *in memoriam revocanda esse universis Episcopis ea quæ in regulis Indicis atque in*

[1] Appendix III, lib. I, *De justa prohibitione et abolitione librorum nocuæ lectionis.*

decretis SS. Pontificum... ad pravos libros proscribendos, abolendosque... continentur; *ut nimirum quia prorsus impossibile est libros omnes noxios incessanter in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant.* (26 mart. 1825.) Gregorius XVI revocari iterum voluit in communem notitiam per litteras encyclicas 8 mart. an. 1844, *standum esse generalibus regulis et decretis quæ Indici librorum prohibitorum præposita habentur, atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse qui nominatim in eumdem Indicem relati sunt, sed ab aliis etiam de quibus in memoratis generalibus præscriptionibus agitur...* Hæc probant sanctam Apostolicam Sedem velle ut conserventur, quantum moraliter potest, regulæ Indicis, non obstante consuetudine in contrarium invecta; adeo ut etiamsi non prematur executio decretorum ad litteram, sed aliquid toleretur in ea parte ob conditionem temporum, nec urgeantur pœnæ canonicæ, vim nihilominus retineat legislatio canonica, quæ est tanti momenti ad fovendum integritatem fidei, et morum.

103. — Concilia provincialia recens in nostris regionibus celebrata quædam statuerunt, aut declaraverunt eodem sensu ad rem propositam, quæ referre opportunum duximus.

1° De impressione et divulgatione librorum. — Non urgentur lex Lateranensis et regula x^a^ *Indicis* quibus sub pœna excommunicationis, et mulctis pecuniariis, prohibetur impressio et publicatio cujuslibet libri, sine prævia approbatione ab Ordinario, quæ leges omnes sine exceptione libros et ephemerides attingunt : nec etiam urgetur regula qua præcipitur librariis habere indicem librorum venalium, sub pœna amissionis librorum qui non sunt approbati, et aliis pœnis Episcopi judicio imponendis. Observant Patres Conc. Senonensis has sapientissimas sanctæ matris Ecclesiæ leges urgere nullatenus in promptu esse propter improbitatem temporum. (Tit. xi, cap. iii.)

2° De scriptoribus. — Concilium Burdigalense, decretis

Lateranensibus et Tridentinis inhærendo, prout ratio temporum sinit, monet « nulli licitum esse in lucem edere, sine « prævia Episcopi approbatione, vel saltem licentia, libros ex « professo de religione disserentes, et multo minus formas « precum, cantica vernacule scripta, catechismos, prælectio-« nes theologicas, versiones Scripturæ sacræ, librosque li-« turgicos, ut Breviarium... et Eucologium. » Idem « omni-« bus prohibet » synodus Auscitana. (Burd., tit. I, cap. IV; Auscit., tit. I, cap. IV, § 16.) Alia concilia, nempe Parisiense, Lugdunense, Bituricense, Senonense, Avenionense, Albiense, prohibent viris ecclesiasticis ne librum ullum, aut scriptum quodcumque « absque Ordinarii prævio examine et permissu « typis mandent, in quo exhibeantur et proponantur fidelibus « religionis dogmata, aut historiæ ad scholarum et catechis-« morum usum, aut orationum formulæ... ; » scriptores autem laicos monent atque hortantur, quoties intenderint aliquid de rebus ecclesiasticis tractare, ne hoc difficile opus temere aggrediantur; sed ut consulant virum prudentem et doctum, vel etiam sua scripta subjiciant auctoritati spirituali. (C. Paris., tit. III, cap. XI; Lugd., n° 28; Albiense, art. III, decret. 2.)

Tandem notandum, quod ad clericos spectat, concilium Lugdunense prohibuisse ne absque prævia Episcopi licentia diarium, seu scriptum periodicum, suscipiant edendum aut dirigendum. Concilium item provinciæ Turonensis, Rhedoni habitum, eos admonet ne quid agant in iis quæ res politicas spectant, nisi consulto et annuente Episcopo. (C. Turon., decret. 23.)

3° De lectione librorum damnatorum. — Concilia Avenionense, Albiense, Burdigalense (an. 1850) et Tolosanum, inculcant regulas generales de vetita lectione librorum damnatorum. Concilium Aven. rectoribus commendat ut fideles sæpius moneant « legibus Ecclesiæ gravissimis prohibitum « esse ne emantur, legantur, retineantur libri a Sede Apo-

« stolica vel ab ipsis Episcopis damnati. » Concilium Albiense statuit : « Decreta quibus SS. Pontifices in universa Ecclesia, « et Episcopi in sua quisque diœcesi, hujusmodi librorum « (qui fidei aut moribus adversantur) lectionem, retentionem, « vel impressionem prohibent, in conscientia obligant etiam « clericos. Nullus ergo prohibitos libros legere et retinere « præsumat, nisi adsit necessitas et a competente aucto« ritate obtineatur licentia. » Concilium Burdigalense, hæc habet : « Pariter libros a S. Sede vel ab Ordinario dam« natos et vetitos nemo legere præsumat. » Concilium autem Tolosanum : « Quoad libros vetitos serventur apostolica de« creta de impetranda a S. Pontifice licentia eos retinendi « et legendi. » (§ 52.)

Hæc, quæ ex decretis conciliorum provincialium collegimus, sollicitudinem venerabilium nostrorum antistitum ostendunt ; ac simul indicant conclusionem practicam quæstionis, seu quid nobis in re tanti momenti servandum sit. Tametsi concilia allegata non eodem modo, quoad nonnullos articulos, disciplinam pro suis provinciis explicaverint, cuncta tamen eo conducunt ut serventur leges canonicæ, quantum sinit ratio temporum, et ut exhibeatur reverentia debita decretis pontificiis ; quod et nos singuli exemplo promovere, et cæteris, prout prudentia suggesserit, omni studio qua monitis, qua suasionibus, sollicite inculcare debemus.

104. — III° *Quid sit Congregatio de Propaganda fide?*

Congregatio *de Propaganda fide* ea est quam Gregorius XV, an. 1621, Const. *Inscrutabili*, instituit ad invigilandum conservationi atque propagationi fidei in regionibus infidelium, et principum hæreticorum.

Huic congregationi competit statuere quidquid inservit propagationi fidei apud dictas gentes : nempe 1° de erectione diœceseon seu districtuum quæ vicariis apostolicis committuntur ; 2° de delectu vicariorum, præfectorum et Episcoporum pro iisdem regionibus ; 3° de transmissione missionario-

rum qui has regiones evangelizent; 4° de regulis servandi in ritibus ecclesiarum quæ ibidem formantur; 5° de solutione difficultatum quæ quandoque oriuntur tum inter clerum sæcularem ac præsertim Episcopos seu vicarios apostolicos et regulares, tum inter diversas familias regularium.

Ut tot necessitatibus provideretur, necesse fuit ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium graviora negotia, quæ majori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis S. Congregationis cardinalibus tractarentur. Quocirca sub Gregorii XV successoribus, scilicet Urbano et Clemente Pontificibus, speciales congregationes, ex ipsius generalis Congregationis *de Propaganda fide* gremio, constitutæ fuerunt *super dubiis Orientalium*, et *super correctione librorum Orientalium*. Quum autem in dies multiplicarentur hæc negotia, tum quia gentes Orientalis ritus possunt liberius communicare cum Apostolica Sede, tum quia sancta religio, hoc potissimum ineunte sæculo, mirum progressum habuit in America septentrionali, in Indiis orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europæ partibus, SS. Noster Pius Papa IX voluit novis auxiliis S. Congregationem munire, novam ex ipsa specialem et stabilem congregationem formando pro omnibus Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis. Constitutione itaque *Romani Pontificis* edita die 6 jan. 1862, tria hæc in perpetuum servanda constituit : 1° omnia negotia quæ hucusque ad eamdem Congregationem *de Propaganda fide* pertinebant dividentur in posterum in duas classes, nempe in negotia latini ritus, et negotia orientalis ritus ; adeo ut nova Congregatio omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta, quæ scilicet sive rei, sive personarum ratione, Latinos attingant, tractare debeat, nisi ipsa hæc eadem negotia ad generalem Congregationem Propagandæ fidei deferenda esse interdum existimaverit; 2° hæc nova Congregatio titulum *de Propaganda fide*, cum hac tantum accessione *pro negotiis ritus Orientalis*, re-

tinebit et eodem sigillo utetur quo Congregatio Propagandæ fidei; 3° eadem Congregatio, cui præerit Cardinalis Præfectus Congr. Propagandæ fidei, componetur ex numero sufficienti cardinalium ejusdem Congregationis, et proprios habebit consultores, ac distinctum secretarium et secretariam cum suis officialibus. Cardinales autem divident inter se propria cujusque Orientalis nationis negotia, ita ut unusquisque cardinalis stabili modo penes se habeat causas unius vel plurium nationum, prout ei in divisione contigerit. Ea ratione singulæ nationes semper habebunt cardinalem relatorem qui Congregationem accuratissime certiorem faciat de negotiis in quæ ipse incubuit.

Urbanus VIII erexit collegium *Propagandæ* in quo aluntur et disciplinis sanctis informantur juvenes regionum quas excolunt missionarii, cæterive qui iisdem missionibus se devovere intendunt.

2° Congregationes in favorem disciplinæ erectæ.

105. — Secundo loco reponimus Congregationes quibus S. Pontifex utitur in regimine Ecclesiæ, in exercitio scilicet potestatis legislativæ et administrativæ. Hæ sunt præsertim : *Congregatio Concilii*, *Congregatio super negotiis Episcoporum et regularium*, *Congregatio jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ*.

106. — IV° *Quid sit Congregatio Concilii ?*

I. *Congregatio EE. Cardinalium concilii Tridentini interpretum* officium habet : 1° interpretandi decreta Concilii quæ ad disciplinam referuntur (hæc facultas fuit ipsi impertita per constitutionem S. Pii V, qui simul voluit interpretationem definitionum dogmaticarum et dubiorum de fide reservatam manere SS. Pontificibus) ; 2° promovendi observantiam decretorum Concilii. Quapropter recipit relationes quas Episcopi ad Sanctam Sedem mittunt de statu suarum Ecclesia-

rum; recognoscit, et quæ reformatione egent reformat, decreta conciliorum provincialium quæ ante hanc recognitionem promulgari non debent, juxta Bullam Sixti V *Immensa*, de qua suo loco dicemus; curat de residentia Episcoporum.

Congregatio Concilii non eodem modo omnes causas sibi attributas resolvit: aliquando emittit decreta per modum legis generalis; aliquando resolvit dubium particulare propositum, et in hoc casu responsio datur juxta expositionem causæ et circumstantias quæ illius sensum et applicationem determinent [1].

107. — II. Inter canonistas controvertitur de auctoritate resolutionum S. Congregationis Concilii, an videlicet vim decisivam habeant tantum in casu proposito et respectu personarum quæ casum proposuerunt, instar judiciorum quæ a tribunali feruntur, an potius sint regulæ generales et obligatoriæ in utroque foro, respectu omnium qui in casu simili versantur [2].

Dubium moveri non debet de decretis quæ cum assensu S. Pontificis edita, a S. Congregatione forma consueta legum promulgantur Romæ; his enim nihil deest quominus vim obligatoriam habeant, eadem prorsus ratione ac cæteræ leges pontificiæ [3]. Agitur proinde solum de declarationibus datis ad casum propositum.

« Duplex est, ait S. Alph. Liguori, ea de re sententia; « utraque probabilis, ut recte dicunt Salmanticenses. » (*Theol. mor.*, lib. I, n° 106.) Multi tenent hæc responsa S. Congregationis habenda fore uti decisiones doctrinales quæ magni

[1] Resolutiones S. Cong. quæ prodierunt ab anno 1718 reperiuntur in *Thesauro resolutionum S. Cong. Concilii* quæ jam 110 vol. in-4° constat. Resolutiones quæ ab origine Congregationis ad annum 1717 datæ sunt, reperiuntur in voluminibus manuscriptis quæ *libri decretorum* dicuntur. Plures ex illis decisionibus citantur apud probatos auctores.

[2] Schmalzgrueber, *Dissert. procemialis*, § IX, n. 370-378.

[3] Pignatelli, t. IX, consult. 174; Zamboni. § XVII, ad obj.~v

quidem sunt ponderis, adeo ut vir sapiens non ab eis recedat nisi gravis ratio aliud suadeat; sed quæ nihilominus vim obligatoriam per se non habent, nisi respectu personarum quibus dantur. Probant 1° ex defectu promulgationis, nam illæ resolutiones non promulgantur more legum, sed diriguntur tantummodo ad personas quarum interest; 2° ex forma resolutionis, quæ doctrinalis potius videtur quam auctoritativa; dicitur enim *censuit* S. Congregatio; vel ad dubia proposita respondet *affirmative*, *negative*, aliove simili modo; 3° ex contrarietate declarationum quæ prodierunt a S. Congregatione; non enim fuit semper sibi constans in interpretatione decretorum Concilii, sed non semel a suis decisionibus postea, novo facto examine, recessit; cujus variationis nonnulla exempla in decursu videbimus. Ita præ cæteris Ledesma, Vega, Sanchez, Bonacina, Leyman, Gonzales, Pellizari, *et alii*, ait Smalzgrueber, *non levibus persuasi argumentis*, n° 370 [1].

Alii communius tenent declarationes Congregationis vim legalem habere, respectu omnium qui illas certo noverint. Probant 1° auctoritate S. Congregationis cui Sancta Sedes officium commisit interpretandi decreta Concilii; cum enim Sancta Sedes quæ ex omnium confesso jus habet leges communes interpretandi, hoc commiserit S. Congregationi, declarationes authenticæ Congregationis vim eamdem habere debent, ac si fuissent ab ipsomet S. Pontifice prolatæ; 2° non refert quod illæ resolutiones non promulgentur more consueto legum; siquidem non requiritur, juxta communiorem canonistarum opinionem, promulgatio facta societati quando datur nuda interpretatio, quæ non introducit jus novum, sed sensum genuinum juris vigentis declarat; 3° necessaria non est auctoritas infallibilis, ut declarationes vim legalem obti-

[1] Bonacina, *de Legibus*, disp. I, quæst. I, punctum VIII, n^is 2-7. — Layman, *de Legibus*, tract. IV, § 7. — Gonzales, *Apparatus de origine juris canonici*, n° 57.

neant, alioquin nec judex, nec alius quivis superior jus haberet præcipiendi, nisi donetur privilegio infallibilitatis, quod dictu absonum est. Cæterum, non tanta est contrarietas declarationum quanta supponitur, et si quandoque variavit Congregatio, donec certa fixaque fuerit jurisprudentia curiæ Romanæ circa nonnullos articulos, non amplius a decisis recessit quando tandem rem definivit, quæstione ad S. Pontificem relata. Ita plures canonistæ ex quibus duos potissimum citare sufficiet qui quæstionem ex professo fuse tractaverunt, Fagnan in cap. *Quoniam* DE CONSTITUTIONIBUS, et Zamboni in sua *Introductione* ad Collectionem Declarationum, § XV–XVIII.

Utraque opinio libere sustinetur in scholis, ut modo audivimus ex S. Alphonso de Liguori [1]; quod similiter testantur duo theologi recentiores, nempe Scavini et P. Gury in suis tract. *de Legibus*. Secunda opinio nobis magis firmata videtur doctorum auctoritate et rationum pondere. Quamvis enim propugnari possit interpretationem legis dubiæ datam a legislatore vim legis non habere communiter respectu omnium nisi promulgata sit, de quo supra diximus (n° 37); quod tamen ad declarationes authenticas S. Congregationis attinet, recedendum non est in praxi ab opinione communissime recepta. Finis quem Sancta Sedes habuit committendo S. Congregationi interpretationem et executionem decretorum disciplinarium concilii, praxis constans ejusdem Congregationis postulandi ut stetur declarationibus datis quando nova dubia exurgunt in casibus omnino similibus, ipse demum consensus ea de re tot doctorum, argumentum grave suppeditant eam esse mentem SS. Pontificum, ut omnes qui certam notitiam habuerint datæ declarationis, huic se conformare studeant in praxi, quando casus similes occurrunt.

[1] S. Liguori non mutavit suam sententiam de libertate propugnandi alterutram opinionem, uti constat ex attenta lectione *Elenchi quæstionum reformatarum*, et solide probatum fuit in foliis *Études de Théologie, de Philosophie*, etc., a PP. Societatis Jesu, an. 1859, tom. I, pag. 48 et seq.

Nonnulla tamen animadvertere necesse est. 1° Requiritur ex modo dictis ut certo constet de authenticitate declarationis. Ipsa Congregatio præcepit, anno 1621, jussu Urbani VIII, declarationibus tam impressis et imprimendis quam manuscriptis nullam fidem esse in judicio vel extra illud adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito sigillo, et subscriptione Card. Præfecti et secretarii ejusdem Congregationis munitæ fuerint. Si decretum illud servetur ad litteram paucæ erunt declarationes quæ vim legis obtineant, quandoquidem sæpius nec quæ ex *libris Decretorum* depromuntur, nec quæ in *Thesauro declarationum* sunt impressæ, muniuntur sigillo Card. Præfecti et secretarii : verum decretum illud Urbani non urgetur, et plures auctores animadvertunt cum Fagnan vix a vitio temeritatis illum excusari qui declarationes non admittit in probatis collectoribus fideliter allegatas, et de quarum veritate nulla subest ratio probabilis dubitandi, etiamsi non afferantur in forma authentica[1]. 2° Supponitur declarationem S. Congregationis esse simpliciter declarativam juris, non extensivam, nec restrictivam; si enim aliquid superaddat vel detrahat textui, non habebit vim obligandi respectu omnium, nisi vel promulgata sit, uti lex nova, vel data sit juxta jurisprudentiam usu introductam in regionibus pro quibus profertur; quo in casu non debet extendi ad alias regiones ubi eadem praxis seu jurisprudentia non prævaluerit. 3° Non ita intelligi debet secunda opinio quam sequimur, ut « si contrarium quidquam resolutionibus a prædecessoribus « episcopis editis, per ejusdem Congregationis responsa, vel « legitima alia consuetudine, præscriptum exstiterit, debeant « Episcopi ex vi earumdem resolutionum subditos ad obser- « vantiam compellere, cum nec contraria synodorum statuta, « nec legitimos locorum usus, eædem resolutiones invertere « ac labefactare censeantur. » Verba sunt Zamboni loco ci-

[1] Zamboni, § xv.

tato. Similia tradit Benedictus XIV in lib. XII, cap. VII, n° 7 *de Synodo.* Cum ipsæ constitutiones Pontificiæ solemniter promulgatæ non censeantur derogare statutis et consuetudinibus locorum, nec obstent quominus in futurum novæ consuetudines inducantur, nisi hunc effectum exprimant, addita clausula derogatoria et prohibitiva (n° 20); idem a fortiori dicendum est de resolutionibus quibus S. Congregatio interpretatur jus commune. 4° Sedulo pensandæ sunt omnes circumstantiæ casus propositi S. Congregationi; quandoquidem non possumus ex responsis datis ad negotia vel interrogata particularia argumentum deducere ad juris interpretationem, vel alterius casus solutionem, si diversa sit species causæ. Porro hæc cognitio facilius nunc habetur ex quo præcipua adjuncta negotii explicantur in foliis *Thesauri resolutionum;* dum sæpius desideratur quoad resolutiones præteritis temporibus datas quas auctores referunt veluti depromptas ex *libris decretorum* manuscriptorum; præter quod enim non semper constat de illarum authenticitate, insuper nos plerumque latet qua occasione, quasve ob causas datæ sint.

108. — V° *Quid sit Congregatio Episcoporum et Regularium?*

Congregatio *super negotiis Episcoporum et Regularium* ea est cui potissimum tribuitur cognoscere ac resolvere quæ de prælatorum jurisdictione, præcedentiis, exemptionibus, dubia oriuntur. Olim duplex erat, alia pro negotiis Episcoporum, altera pro Regularibus; sed ea est sæpe connexio rerum, ob conflictus jurisdictionum et exemptionum, ut Sancta Sedes magis opportunum judicaverit, hæc duo uni soli Congregationi committere; quæ cæteroquin, habet veluti duas sectiones, atque duos secretarios, pro natura diversa causarum, prout clerum sæcularem aut regulares spectant.

Congregatio potest suspendere jurisdictionem Episcoporum et deputare Vicarium apostolicum ad regendam Ecclesiam illorum; ordinat quæ referuntur ad electionem vicariorum

capitularium, sede vacante; electionem invalidat si facta non fuerit regulariter; supprimit restrictiones quas capitulum forte apposuerit juribus vicarii. Promovet executionem constitutionum apostolicarum circa regulas ordinum religiosorum et vota; providet de erectione, seu suppressione conventuum, et de aliis negotiis quæ ad regulares attinent. Tandem componit dissidia quæ inter sæculares et regulares quandoque moventur.

Multa horum negotiorum æque competunt Congregationi *Concilii*, quapropter merito observat Card. de Luca (discursu XVI), Congregationem *Episcoporum et Regularium* habere latas habenas ad agendum in iis etiam quæ aliis Congregationibus sunt commissa; exceptis quæ ad fidem directe spectant, aut ad formalem interpretationem concilii Tridentini.

Congregatio causas cognoscit et dirimit summarie, in forma extrajudiciali, exceptis tamen nonnullis negotiis contentiosis de quibus judicat servato juris ordine. Quando recursus ad illam habetur contra quemdam Episcopum vel regularem, dirigit litteras fiduciales ad Episcopum aut ad alium prælatum cum apographo libelli porrecti, ut ab eo necessarias informationes obtineat. Re sufficienter sibi cognita, fert sententiam more administrativo et executionem demandat Episcopo vel Metropolitano; sæpe etiam quando de ipsomet Episcopo querela movetur informatio processus committitur alteri Episcopo *in partibus*. Hæc pro sua sapientia, habita ratione circumstantiarum, disponit S. Congregatio[1].

109. — VI° *Quid sit congregatio jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ?*

Congregatio *jurisdictionis* ea est quam Urbanus VIII insti-

[1] SS. noster Pius Papa IX specialem Congregationem instituit anno 1847 *super statu Regularium* cujus officium præcipuum est examinare quæ ad felicem instaurationem disciplinæ regularis conducunt.

tuit initio sui pontificatus (1626) ad providendum immunitatibus ecclesiasticis. Componitur numero competenti Cardinalium et pluribus prælatis inferioribus, inter quos unus est Auditor Rotæ, et alter e camera Apostolica. Hi prælati sunt plerumque *Relatores* causæ (in curia *Ponentes* nuncupantur), quia præcipuum illorum officium est referre summarie quæ continentur in processibus ad Congregationem transmissis ab Ordinariis locorum, a magistratibus, et aliis quorum interest.

Objectum præcipuum, sin unicum, hujus Congregationis est providere ne præjudicium inferatur immunitatibus Ecclesiæ. Ipsi soli competunt negotia, processus, judicia in casu appellationis, quæ versantur circa immunitatem localem. Cognoscit etiam, sed cumulative cum aliis Congregationibus, de omnibus aliis cujusvis speciei immunitatibus ecclesiasticis, seu realibus, seu personalibus.

3° Congregationes ad cultus divini puritatem servandam institutæ.

Congregationes Rituum, Indulgentiarum et Reliquiarum, de puritate cultus publici curant, juxta uniuscujusque attributum speciale.

110. — VII° *Quid sit Congregatio Rituum?*

I. Sixtus V instituit Congregationem Rituum, illiusque attributiones per suam constitutionem *Immensa* determinavit his verbis, quæ plane sufficiunt ad solutionem quæstionis propositæ. Nimirum huic Congregationi curam demandavit : « Ut veteres Sacri Ritus ubivis locorum, in omnibus urbis « orbisque ecclesiis, diligenter observentur; cæremoniæ si « exoleverint restituantur, si depravatæ fuerint reformentur. » Ipsi præterea, et consequenter ad hoc institutum, committitur ut invigilet editioni, et, si opus fuerit, emendationi librorum de Sacris Ritibus et Cæremoniis, nimirum Ritualis, Missalis, Breviarii, et Cæremonialis. Tandem eidem Congre-

gationi commissa est causa beatificationis servorum Dei, et beatorum canonizationis.

Ut iis omnibus provideatur, « duplex est Congregatio « Rituum, ait Card. de Luca, una scilicet ordinaria pro « Ritibus sacris, aut pro decidendis controversiis præceden- « tiarum; et altera extraordinaria super canonizatione sanc- « torum, seu beatificatione. » Utrique iidem Cardinales a S. Pontifice deputati præsunt; sed non iidem sunt officiales inferiores.

II. In Congregatione ordinaria Rituum consociantur Cardinalibus Secretarius, Magister S. palatii, unus insuper vel plures magistri cæremoniarum Papæ. Hæc Congregatio tractat negotia contentiosi fori, ut quando judicandum venit inter concertantes de præeminentiis; et negotia pacifica ex quibus exulant conflictus, ut quando ex officio, vel ad supplicationem postulantium, decidit quæ sacros ritus, cæremonias, aut cultum publicum spectant; quæ quidem hujusmodi causæ dirimuntur absque præjudicio tertii, nullo reclamante. Cum S. Congregatio suum judicium protulit, res defertur a Secretario ad Papam, quo annuente fit decretum in forma authentica, subscriptum a Card. Præfecto et a Secretario, quod conscribitur in acta S. Congregationis[1].

De auctoritate decretorum et resolutionum hujus Congregationis eodem modo ratiocinandum, ac supra de Congregatione *Concilii;* eadem quippe sunt principia. Habet simul potestatem legislativam et judicialem; si nova decreta condit quæ vim habere debeant in omnibus Ecclesiis, ea promulgari curat; quod etiam de declarationibus extensivis debet

[1] Extat collectio decretorum hujus Cong. sub hoc titulo : *Decreta authentica Cong. sacrorum Rituum;* quæ aliquando *Guardelliana* vocatur. ab editore præcipuo; refert ordine chronologico decreta data ab anno 1602 (8 vol. in 4°). Hæc collectio est authentica, uti testantur declarationes in fronte primi voluminis insertæ, a Card. de Somaglia, S. Cong. Præfecto. Tertia editio Romæ prodiit in 4 vol. in-4° an. 1856-1858.

intelligi, cum hujusmodi declarationes sint reipsa nova decreta. Quod vero ad declarationes mere comprehensivas, seu juris extantis interpretativas, ubique servantur etiamsi non fuerint promulgatæ, si tamen modo absoluto de jure communi datæ sint. His addemus necessarium non esse ut, sive in decretis, sive in declarationibus, mentio fiat de assensu S. Pontificis, tametsi S. Congregatio non soleat decreta edere inconsulto Papa, ut modo notabamus. (23 maii 1846.)

III. Congregationi extraordinariæ de beatificatione et canonizatione præsunt iidem Cardinales; sed insuper ad eam accedunt alii prælati et officiales, nimirum : Promotor fidei, Advocatus fiscalis, tres antiquiores Auditores Rotæ qui vices assessorum gerunt, unus ex Protonotariis participantibus cui causa fuit commissa, tandem Consultores. Vocantur etiam viri in scientiis naturalibus peritiores, qui facta, quæ miraculose patrata reputantur, examinent, discutiant, et judicent an excedant vires naturæ, sintque vere supernaturalia.

Hæc magna cum eruditione exponit Benedictus XIV in tractatu *de Beatificatione* alias citato. De servorum Dei beatificatione et canonizatione, summarie dicemus in III[a] parte ubi de festorum celebratione.

111. — VIII° *Quid sit Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum?*

Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum ea est quam Clemens IX (1669) instituit, atque præposuit Indulgentiis et sacris Reliquiis, cum facultate « omnem dubietatem ac dif« ficultatem in sanctorum reliquiis, aut indulgentiis emer« gentem expediendi ; abusus qui irrepserint corrigendi et « emendandi ; falsas, apocryphas, indiscretasque indulgen« tias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et « examinandi..... » Verba sunt Constitutionis Clementis IX. Ad illam proinde Congregationem pertinet impedire ne divulgentur apocryphæ indulgentiæ, examinare ac interpretari jam vulgatas, et si oportet, consulto Pontifice, eas abolere.

Ut vero provideatur efficacius authenticitati indulgentiarum, hæc sunt præscripta : 1° Vi decreti quod S. Congregatio tulit 19 januarii 1756, et an. 1856 die 14 aprilis innovavit, omnes qui a S. Pontifice impetrant concessiones generales indulgentiarum tenentur sub pœna nullitatis gratiæ obtentæ, exemplar earumdem concessionum ad secretariam ejusdem Congregationis deferre. 2° Indulgentiæ quæ a Sancta Sede concessæ fuerunt, non quidem in favorem privati seu familiæ, sed in favorem populi, debent antequam publicentur exhiberi Ordinariis locorum, qui eas recognoscunt ac publicationem permittunt. Ita fuit statutum a conc. Trid., sess. XXI, cap. IX, non tamen sub pœna nullitatis. 3° Tandem vetitum est edere, seu publicare, non obtenta prius licentia S. Congregationis, indulgentiarum libros, diaria, summaria, quibus concessiones contineantur[1]. (*Decreta de libris prohibitis*, § 3, n. 12, inserta in libro *Indicis*.)

112. — *Notandum.* Jurisdictio Congregationum, cum sit ordinaria ac in perpetuum concessa, non expirat nec suspenditur Apostolica Sede vacante; quamobrem, creato novo Pontifice non innovantur illarum facultates, sed cuncta eodem ordine procedunt, quo antea solebant, nulla facta nova concessione. Verumtamen, ex quo Cardinales Conclave ingressi sunt, non expediuntur negotia quæ subscriptionem Cardinalis Præfecti requirunt; quia leges pontificiæ, causa accelerandæ electionis, interdixere omnibus Cardinalibus de ullo alieno negotio se intromittere, extra casum urgentis necessitatis, usque dum consummata sit electio. Igitur, nisi gravis necessitas intercesserit, abstinere debent qui sunt in Conclavi, et hæc solummodo expediuntur negotia levioris momenti et ordinaria quibus sufficit secretarii Congregationis, aliorumve ministrorum inferiorum subscriptio; illorum siquidem respectu cessat ratio prohibitionis. (Fagnan, in cap.

[1] Est collectio authentica indulgentiarum, quæ Romæ publicatur.

Cum olim, n. 63-85, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA; lib. I, Decret.)

4° Officia instituta pro expeditione rescriptorum.

113. — IX° *Quæ sint officia instituta pro expeditione rescriptorum?*

Sunt quatuor officia quibus S. Pontifex utitur ad dispensationem gratiarum vel consignationem litterarum apostolicarum, nempe Cancellaria, Dataria, Pœnitentiaria, et Secretaria Brevium.

I. CANCELLARIA apostolica præfectum habet Cardinalem qui nuncupatur *Vice-Cancellarius*, et plures officiales quorum alii sunt prælati majores, præsertim Regens cancellariæ et duo præsidentes ; alii minores, Pro-Summista, Præses plumbi, Notarius, Secretarius, Abbreviatores, Custos cancellariæ, Registratores Bullarum, etc... qui occupantur in revisione, transcriptione, consignatione, expeditione litterarum apostolicarum.

Objectum præcipuum Cancellariæ est expeditio Bullarum pro negotiis consistorialibus, quapropter graviora negotia Sedis Apostolicæ transeunt per manus cancellarii; qui cum sit veluti notarius sacri consistorii curam gerit præcipuam negotiorum quæ in consistorio geruntur; decreta quæ a S. Pontifice in consistorio feruntur refert in registra Cancellariæ; sub illius ductu expediuntur per officiales Bullæ institutionis ad sedes episcopales et ad abbatias; ipse cæteros omnes aulæ pontificiæ ministros præcedit; præest Protonotariis, Officialibus qui curam archivi habent, Auditoribus Rotæ, Secretariis, etc.

De *Regulis cancellariæ* nonnulla diximus in *Prolegomenis*, ubi de collectionibus juris communis actum est (n. 30). Notare sufficiat has regulas primo consignatas fuisse a Joanne XXII, et a singulis Pontificibus innovari dum ad

Sanctam Sedem promoventur. Aliæ spectant ad expeditionem litterarum apostolicarum, aliæ ad causas judiciales quæ in materiis beneficialibus versantur, aliæ ad reservationes beneficiorum quorum SS. Pontifices collationem sibi reservant.

114. — II. Dataria, sic dicta quia primitus erecta fuit ut *datam* seu epocham certam gratiæ concessæ accurate notaret; vel, ut aliis placet, quia per illam *dari* solent gratiæ pontificiæ, est tribunal ex quo procedunt gratiæ quæ in foro externo S. Pontificis concedi solent, uti collationes beneficiorum quæ consistorialia non sunt, reservationes pensionum, dispensationes ab impedimentis et irregularitatibus publicis.... et alia quæ indicantur in Const. Bened. XIV, *Gravissimum*, an 1745. Dataria præsidem habet Cardinalem qui dicitur *Pro-datarius*, Sub-datarium, pluresque alios officiales qui expendere debent negotia et supplicationes quæ S. Pontifici proponenda erunt.

Remittimus ad tractatum *de Matrimonio* explanationem regularum quas servare debent omnes qui ad Datariam recurrunt, sive ut libellum recte conficiant evitando accurate omnem errorem, vel omissionem substantialem unde dispensatio obtenta fieret subreptitia vel obreptitia; sive ut rescriptum debite exequantur.

115. — III. Pœnitentiaria instituta fuit præsertim in ordine ad forum pœnitentiale, ut obtineatur absolutio a peccatis et censuris Sanctæ Sedi reservatis. Ampliores tamen facultates accepit ad dispensandum ab impedimentis et irregularitatibus occultis in foro externo. Omnia quæ ad conscientiæ levamen et directionem referuntur, et quæ non sortiuntur forum externum, v. g., commutationes votorum, dispensationes a recitatione officii divini, resolutiones dubiorum in materiis fori conscientiæ, S. Pœnitentiariæ competunt. Has attributiones, quas singillatim in specie perpendere non debemus in præsenti, determinat Benedictus XIV per suam constitutionem *Pastor bonus* (1744).

Qui sacræ Pœnitentiariæ tribunali præest nuncupatur *Major Pœnitentiarius* et est semper cardinalis : habet sub se Pœnitentiarios minores qui certis diebus basilicas Romæ adeunt ut confessiones audiant et tangant virga, aliquas indulgentias impertiendo, capita se pie sub illorum manu submittentium. Officiales Pœnitentiariæ sunt : *Regens*, qui petitiones casusque omnes ad Pœnitentiarium deductos diligenter examinat; quæ perspicua sunt ipse expedit; quæ vero dubia vel obscura, vel aliqua difficultate involuta conspexerit, ad majorem Pœnitentiarium refert ut diligentius examinentur, ac demum data solutione expediri curat : *Theologus* et *Canonista consultores* qui casus ad se a Pœnitentiario vel a Regente remissos examinant, ac de iis suum judicium proferunt : *Corrector* qui supplicationes a procuratoribus porrectas examinat et quoad fieri potest corrigit; expeditiones vero curat ut apto et convenienti stylo integræ emittantur : *Datarius* qui in calce supplicationis datam diei, mensis et anni tam eræ christianæ quam Pontificatus, adscribit : *Sigillator* qui litteris, postquam recognoverit an servatis servandis confectæ sint, sigillum apponit. Sunt præterea prosigillator, procuratores, scriptores, de quibus dicere minus refert.

Omnes, seu fideles, seu clerici, recurrere possunt ad Pœnitentiariam, litteras quocumque idiomate exaratas dirigendo ad Em. Card. Pœnitentiarium. Tacent nomina sua, vel illorum quorum interest, si agitur de casibus occultis, et curant indicare locum quo responsio dirigi debeat, et nomen personæ ad quam rescribi exoptant.

Decisiones Pœnitentiariæ emittuntur nomine majoris Pœnitentiarii; et, si de absolutione aut dispensatione agatur, diriguntur in forma commissionis sæpius ad confessarium per oratorem, id est per personam supplicantem, eligendum, ut gratiam applicet; aliquando etiam, pro subjecta materia, præsertim ubi de certis quibusdam impedimentis matrimonii agitur, diriguntur ad Ordinarium.

116. — Multa observanda forent quoad postulationem et executionem rescriptorum Pœnitentiariæ, sicuti et Datariæ, quibus explicandis nunc supersedemus, siquidem de regulis ea de re servandis dicetur in IV^{a} parte, ubi agemus de dispensationibus super irregularitatibus, ac de absolutione a censuris.

Notandum facultates majoris Pœnitentiarii extra forum conscientiæ suspendi per obitum Pontificis; in foro autem conscientiæ potest absolvere, aut absolvi mandare, ab iis etiam censuris a quibus alias vivente Pontifice non potest, hac lege tamen ut in iis censuris absolutio ad tempus duntaxat, et cum reincidentia in eas, concedatur; ita ut qui fuerint absoluti teneantur ad novum Pontificem, intra terminum definiendum, pro eadem causa recurrere. (Const. *Pastor bonus*, § 51.)

117. — IV. Secretaria Brevium instituta fuit ad expeditionem gratiarum et concessionum fori externi; cum vero aliqua confusio inde oriretur quod non certis finibus præfixa fuerant attributa Datariæ et Secretariæ, Benedictus XIV constitutionem *Gravissimum Ecclesiæ* edidit, anno 1745, qua post maturum examen traditionum curiæ Romanæ, decrevit atque statuit : 1° concessiones et gratias quarum expeditio privative tribuitur Secretariæ brevium; 2° concessiones quæ tam per Secretariam brevium quam per Datariam apostolicam poterunt promiscue expediri; 3° quæ Datariæ privative reservantur. Hæc sub pœna nullitatis servanda voluit, adeo ut litteræ apostolicæ super gratiis confectæ invaliditatis vitio subjaceant, si quas forte per alterutrum ex dictis officiis contra præfixæ partitionis et divisionis præscriptum expediri quandocumque in futurum contigerit. Elenchum gratiarum quæ alterutri officio tribuuntur non damus, prout exaratur in bulla Benedictina, quia non est hic locus; nec pertimescendum est ne invalida sint rescripta, si forte orator ad Secretariam, potius quam ad Datariam suas litteras direxerit, nam

officiales curiæ Romanæ apprime sciunt ad quos spectet expetitas gratias concedere et expedire.

118. — X° *Quid sit Rota?*

Rota Romana est tribunal Romani Pontificis in causis litigiosis, tum ecclesiasticis, tum sæcularibus. Sicut *Consistorium* habetur pro expediendis negotiis majoribus; ita et *Auditorium* ab antiquis temporibus erectum fuit, quod Rota nominatur, ut causæ minores quæ ad Sanctam Sedem referuntur possent judicari et terminari, undequaque fideles ad hoc tribunal recurrissent. Verum post erectas tot Congregationes de quibus supra diximus, paulatim imminutus fuit numerus causarum hujus tribunalis; et in statu præsenti non alias judicat quam quæ oriuntur in ditionibus temporalibus Ecclesiæ Romanæ, præsertim in materia beneficiali.

Sixtus IV reduxit ad duodenarium numerum judices Rotæ, qui et Auditores et Capellani S. palatii nuncupantur; *Auditores* a denominatione tribunalis ecclesiastici quod sæpe ab antiquis temporibus *Auditorium* dictum fuit, et *Capellani* quia olim erant reipsa Capellani quorum ope et consilio Papa consueverat in sua capella vel camera causas explicare ac definire. Etiam nunc Auditores agunt vices Capellanorum Papæ, quatenus illi inserviunt in solemnibus officiis tanquam subdiaconi apostolici. Ex duodecim illis vetus est praxis ut tres sint Romani, unus Gallus, alter Germanus, duo Hispani (nimirum ob divisionem Hispaniarum quæ tempore quo hæc ordinata sunt dividebantur in duas coronas, regnum Castellæ et Legionis, et regnum Aragoniæ), unus Bononiensis, unus Ferrariensis, unus Mediolanensis, unus Etruscus, alter e Venetia[1]. Omnes suum titulum et officium obtinent in perpetuum, ac servant nisi aut sponte cesserint, vel ob crimen priventur, vel ad Episcopatum, seu ad Cardinalatum promoveantur.

[1] Luca, *Relatio curiæ Rom.*, discurs. xxxii, n^is 16-24.

Auditores Rotæ in tres classes distribuuntur; in singulis est unus *Ponens* qui nimirum casus proponit, et alii *Corresponsales* qui dubium propositum resolvunt. Ut vero Auditores melius possint quæstiones propositas tractare, habet unusquisque illorum sub se quatuor clericos in his negotiis peritos, qui advocatorum et secretariorum officio fungantur. Communiter causæ ab una solum sectione judicantur, nimirum ex votis collatis corresponsalium quibus conformis esse debet sententia; sed in casibus difficilioribus, ubi vota discrepantia forent, S. Pontifex mandat ut sententia feratur omnibus auditis.

Decisiones Rotæ frequenter citant scriptores etiam eximii, et ex illis suas opiniones confirmare student; omnes quippe norunt has decisiones summa cum maturitate dari et promanare a tribunali quod repræsentabat aulam pontificiam. Attamen eædem decisiones non faciunt jus universale, quia nusquam Rotæ concessum fuit jus condere, nec dare interpretationem juris quæ vim ubique obtineat, more legis; sed tantum res judicare quæ ipsi ex commissione S. Pontificis demandantur. Est nimirum simplex tribunal potestate instructum ferendi sententias, juxta jura et in causis particularibus, quæ partes litigantes obligant[1].

§ 3. *De Legatis, Vicariis et Protonotariis apostolicis.*

Congregationes et tribunalia de quibus in præcedentibus diximus non sufficiunt ad sustinendum onus primatus Sanctæ Sedis. Necessitas Ecclesiarum postulat multos in pro-

[1] Reiffenstuel, Procem., n° 140; Schmalzgrueber, dissert. item Procemial., n° 396; Engel, n° 17. — Sunt plures collectiones *decisionum* Rotæ, quæ inscribuntur S. R. *Decisiones, — Decisiones recentiores, — Decisiones novissimæ, — Decisiones nuperrimæ, — Decisiones in compendium redactæ.* cum indice generali. Hæc ultima collectio 6 voluminibus constat.

vincias dirigi qui nomine S. Pontificis disciplinæ invigilent et negotia commissa pertractent. Hi sunt : Legati, Vicarii, et Commissarii apostolici[1], quibus adjungimus Protonotarios, ut de præcipuis officialibus Sanctæ Sedis dicamus.

119. — I° *Qui dicantur Legati Sanctæ Sedis?*

Canonistæ triplicem classem Legatorum distinguunt, nimirum : Legatos-natos, Legatos *a latere*, et Nuntios.

I. Legati-nati dicuntur præsules quorum sedi episcopali annectitur officium repræsentandi S. Pontificem in certo negotiorum genere. Sic olim Episcopus Arelatensis in Galliis, Moguntinus in Germania, Cantuariensis in Anglia, erat veluti legatus perpetuus Sanctæ Sedis cui graviora committebantur officia in Episcopos regionis, cum jure cogendi synodos; unde sanctus Gregorius Magnus scribebat ad Augustinum missum in Angliam : « In Galliarum Episcopos nullam « tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum « nostrorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus acce- « pit, quem nos auctoritate percepta privare minime debe- « mus. Si igitur contingat ut Fraternitas tua ad Galliarum pro- « vincias transeat, cum eodem Arelatensi Episcopo agere « debet, qualiter si qua sint in Episcopis vitia corrigantur. » (Epist. lib. XI, ep. LXIV.)

Nulla apud nos hodie supersunt vestigia dignitatis neque officii horum Legatorum, si excipias ipsum titulum quibusdam sedibus majoribus annexum qui abrogatus quidem fuit per concordatum anni 1801, sed quem tamen S. Pontifex quibusdam Episcopis Ecclesiarum quæ olim hac dignitate gloriabantur permittit. Cæterum, a pluribus sæculis titulus ille in Galliis mere honorificus evaserat.

II. Legati *a latere* sic dicti quia assumpti sunt e numero Cardinalium qui assistunt Pontifici et unum veluti corpus

[1] Card. Petra, *Comment.* in const. III Alexandri III, tom. II; Thomassin, *iscip. eccl.*, part. I, lib. II, cap. CXVII-CXIX; Ferraris, v° *Legatus*.

cum eo efficiunt, mittuntur ad negotia graviora, vel ad repræsentandum S. Pontificem in aliqua solemnitate. Sic, ut unum vel alterum exemplum in antiquitate ecclesiastica seligamus : SS. Pontifices consueverunt delegare quosdam e dignioribus clericos Ecclesiæ Romanæ qui sua vice præsiderent conciliis œcumenicis, ut factum videmus Ephesi, Chalcedone, Constantinopoli, etc. Sanctus Basilius, Episcopus Cæsariensis in Cappadocia, S. Pontificem enixe deprecatus est ut in Orientem delegaret viros auctoritate præstantes, qui operam darent restituendæ integritati disciplinæ et fidei catholicæ post concilii Ariminensis infaustum exitum. Concilium Sardicense canone VII decrevit quod « si Episcopus a suis « provincialibus condemnatus, deprecatione sua moverit « Episcopum Romanum ut de *latere suo* presbyterum mittat, « erit in potestate Episcopi quid velit et quid æstimet ; et si « decreverit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis « judicent habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, « erit in ejus arbitrio. »

Frequentiores fuerunt illæ delegationes post sæculum decimum quam antea ; quod calamitati temporum adscribi debet, uti Thomassinus sapienter animadvertit. Scilicet, cum Pontifices Leo IX, Alexander II, Gregorius VII, clerum occidentalem fœdissima simonia laborantem, et incontinentia morum depravatum viderent, tanto et pene desperato malo medicinam afferre aggressi sunt, congregatis conciliis tum per seipsos, tum maxime per legatos in omnes provincias disseminatos. Canonico judicio exauctorandi erant Episcopi et Metropolitani plures, et alii beneficiarii minores. Metropolitanorum quorum id officii erat languebat zelus, vel auctoritas impar reputabatur tanto oneri. Legatis ergo apostolicis mandata hæc provincia fuit[1].

[1] Missio legati *a latere* fit cum magno apparatu quo ostendatur ipsa legationis dignitas. Complures Cardinales comitantur per Urbem Legatum qui incedit inter duos Cardinales diaconos. Statim egressus extra portam

III. Nuntii successerunt Apocrisiariis seu Responsalibus quos olim Pontifices Romani habebant apud imperatores. Sunt utique Prælati qui in certis regnis a Sede Apostolica deputantur, tum ad assistentiam principum pro communicandis negotiis, tum ad plura subeunda munera in iisdem regnis pro servitio Sanctæ Sedis, cum facultatibus quas ampliare potest vel restringere pro rerum et temporum opportunitate.

Nuntios in duplicem classem distinguunt; alios scilicet primi ordinis, qui sunt apud imperatores Germaniæ et Galliæ, vel apud reges Hispaniarum et Lusitaniæ; alios secundi ordinis cujus modi sunt nuntii Neapolis, Monachii in Germania, etc....

120. — II° *In quonam conveniant et in quo differant Legati* a latere *et Nuntii quoad jurisdictionem?*

I. Legati *a latere* et Nuntii apostolici veniunt sub communi denominatione Legatorum de quibus extat titulus in Corpore juris, nempe titulus XXX DE OFFICIO LEGATI.

Id commune habent : 1° quod illorum jurisdictio sit ordinaria, respectu provinciæ illis commissæ. Hæc proinde jurisdictio non cessat per mortem Pontificis, sunt enim Legati Sanctæ Sedis quæ, mortuo Pontifice, non moritur; unde Clemens IV in C. *Legatos*, 2, DE OFF. LEGAT., in VI, ait : « Legatos quibus in certis provinciis committitur legationis officium..... provinciarum sibi commissarum ad instar proconsulum..... Ordinarios reputantes, præsenti declaramus « edicto commissum tibi a prædecessore nostro officium per « ipsius obitum non expiravisse. » 2° Præponuntur provinciis, ut eas inspiciant quoad spiritualia; invigilant observationi decretorum pontificiorum; Sanctam Sedem informant de abusibus et ad illam referunt quæ ad utilitatem Ecclesiæ

Urbis crucem elevat, atque benedictionem impertitur, in signum incœpti ab eo momento officii legationis.

spectant. 3° Possunt condere decreta perpetuo valitura, quæ vim consequenter servant finita legatione. (Cap. *Nemini*, 10, eod. tit.) 4° Judicant causas provincialium loco Episcopi, si Episcopus admonitus negligat intra biennium eas judicare; et in casu appellationis a sententia definitiva Episcopi. (Cap. *Cum non*, 1, eod. tit. Conc. Trid., sess. XXIV, cap. XX.) 5° Possunt subdelegare suas vices quibus voluerint, nisi causa specialiter ipsis committatur, juxta principium generale alibi expositum. 6° Non possunt approbare confessarios pro suis provinciis, neque sacros ordines conferre, sine licentia Episcopi. (Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n. 26-38; Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XXI.)... Hæc dicta sint spectato jure communi decretalium : cæterum dum Sancta Sedes Legatos ad provincias dirigit, illorum attributiones plerumque determinat; habenda aliunde ratio disciplinæ per concordata et leges pontificias constitutæ; quod etiam notandum est de aliis attributionibus quas mox indicabimus.

II. Legati *a latere* a die egressus sui ab urbe Roma possunt : 1° absolvere excommunicatos ob percussionem clerici, undequaque veniant, quod non licet Nuntiis nisi erga suos provinciales, et in sua tantum provincia (cap. *Quod translationem*, 4; *Excommunicatis*, 9, eod. tit.); 2° conferre beneficia quæ vacant in sua provincia et etiam vacatura suæ collationi reservare, quod etiam non conceditur Nuntiis, nisi specialiter fuerit eis datum (cap. *Officii nostri*, 1, DE OFFICIO LEGATI, in VI); 3° confirmare electiones Episcoporum et abbatum, ubi confirmatio hæc non reservatur S. Pontifici (c. *Si abbatem*, 36, DE ELECTIONE, in VI); 4° coram Legatis *a latere*, omnes alii Legati suæ dignitatis insignia deponunt, et Metropolitanus non defert crucem suam; ratio est quod Legatus *a latere* propinquius repræsentat S. Pontificem. (C. *Volentes*, 8, DE OFF. LEGATI.)

Nota. Si contingat mitti non Cardinales cum juribus Legatorum *a latere*, non datur illis titulus *Legatorum a latere*,

sed dicuntur, juxta stylum curiæ Romanæ, *Nuntii missi cum potestate legati a latere.*

121. — III° *Utrum S. Pontifex valeat proprio jure mittere Legatos in varias regiones, sine assensu principum sæcularium et Episcoporum?*

I. SS. Pontifices sapienti providaque œconomia usi sunt ne, quantum fieri possit, Legatos mitterent nisi principum suffragante consensu; quia ea agendi ratione removentur periculosæ disceptationes de finibus jurisdictionis pontificiæ et regiæ, uberiorque fructus legationum speratur, ubi simul in idem conspirant sacerdotii et regni vires. Utrum Sancta Sedes eo usque erga nonnullos principes processerit ut benigne annueret nullum postea a se mittendum Legatum nisi de eorum assensu, uti asseritur a nonnullis, ignoramus; nobis siquidem non suppetunt hujus concessionis monumenta certa. Anglis persuasum olim fuisse hocce privilegium sibi concessum concludimus ex epistola magnatum et universitatis Angliæ ad Innocentium IV lecta in concilio Lugdunensi; in hac enim epistola conqueruntur de Martino legato quod jurisdictionem exercuisset in suo regno : « Quam, aiunt, a « vestra conscientia credere non possumus emanasse, eo « quod nunquam viderimus officio fungi Legatum aliquem, « privilegio domini regis derogando, per quod specialiter ei « a Sede Apostolica indulgetur, ne quis in Anglia legationis « officio fungatur, nisi a domino rege specialiter postulatus. » Alii eadem privilegia prætenderunt.

Hinc paulatim ea opinio in multis regionibus invasit, prærequiri consensum principis ut Legatus mittatur, quinimo jura legati coarctari posse beneplacito gubernii civilis, quod veluti libertatem suæ Ecclesiæ parlamenta Galliæ, et plures doctores Hispani, vindicaverunt. (*Mémoires du Clergé*, tom. X, col. 875-896, 1234-1267.) Hinc etiam voluerunt ut Legati, antequam suo munere fungerentur, juramento sponderent se nihil in legatione acturos quod ullum præjudicium afferre

posset juribus, consuetudinibus et libertatibus ecclesiarum [1].

II. Hæc Sancta Sedes tolerare potuit ob bonum pacis, nunquam vero sua auctoritate sancivit. Quidquid enim sit de quibusdam privilegiis, quæ forte, ratione habita temporum, aliquando concesserit uno vel alteri principi; certo certius est S. Pontificem noluisse, imo nec potuisse, per ullum constitutum se suosve successores privare jure mittendi Legatos, cum opportunum judicaverit. Jus illud primatui Petri essentialiter inhæret. Sicut non posset privari jure providendi per seipsum his ecclesiis, synodos cogendi, ferendi sententias, ita nec eadem peragendi per suos Legatos. Multo minus hoc potuit consuetudo contra impræscriptibiles prærogativas Ecclesiæ Romanæ, ut declaratur in cap. *Super gentes*, DE CONSUETUDINE; Extrav. comm. [2].

122. — IV° *Quid sint Vicarii, Præfecti, Commissarii Apostolici?*

1° Vicarii apostolici dicuntur prælati insigniti charactere episcopali, quibus a S. Sede committi solent ecclesiæ quæ non habent Episcopos titulares. Habent omnem potestatem quæ jure communi competit Episcopis; alias insuper facultates plerumque accipiunt cum jure eas communicandi sacerdotibus qui idonei videbuntur. Multi sunt in regionibus infidelium vicariatus apostolici, uti recens erant in Anglia, et in Hollandia, antequam S. S. noster Pius IX hierarchiam restaurasset.

[1] Cf. Spondanum, *Cont. Annal. Baronii*, anno 1427, n° 2; *Mémoires du Clergé*, t. VII, col. 1423-1430; t. X, loc. cit.

[2] PII PAPÆ VI *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum... super Nuntiaturis Apostolicis*, cap. VIII et IX. Magna ibi cum auctoritate, atque eruditione, tractatur de jure Apostolicæ Sedis mittendi nuntios tam extraordinarios quam stabili jurisdictione pollentes. 1 vol. in-8. Scriptum dirigitur ad quatuor archiepiscopos : Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem, qui denegaverant S. Sedi jus instituendi Nuntiaturas stabiles cum vera jurisdictione, asserendo hujusmodi Nuntiaturas esse *alienas usurpationes in diœceseon regimine*.

Aliquoties S. Sedes vicarios apostolicos deputat ad regendam diœcesim quando, aut sedes vacat, aut Episcopus aliqua causa impeditur ne valeat suum gregem pascere.

2° Præfecti apostolici iisdem ferme juribus potiuntur ad regendam ecclesiam particularem, at non consecrantur in Episcopos.

3° Commissarii apostolici negotium privatum a S. Sede suscipiunt. Sic communiter officiales diœceseon delegantur ad fulminationem dispensationum; alii præponuntur informationibus de vita servorum Dei quorum postulatur beatificatio; aliis dantur delegationes ad judicandum de querelis inter regulares et sæculares, vel inter Episcopos, excitatis.

Quando delegatio datur a S. Pontifice, necesse est, jure communi, ut delegandus sit in dignitate constitutus vel canonicatum habeat Ecclesiæ cathedralis, vel sit vicarius generalis Episcopi. (C. *Statutum*, 11, De Rescriptis; C. *Etsi principalis*, 2, eod. tit. in vi.) Hanc conditionem canones requirunt ob eminentem auctoritatem S. Sedis cujus decet negotia non aliis committi, nisi quos commendat dignitas.

123. — V° *Quid sint Protonotarii apostolici*[1]*?*

I. Protonotarii apostolici generatim nuncupantur notarii S. Pontificis, et primum locum occupant inter eos qui ex officio scriptis consignant acta publica; unde venit titulus ille *Protonotariorum*. Distinguuntur in tres classes : 1ª Protonotariorum e numero *Participantium*, quia sunt ex his qui Romæ in curia officium obtinent cum dignitate, unde participant de ejusdem officii emolumentis; 2ª Protonotariorum ad

[1] Cf. Card. Petra, *Comment.* in const. IV Pii II, tom. V.; Andreucci, *De Protonotariis participantibus;* Ferraris, v° *Protonotarius*. — Pius VII Breve edidit *Cum innumeri*, an. 1818, quo jura Protonotariorum præsertim titularium explicavit. Recentiori hac nostra ætate prodiit alia constitutio apostolica quam mox citabimus.

instar Participantium qui nonnullis priorum honoribus ac prærogativis gaudent, absque tamen participatione in emolumentis; 3ª Protonotariorum *titularium*, qui nec officium speciale, nec dignitatem obtinent in curia Romana, sed delegari possunt in causis papalibus.

II. Proprium et ordinarium officium Protonotariorum *Participantium* est acta et gesta SS. Pontificum scriptis authenticis consignare. Unus ex ipsis semper intervenit in Congregationibus de Propaganda fide et sacrorum Rituum, et in confectione Processuum de beatificatione et de canonizatione sanctorum, in quibus praxis est ut, absente secretario, illius vices suppleat Protonotarius cum consensu S. Pontificis. Ipsis præterea committitur officium Referendariorum in tribunali, ut aiunt, *Utriusque signaturæ*, gratiæ et justitiæ, ut causas sibi commissas proponant referendo facti seriem, cum oratoris petitione, et oppositoris exceptionibus.

Plurimis privilegiis donantur Protonotarii participantes, quorum hæc præcipua sunt : 1° Familiares ac prælati domestici S. Pontificis declarantur, atque eo titulo habent jus percipiendi, licet absentes, fructus suæ præbendæ, et alias prærogativas quas S. Pontifex concedere consuevit suis constitutionibus. 2° Eximuntur a jurisdictione Ordinarii et soli S. Pontifici sunt immediate subjecti; quamobrem Episcopus loci non potest in eos ferre vel exequi sententiam, ullasve censuras, nec ratione delicti, nec ratione rei sitæ in sua diœcesi, nisi in casu flagrantis delicti. 3° Possunt, extra curiam Romanam, uti pontificalibus in missis solemnibus, etiam in cathedralibus, de consensu tamen Episcopi si præsens sit, quod consuetudine extenditur quoque ad officium vespertinum. In missis autem privatis utuntur etiam quibusdam insignibus et cæremoniis quæ jure communi reservantur Episcopis. 4° Jus habent creandi per singulos annos quatuor doctores in facultate theologica, ac quatuor itidem

in alterutro, vel utroque jure, cum doctoratus prærogativis canonicis, dummodo de personis gradum doctoris petentibus referant prius ad S. Pontificem, et in hac promotione collegialiter procedant, conveniendo numero saltem quinque, servatis jure præscriptis de periclitanda scientia candidatorum ad lauream doctoralem. Quod si, aliquibus eorum impeditis, hujusmodi numerum pertingere nequeant, ad illum explendum Archigymnasii Romani professores adsciscunt. 5° Induunt vestem ac mantelletam violaceas; rochetum assumunt in publicis functionibus, et gestiunt galerum prælatitium nigrum cordulis violaceis cinctum, cum floccis coloris rosacei. 6° Præcedunt omnes alios prælatos, solis exceptis Episcopis.

III. Protonotarii *ad instar* participantium sunt in gradu inferiori. Habent tamen et ipsi privilegium deferendi, extra curiam Romanam, habitum prælatitium, et illo habitu incedendi in ecclesiis et functionibus ecclesiasticis. In ecclesia et processionibus locum cedere debent officialibus Episcopi dignitates obtinentibus, et canonicis cathedralibus capitulariter assistentibus; præcedunt vero canonicos cathedrales singulos. Possunt in missa gestare annulum aureum, at sine gemma aliave effigie. — Habent indultum oratorii ab Ordinario visitandi et approbandi, in quo diebus etiam solemnioribus, in præsentia consanguineorum et affinium secum cohabitantium, necnon famulorum suorum, missam vel per se, vel per quemcumque sacerdotem rite probatum celebrare libere possunt et valent. — Locorum Ordinariis, juxta juris communis regulas, omnino sunt subjecti, ac proinde sine illorum assensu nunquam possunt pontificalia exercere.

IV. Protonotarii mere *titulares* nullis gaudent exemptionibus, nec privilegia habent modo exposita. Id vero illis conceditur : 1° ut extra urbem Romam gestare valeant habitum prælatitium, videlicet vestem talarem cum palliolo, seu

manteleto nigri coloris, quo habitu uti possunt cum rocheto in publicis supplicationibus, et aliis functionibus ecclesiasticis; 2° ut quando incedunt induti præcedant omnes clericos, sacerdotes, et etiam canonicos singulatim sumptos; 3° ut conficere valeant acta in causis beatificationis, nisi adsit aliquis e Protonotariis Participantibus; 4° demum ut eligi possint in judices synodales et in conservatores ordinum religiosorum.

Collegium septem *Participantium* facultatem habet eligendi quotannis unum Protonotarium titularem, qua tamen facultate uti non possunt inconsulto S. Pontifice.

Hæc dicta sufficiant de celebri Protonotariorum apostolicorum instituto quos S. Clemens I dicitur elegisse ad consignandum gesta martyrum et quorum privilegia, olim magis extensa, SS. noster Pius IX moderanda duxit in sensum mox explanatum, litteris apostolicis *Quamvis peculiares*, 9 feb. 1853.

SECTIO III^a

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITANIS.

124. — Ecclesia catholica, sub primatu Sanctæ Apostolicæ Sedis, distribuitur in diœceses quarum regimen a S. Pontifice Episcopis commissum est, uti videbimus in discursu sequenti. Inter autem S. Pontificem et Episcopos, dantur jure ecclesiastico gradus diversi jurisdictionis, « ut essent, ait S. Leo, in singulis provinciis prælati quo-« rum inter fratres prima haberetur sententia, et rursus « quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem « susciperent ampliorem, per quos ad unam sancti Petri « Sedem, universalis Ecclesia conflueret, et nihil unquam « a suo capite dissideret. » (Epist. ad Anastasium Thessalonicensem, xvi, ed. Fr. Ballerini.)

Primo loco sunt Patriarchæ, deinde Primates, postea veniunt Metropolitani, de quibus dicendum nunc, ut originem ac prærogativas sedium majorum exponamus.

ARTICULUS I. — DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS.

125. — Patriarcharum nomen quatuor prioribus sæculis fuit inauditum, res autem, ipsa dignitas ab ipsis

exordiis apparet. Tres siquidem fuerunt, initio, præcipuæ Ecclesiæ quarum Antistites magna auctoritate pollebant in alias plures Ecclesias quæ in illarum ambitu continebantur, Romana, Alexandrina et Antiochena. Non levioris certe est momenti inquirere quæ fuerint origo et auctoritas sedium patriarchalium; item unde Patriarchæ habuerint canonicam institutionem ; hæc enim magnopere prosunt ad manifestandam constitutionem Ecclesiæ.

126. — I° *Quæ fuit origo sedium patriarchalium?*

Ecclesiæ patriarchales suam originem, nimirum dignitatem et potestatem a sancto Petro habuerunt. Dignitas quidem urbium majorum in politia imperii non parum contulit ad splendorem sedium episcopalium, nam eodem fere modo Ecclesia est partita in provincias ac imperium. Cum Apostoli orbem universum inter se divisissent, nihil ipsis ad Christianam religionem efficacius propagandam magis opportunum visum est, quam ut in civitate principe fidei semina ingererentur, ut cum ibi radices egissent, sic paulatim ex stirpe palmites, circumjectæ gentes inde fidei lumen participarent. Hæc fuit occasio splendoris maximarum urbium Imperii, Romæ scilicet, Alexandriæ, et Antiochiæ, quæ beato Petro obvenerunt, divina sic disponente providentia. Aliæ Ecclesiæ quæ ex his majoribus sedibus lucem prædicationis mutuatæ sunt, illas veluti Ecclesias parentes agnoverunt.

Quod autem dignitas patriarchalis earumdem sedium, a sancti Petri primatu profluxerit, ut a causa proxima, multa suadent, alia convincunt. 1° Antiquitas Ecclesiarum patriarchalium, quæ nullibi leguntur sua dignitate decoratæ a conciliis; unde concludere datur fuisse in hoc gradu constitutas ab ipsa ætate Apostolorum. 2° Fundatio trium sedium a Beato Petro. De Ecclesia Antiochena quam per septem annos rexit, et de Romana quam per viginti qninque annos postea suis laboribus excoluit et ubi vitam finivit, res est certissima;

nec peritiores eruditi magis dubitant de Alexandrina quam vetustissimæ traditiones testantur primum Episcopum habuisse sanctum Marcum, discipulum Petri. Jam vero hanc fundationem a principe Apostolorum veram esse causam dignitatis sedium patriarchalium, dubitari non debet, præsertim si attendatur eas solum tres, ex omnibus Ecclesiis quas primitus Apostoli fundaverunt, auctoritate convaluisse, quæ Petro suam originem tribuunt. 3° Ipsa ratio primatus apostolici S. Petri. Non poterat hæc disciplina, quibusdam Episcopis in alios præeminentiam et jurisdictionalia jura asserens, obtinere, nisi S. Petrus, illiusve successor, aliquid suæ jurisdictionis concessisset Præsulibus nobiliorum sedium. Nullus quippe Episcoporum, vi ingenita sui Episcopatus, in coepiscopos ullam prærogativam habet jure divino præter S. Petrum. Quidquid proinde jurium accessit Patriarchis tribuendum est delegationi factæ ab illo Apostolorum principe, et est derivatio quædam illius Primatus. 4° Auctoritas SS. Patrum. Citabimus præsertim S. Innocentium I, epist. ad Bonifacium, S. Leonem ad Anatolium, S. Gelasium in concilio Rom., et demum S. Gregorium Magnum, cujus verba citare sufficiat, eadem quippe alii cæteri testantur. « Cum « multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola principis Apostolorum sedes in auctoritate convaluit, quæ in « tribus locis, unius est. Ipse enim sublimavit Sedem in qua « etiam quiescere et præsentem vitam finire dignatus est. « Ipse decoravit Sedem in quam discipulum Evangelistam « misit. Ipse firmavit Sedem in qua septem annis, quamvis « discessurus, sedit. Cum ergo una sit Sedes cui ex auctoritate « divina tres præsident; quidquid ego de te boni audio, hoc « mihi imputo [1]. »

Sæculis subsequentibus Ecclesia Constantinopolitana evecta

[1] Epist., lib. VII, ep. XI, ad Eulogium Alexandrinum; — Concilium Romæ habitum sub S. Gelasio. Labb., tom. IV, col. 1262, — Thomassin, *Disciplin. eccles.*, tom I, part. I, cap. VII-XIV.

fuit ad dignitatem patriarchalem, quod non sine auctoritate Pontificis Rom. confirmatum fuit. Concilium Constant. I (an. 381) tribuerat Episcopo urbis imperialis aliquam præeminentiam in cæteros Episcopos orientales, nulla tamen addita jurisdictione. S. Pontifex hunc canonem non accepit; constat enim ex epistolis S. Gregorii et aliis monumentis Romanam Ecclesiam his tantum subscripsisse decretis concilii quæ contra errores Macedonii lata sunt [1]. Concilium Chalcedonense (an. 451) alium canonem edidit, quo Antistiti Constant. conferebat jus ordinandi Metropolitas provinciarum Ponticæ, Asiaticæ et Thraciæ; et primum locum inter Episcopos majorum Sedium, post Pontificem Romanum. Suum decretum Patres Chalcedonenses ad sanctum Leonem transmitti curaverunt, approbationem expostulando, rite persuasi quod vim habere non poterat, nisi quatenus Sancta Apostolica Sedes assentiretur; unde enixe Leonem deprecati sunt « ut per « Apostolicam Sedem Ecclesia Const. hunc haberet honorem, « Papa spargente ad illam usque Ecclesiam radium Apostoli- « cum, illamque ditante participatione quadam suorum bo- « norum. » S. Leo canonem non approbavit, et Anatolius ab incœptis destitit. Si postea, non obstante defectu confirmationis, Episcopi Constantinopolitani nomen atque prærogativas patriarchatus affectaverunt, hoc per sæcularem ambitionem usurpatum fuit, contra regulas canonicas, et omni valore caruit, usque dum Ecclesia Romana, ob bonum pacis, ad evitanda majora mala, suum assensum dederit in concilio Lateranensi III, sub Innocentio III (an. 1215).

Hinc concludendum dignitatem patriarchalem suam originem ducere a primatu S. Petri. « Sancta Romana Ecclesia, « utpote mater et magistra omnium fidelium, quatuor pa- « triarchales sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam

[1] S. Gregorius Magn., Épist. cxxiii, lib. VI;—Labbe, *Collect. Conc.*, tom. II, col. 670.

« Ecclesiam, Constantinopolitanam primum, Alexandrinam « secundum, Antiochenam tertium, Hierosolymitanam quartum locum obtinere voluit, ipsaque multis privilegiis decoraverit. » Cap. *Sancta Romana*, 3, DE ELECTIONE, lib. I, Extrav. comm.

127. — II° *Undenam Patriarchæ habuerunt canonicam institutionem?*

Constans fuit consuetudo ut electi ad sedem patriarchalem quantocius scriberent ad summum Pontificem, et tunc tantum reputarentur firmiter in sua Ecclesia constituti, quando suæ electionis confirmationem ab illo acceperant per *litteras formatas*, quæ confirmatio æquiparabatur institutioni canonicæ [1].

Non expectabatur quidem rescriptum Ecclesiæ Romanæ pro ordinatione electi, ne gravia mala ex dilatione oborirentur; quod etiam in Occidente indultum videbimus metropolitanis electis extra Italiam; conditionem vero modo expositam regulariter observatam fuisse, jure sic requirente, indubia monumenta probant.

Bonifacius I scripsit ad Episcopos Macedoniæ occasione Nectarii Constantinopolitani : « Theodosius Nectarii ordina- « tionem, propterea quod in nostra notione non esset, habere « non existimans *firmitatem*, missis a latere suo aulicis cum « Episcopis, formatam hinc a Sede Romana epistolam dirigi « poposcit quæ ejus *sacerdotium roboraret.* »

Simplicius item scripsit, in epistola ad Accacium (an. 482) : « Nuper ab Ægyptiaca synodo, quæ et numero plurima, et « catholicæ fidei esset communione suffulta, atque ab ipso

[1] Hic *Litteræ formatæ*, intelliguntur litteræ communionis indices quibus « recentis Episcopi ordinatio approbatur; quamvis hoc vocabulo intelligi « soleant litteræ laicis vel clericis peregre abeuntibus datæ, ut eorum fidei « vel ordinis sint testes... » (P. Coustant, *Epist. R. Pontificum*, col. 1044.) *Formatæ* dictæ sunt a forma speciali, signo, vel sigillo, quo muniebantur ut constaret de illarum authenticitate.

« omni propemodum clero Alexandrinæ sedis, ad nos, *ex more* « *solito,* missa patefecit Timotheum obiisse, inque ejus vicem « consona fidelium voluntate Joannem, cui ad sacerdotium « constare omnia crederentur, subrogatum, et nihil omnino « restare videbatur, nisi ut Deo gratias agentibus nobis; « quod catholicus in defuncti ministerium successisset An- « tistes, Apostolicæ etiam moderationis assensu *votivam* « *sumeret firmitatem*. Cum *secundum consuetudinem*, mihi « talia disponenti, principis scripta tradita sunt, quibus me- « moratum tanquam perjurii reum, sacerdotio perhiberetur « indignum. Illico retraxi pedem, et meam revocavi senten- « tiam super ejus confirmatione. »

« Qua ratione, aiebat S. Gelasius (an. 493), aliis sedibus « deferendum est, si primæ B. Petri sedi vetusta reverentia « non defertur per quam omnium sacerdotum dignitas sem- « per est roborata atque firmata...? Ad illam majores nostri, « reverendi illi Ecclesiarum magistri, sui sacerdotii sumpta « principia, repleti Christi charitate, mittebant, suæ inde « soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes [1]. »

Multum igitur errant qui dicunt has litteras quas Patriarchæ mittebant Romam, occasione suæ promotionis, similes fuisse litteris quas ipsi Romani Episcopi vicissim ad alios orbis Antistites dirigebant, in signum communionis, quando ad Sedem S. Petri assumebantur. Dispar omnino fuit conditio. Nullibi videas Episcopum Romæ, ab aliis majorum Ecclesiarum Episcopis expostulare suæ promotionis confirmationem, ut in sua dignitate solidaretur; nec Patriarchas secum deliberare an votivam confirmationem dare, vel recusare debeant, nisi forte casu schismatis, quo incertum erat quis fuerit canonice electus ex duobus de pontificatu concertantibus.

128. — III° *Quænam fuerunt sedium patriarchalium prærogativæ et jura?*

[1] Coustant, *Epist. Rom. Pontif.*, col. 1043. Labbe, tom. IV, pag. 1057-1215. *Tradition de l'Église sur l'institution des évêques*, t. I, part. I, sect. I.

Concilium Nicænum I indicat modo generali jurisdictionem sedium patriarchalium canone vi° : « Antiqua consuetudo « servetur per Ægyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut « Alexandrinus *omnium horum habeat potestatem*, quia et « urbis Romæ parilis mos est. » Idem canon ita lectus est in concilio Chalcedonensi a Legato Sanctæ Sedis : « Ecclesia « Romana semper habuit primatum. Teneat autem et Ægyptus « ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem quo- « niam et Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter « autem et qui in Antiochia constitutus est... [1]. » In quo hæc potestas sistebat expressius declarat concilium viii, allato canone Nicæno : « Patriarchæ... universorum Metropoli- « tanorum qui ab ipsis promoventur, habeant potestatem ad « eos convocandum in synodum, vel ad eos coercendum et « corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis « accusaverit. »

1° Patriarchæ igitur instituebant et ordinabant Metropolitanos, quod cæteroquin regulariter fuisse servatum testantur quam plurima facta historica. Hæc est ratio cur Episcopus urbis Constantinopolitanæ ex quo dignitatem patriarchalem affectavit, continuo sibi vindicaverit jus ordinandi omnes Metropolitas suæ ditionis.

2° Invigilabant observantiæ disciplinæ; ad ipsos appellabatur a sententiis Metropolitanorum, et judicia ferebant, in casu appellationis in Episcopos delicti convictos, ita tamen ut sententia definitiva deferretur ad Ecclesiam Romanam, si Episcopus condemnatus in secunda instantia iterum appellare voluisset. « In omnibus provinciis eorum jurisdictioni « subjectis, ad eos, cum necesse fuerit, provocetur, salvis « appellationibus ad sedem Apostolicam, quibus est ab om- « nibus humiliter deferendum. » (Concilium Lateranense iv. cap. v [2].)

[1] Labbe, *Col. concil.* tom. IV, col. 813.
[2] Labbe, tom. XI, col. 1153.

3° Tandem convocabant Metropolitas atque Episcopos ad Synodos sui Patriarchatus, et ad Synodos œcumenicas; et Episcopi eo usque illorum auctoritati subdebantur, ut in ipsis etiam Synodis generalibus deliberare non consueverint nisi cum suo Patriarcha... Notandum tamen Patriarchas non potuisse convocare concilium suarum provinciarum nisi de assensu saltem præsumpto S. Pontificis. In concilio Chalcedonensi Legati arguerunt Discorum Alexandrinum qui « Synodum ausus fuerat facere absque auctoritate throni Apostolici, quod nusquam factum est nec fieri licet [1]. »

Hæc fuere jura magnarum sedium Patriarchalium. Quod vero attinet ad Episcopos quos decursu temporum Sancta Sedes cohonestavit titulo Patriarchæ, v. g., Episcopos Bituricenses in Gallia et Ulyssiponenses in Portugalia, id honoris causa obtinuerunt quin ipsis prærogativæ dignitatis Patriarchalis in cæteros episcopos tribuerentur [2]. Quin etiam præsules quos hodie S. Pontifex Patriarchas creat Antiochenos, Alexandrinos et Constantinopolitanos, quique Romæ commorantur, solo titulo insigniuntur absque jurisdictione. Conservantur solum tituli, ne oblivione deleatur memoria harum Ecclesiarum quæ infidelium tyrannide oppressæ sunt.

129. — IV° *Quid fuerint Primates et quæ illorum jura?*

I. Primates fuerunt præsules Patriarchis dignitate inferiores, qui in plures provincias jurisdictionem obtinebant.

Præcipuus inter Primates citandus venit Episcopus Carthaginensis qui a primæva ætate in omnes Ecclesias Africanas potestatem explicavit, ut passim testantur epistolæ sancti Cypriani, et acta conciliorum. Quamvis scilicet Africa in plures provincias partita fuerit, et singulæ provinciæ, scilicet : Numidia, Mauritania Cæsariensis, Tingitana, etc., suos Metropolitas haberent, omnes tamen sub regimine generali

[1] Labbe, tom. IV, col. 95.

[2] Bened. XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. IV, n^is 6-8.

atque auctoritate Ecclesiæ Carthaginensis regebantur. Hujusce sedis Antistiti reservatum fuit jus providendi cæteris Ecclesiis ordinatione Episcoporum, Episcopos convocandi ad concilia plenaria regionis, diœceses visitandi, de causis gravioribus cognoscendi, eodem fere modo qui servabatur respectu Patriarcharum. Hanc jurisdictionem diuturna consuetudine firmatam testabatur Aurelius in concilio Carthaginensi, an. 397 habito, dum nullo contradicente, dicebat : « Ego cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, ut scitis fra« tres, sollicitudinem gero. » Quamobrem, pluribus ab ea ætate elapsis sæculis, anno scilicet 1050, eadem jura vindicabat in favorem Primatis Leo IV ad præsules Africanos rescribendo : « Nostis procul dubio quod post Rom. Pontificem, « maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus, nec « quicumque... aliquam licentiam habet Episcopos conse« crandi vel deponendi, vel concilium provinciale convo« candi sine consensu Archiepiscopi Carthaginensis [1]. »

Alii plures Primates extiterunt in diversis regionibus, uti Cantuariensis in Anglia ; Moguntinus in Germania; Arelatensis, Burdigalensis, Narbonensis, Remensis, Bituricensis et Lugdunensis in Gallia, qui ultimus in quatuor provincias Lugdunenses, scilicet : Lugdunensem proprie dictam, Rothomagensem, Turonensem et Senonensem, sua jura protendebat. Cum an. 1622 Gregorius Papa XV Ecclesiam Parisiensem in dignitatem metropoleos evexit, hanc conditionem appositam voluit ut Primatui sedis Lugdunensis et illius Archiepiscopo, instar Ecclesiæ Senonensis, subjecta maneret.

II. Jura Primatum non eadem ubique fuerunt, nec ea de re ulla dari potest regula generalis, nisi quod Primates judicabant causas ad suum tribunal devolutas per appellationem a sententiis Metropolitanorum, uti suo loco dicemus ubi de *Judiciis*. Cap. *Conquestus*, 8, caus. IX, quæst. III.

[1] Labbe, *Collect. conciliorum*, tom. IX, col. 972.

III. Hodierna ætate nullam novimus superesse Ecclesiam quæ potiatur juribus et dignitate Primatus. Sedes Carthaginensis non subsistit; veteres Ecclesiæ Asiaticarum provinciarum titulo Primatiali olim insignitæ perierunt, aut saltem non in eodem ac olim statu permanent; concordatum an. 1801 qui pristinum statum Galliæ immutavit, nova inducta provinciarum circumscriptione, suppressit jura quibus nonnullæ sedes majores gloriabantur; quapropter omnes, in nostris partibus, provinciæ ecclesiasticæ sunt omnino jure æquales ac ab invicem independentes. Si quibusdam, uti v. g. Episcopo Lugdunensi, benignitas apostolica indulserit præferre titulum Primatus, hoc ad honorem solum, et commemorationem historicam temporis acti, datum fuit.

Divinæ providentiæ ordinationibus tribuimus, quod res eo devenerint ut præter provinciarum distinctionem de qua mox dicendum erit, alia non supersint intermedia, quibus singuli Episcopi cum Sancta Sede communicent. Quo arctius gentes dissitæ locorum intervallis jure commercii miscentur, eo facilior est aditus ad urbem Romam, et evanuit necessitas officii patriarchalis et primatialis. Non indigent Ecclesiæ ut alter præter unum S. Pontificem primatum teneat; ac simul, quod maxime attendendum, omnes per orbem constitutæ Ecclesiæ, mutuis ac frequentioribus relationibus, strictiori quodam vinculo devinciuntur centro unitatis catholicæ.

130. — V° *Quid concludendum ex dictis de unitate ecclesiarum particularium, et de illarum juribus seu privilegiis?*

Ex dictis circa originem Ecclesiarum patriarchalium et primatialium duo sequuntur maximi momenti scilicet: 1° Ecclesias omnes in ambitu patriarchatus seu primatus comprehensas servasse unitatem propriam in unitate generali Ecclesiæ catholicæ; 2° omnia jura et privilegia quibus donatæ sunt effluxisse, veluti a suo fonte, a primatu apostolico Sanctæ Sedis; quamobrem nec illa retinere potuisse nisi eadem auctoritate.

I° De communione omnium Ecclesiarum in una Ecclesia Romana, omnium matre et magistra, non est ambigendum, siquidem auctoritas collata Principi Apostolorum est petra super quam omnis Ecclesia ædificatur. « De toto mundo unus « Petrus electus est, ut verbis utamur sancti Leonis, qui et « universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, « cunctisque Ecclesiæ Patribus præponeretur; ut quamvis « in populo multi sint sacerdotes multique pastores, omnes « tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et « Christus. » (Sermo LXXXIII, in Nat. S. Petri.)

Illæsa hac unitate catholica, Ecclesiæ particulares suam relativam unitatem habuere, unde et nomen proprium e suis regionibus sortitæ sunt. Dicta est Ecclesia *Græca* quæ sub patriarchatu sedis Constantinopolitanæ constituebatur; Ecclesia *Orientalis* quæ sub patriarchatu Antiochiæ; Ecclesia *Ægyptiaca* quæ regebatur ab Episcopo Alexandrino; Ecclesia *Africana* a Primate Carthaginensi, et sic de aliis. Cæterum, usus etiam invaluit, nedum apud probatos scriptores, sed et apud ipsos summos Pontifices, ut nomine collectivo appellarent plures Ecclesias quæ licet non haberent inter se unitatem hierarchicam, mutuis tamen relationibus quadamtenus consociabantur. Sic, ut exemplum proferamus quod nostrarum propius regionum interest : Ecclesiæ Galliarum nunquam fuerunt sub unius Primatis jurisdictione constitutæ, et tamen persæpe Romani Pontifices, a S. Gregorio Magno ad Pium VI, eas communi denominatione dixerunt *Ecclesiam Gallicanam*. Videas cap. *Quanto Ecclesia Gallicana*, 3, de MAGISTRIS, lib. V, Decret. vel cap. *Cum creatura*, 2, de CELEBRATIONE MISS., lib. III[1]. Hujus denominationis ratio est quod

[1] Innocentius III in cap. *Cum creatura* dixit : « Cum *Ecclesia Gallicana* « per Dei gratiam, tanquam lucerna super candelabrum posita aliis luceat « per exemplum...» — « Recognoscimus et fatemur, ait Gregorius IX, quod « *Ecclesia Gallicana* post Apostolicam Sedem, quoddam totius est christia- « nitatis speculum et immotum fidei fundamentum, utpote quæ in fervore

sub multiplici respectu Ecclesiæ Galliarum ad invicem consociatæ erant, uniformitate disciplinæ et morum, præter quod sub ditione ejusdem principis temporalis extabant.

II. Aliud corollarium quod ab origine patriarchatus et primatus deduximus est etiam certissimum.

Sua singulis majoribus Ecclesiis fuerunt privilegia et consuetudines, quæ etiam *libertates* dixerunt; libertates quippe appellabantur jura privata quibus uti licebat, immunitates videlicet, exemptiones a jure communi. Alexander III, Const. *Admonet nos*, an. 1170 directa ad Ecclesiam Scotiæ, dicebat : « Nos vestræ devotionis intuitu provocati, *antiquas* « *libertates* et consuetudines rationabiles quas habuisse no- « scimini, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Si quis « autem contra libertates et consuetudines ipsas venire « præsumpserit, nulli nisi in præsentia nostra respondere « cogamini. » Hæc rursus confirmare voluit Cœlestinus III, litteris ad Scotorum regem datis, et simul explicat his terminis : « ..... Duximus statuendum ut Scoticana Ecclesia « Apostolicæ Sedi cujus filia specialius existit, nullo mediante, « debeat subjacere... Et nemini liceat nisi Romano Pontifici « vel Legato ab ipsius latere destinato, in regnum Scotiæ « interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, « et si promulgata fuerit decernimus non valere. Adjicimus « ut nulli de cætero qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi « quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo spe- « cialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium « exercere..... Præterea *libertates* et immunitates, tibi, vel « regno, vel Ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus « nostris Pontificibus Romanis indultas, et hactenus obser-

« fidei christianæ, ac devotione Apostolicæ Sedis, non sequitur alias sed ut « earum pace dixerimus, antecedit. » *Annales* Raynaldi, tom. XIII, p. 257; anno 1216, n° 39, p. 381; ann. 1227, n° 60. Pius VI easdem denominationes frequenter adhibuit, v. g., in Brevi *Quod aliquantum* ad Prælatos conventus nationalis, die 10 mart. 1791; item in litteris monitoriis, *Novæ hæ litteræ*, datis die 19 mart. 1792, et alibi passim.

« vatas ratas habemus, et illibatas futuris temporibus statuimus permanere[1]. »

Hæc, inter plura quæ passim reperiuntur in litteris plurium Pontificum, exempli causa proferimus, ut inde videamus quonam sensu esse possint libertates Ecclesiis particularibus, absque ullo præjudicio unitatis catholicæ. Omnia sane jura, omnes immunitates Ecclesiarum, patriarchali, primatiali, aliove titulo glorientur, profluunt saltem implicite a Sancta Sede, et ipsius summæ auctoritati obnoxiæ remanent, adeo ut minime dubitandum sit quin Romani Pontifices valeant ea tollere, si bono Ecclesiæ expedire judicent. Hæc nobis nunc inservient ad solvendam quæstionem quam, data occasione, paucis tractare otiosum non erit, de *libertatibus* Ecclesiæ Gallicanæ.

131. — VI° *Quæ fuerint libertates Ecclesiæ Gallicanæ, et quonam principio fundatæ?*

I. Difficillimum est determinare quæ fuerint in specie *libertates* Ecclesiæ Gallicanæ, de quibus tamen tot scripta prodierunt, tantoque animorum æstu olim disputatum est. « La plupart des auteurs, *ait* Fleury, qui ont traité de nos « libertés, ont outré les choses en y comprenant certains « droits qui n'ont aucun fondement dans l'antiquité. Ils n'ont « cherché qu'à étendre autant qu'ils pourraient l'autorité « royale, en resserrant celle de l'Église et du Pape en par« ticulier. Je ne connais aucun auteur qui ait gardé en cette « matière un juste tempérament... Les libertés de l'Église « Gallicane consistent, dit-on, en l'observation des anciens « canons contre les nouvelles constitutions des Papes qui « les ont changés, et qui n'ont point été reçues en France « comme dans les autres pays. Pour expliquer ces libertés, il « faut donc montrer deux choses : 1° que les choses dans les« quelles on fait consister ces libertés soient de l'ancienne « discipline ; 2° il faut montrer que ces usages soient parti-

[1] Baronius, *Annales ecclesiastici*, tom. XII, ann. 1192, pag. 833.

« culiers à la France; car si les autres pays chrétiens, ou la « plupart, ont conservé les mêmes libertés, il n'y a pas de « raison de les attribuer à la France, et de soutenir cette « distinction qui nous rend odieux aux étrangers. » (*Nouveaux Opuscules de Fleury, Libertés de l'Église Gallicane, Lettre à M. du Gaz*, p. 183, 194; ed. Paris. an. 1818.)

Dicendum tamen scriptores Gallicos has libertates generatim ad duo capita retulisse; nimirum ad *temporalia* et ad *spiritualia*.

Quoad primum caput, libertates in eo reponi dicebant ut non admitterentur in Gallia jura quædam temporalia quæ Sanctæ Sedi in societatem civilem advenerant ex plurium populorum moribus et politicis constitutionibus, et quæ Gallis visa sunt minus convenire dignitati atque independentiæ regni. Nonnulli scilicet quarumdam gentium principes se suumque regnum Ecclesiæ Romanæ dederant in feudum, atque, instar vassalium erga suum dominum temporalem, Romano Pontifici juramento *hominii*, ut dicebatur, se obligaverant; reges vero Galliæ plenam independentiam in temporalibus constanter servaverunt. Præterea, lapsu temporum, vel etiam decretis regiis, abolita fuerunt in nostris regionibus quædam privilegia ordinis temporalis quæ olim, sub influxu jurisprudentiæ imperii Romani, et ob circumstantias varias, princeps sæcularis sponte tribuerat judicibus ecclesiasticis; quod etiam libertas reputabatur in ordine temporali. Dum vero reges hæc ad se retrahebant, ne imminui viderentur eorum jura, et misceri temporalia cum spiritualibus, plura alia quæ non erant de suo foro, uti nominationes ad sedes episcopales et ad abbatias, necnon dispositiones beneficiorum in *regalia* vacantium, de quibus infra, sibi retinere studebant, ratione *temporalitatis*. Præterea, obstabant ne SS. Pontifices imponerent onera pecuniaria beneficiatis, nisi hæc mutuo consensu utriusque auctoritatis sancita fuissent.

Quoad *spiritualia*, libertates Ecclesiæ Gallicanæ in eo præsertim reponebant ut jurisdictio ordinaria Episcoporum integra remaneret; unde, ægre ferebant quidquid, in reservationibus Sanctæ Sedi, in exemptionibus capitulorum et ordinum religiosorum, jura Ordinariorum arctius restringebat quam poscere ipsis videbatur bonum Ecclesiæ. « Summa sit « nostræ libertatis, aiebat *Bossuet*, sic novella jura, pia aut « necessaria institutione stabilita, servare, ut antiquiora « respicere, iisque sustentare disciplinam; jus commune « atque in eo venerandas antiqui juris reliquias omni ope « servare, jusque arbitrarium, et mandata extraordinaria, « repudiare studeamus; in eaque partem maximam repo- « namus nostræ erga Ecclesiam catholicam ac Sedem Apo- « stolicam reverentiæ; quippe qui intelligamus, quo quisque « est studiosior antiquæ disciplinæ, eo magis cordi habere « debet Ecclesiæ catholicæ ac Sedis Apostolicæ majestatem. » (*Defensio declar. cl. Gall.*, lib. XI, cap. XIV.) Demum, ut prætensis libertatibus sufficienter provideretur, praxis invaluerat novas leges disciplinares, sive a conciliis, sive a Sancta Sede factas, non prius promulgandi per provincias ac diœceses, antequam examinatæ fuissent, ne quid forte in illis contineretur privilegiis, usibus et libertatibus adversum[1].

132. II. Quam obscura ac indeterminata fuerit materia *libertatum*, quam periculis plena, ex illa summaria expositione satis apparet; unde non mirum si plures cum jurisperiti, tum etiam canonistæ, limites excesserint, uti animadvertebat ipse *Fleury* cujus verba modo citabamus. Clerus Gallicanus gravi nota condemnavit, an. 1739, tractatum *de Juribus et Libertatibus Eccl. Gall.*, in quo, aiunt Præsules :

[1] Non recensuimus quatuor articulos conventus cleri an. 1682 inter libertates Ecclesiæ Gallicanæ, quia his quatuor articulis non continebantur leges disciplinares, sed opiniones theologicæ quas Gallicani habebant pro fundamento suarum libertatum. Cæterum de his opinionibus quid sentiamus sufficienter diximus supra (n[is] 65, 76-80).

« Compilator multis pessimis quæ propinabat bona quædam « immiscuit, et inter *falsas* et *hæreticas* quas *detestamur* Ec« clesiæ Gallicanæ *adscriptas servitutes* potiusquam liberta« tes, vera quædam et legitima privilegia exposuit[1]. » Erant igitur quædam prætensæ libertates quas clerus detestabatur uti falsas et hæreticas ; quod ut magis appareat, paucis exponemus modum diversum quo Galli fundamenta libertatum intelligebant.

Triplex opinio distingui potest.

1ª opinio non aliunde *libertates* repetit quam a jure naturali quod singulis nationibus inesse dicunt repellendi quæ suis moribus adversantur, et suas consuetudines retinendi. Hoc systema neutiquam admitti potest; siquidem contrarium est unitati catholicæ in qua omnes ecclesias convenire necesse est, sub imperio supremæ auctoritatis spiritualis. Fatemur in iis quæ ad ordinem temporalem referuntur, esse jura propria principis sæcularis; hæc non affectant SS. Pontifices qui utique nos docent duplici potestate, una in spiritualibus, altera in temporalibus *mundum regi principaliter* (nº 64); liberum proinde est principi hæc sibi integra reservare, vel partim horum exercitium pastoribus Ecclesiæ committere, eadem ratione qua ipsa Ecclesia vicissim nonnulla spiritualia principibus christianis commisit; utraque potestate sancta societate communita. Verum, quis etiam, tantisper in rebus ecclesiasticis versatus, non fateatur persæpe gubernia civilia jura Ecclesiæ sibi usurpasse sub vano prætextu temporalitatis? Quis, inquam, ignorat in Galliis, sicuti in Germania,

[1] *Collection des Procès-verbaux des Assemblées générales du Clergé de France*, tom. III, *Pièces justificatives*, nº 1. Ipse *Bossuet* animadvertebat *libertates* Ecclesiæ Gallicanæ sumptas fuisse a magistratibus (quod etiam de pluribus theologis Gallicis dicere potuisset) in sensu alieno a principiis doctrinæ catholicæ : « Je me proposai de les expliquer de la manière qu e les « entendent les Évêques, et non pas de la manière dont les entendent les « magistrats. » *Œuvres* de Bossuet, tom. XX XVII, *lettre* xci au Card. d'Estrée. Édit. de Versailles.

et in cæteris regionibus, maximam inde ortam perturbationem, ob usurpatam a potestate sæculari jurisdictionem spiritualem? « La grande servitude de l'Église Gallicane, *aie-* « *bat* Fleury, c'est l'étendue excessive de la juridiction sé- « culière : » et in alio loco : « Si quelque étranger zélé pour « les droits de l'Église, et peu disposé à flatter les puissances « temporelles, voulait faire un traité des servitudes de l'É- « glise Gallicane, il ne manquerait pas de matière, et il ne « lui serait pas difficile de faire passer pour telles les appel- « lations comme d'abus, la régale, la rareté des conciles, le « jugement des clercs en cour laïque... » (*Discours sur les libertés de l'Église Gall.*, nº 24. — *Libertés de l'Église Gall.*)

Igitur ratio habenda est doctrinæ et disciplinæ catholicæ, ne tribuantur principi quæ sunt fori Ecclesiæ, et loco veræ libertatis admittantur usurpationes jurisdictionis, quæ potiori jure servitutes dicendæ sunt.

IIª Opinio illorum est qui *libertatum* fundamenta statuunt in jure communi, independenter ab assensu Sanctæ Sedis. « Ecclesiæ nationales, ait *Gibert*, non subjacent legi- « bus Romanis quas non acceperunt, et ad illas non recipien- « das non egent consensu Sedis Apostolicæ, sed sufficit quod « sibi repugnare videantur moribus suarum nationum. » (*Corpus juris can.*, Prolegom., part. I, lib. XV; Appendix, sect. II.) In sui favorem allegant textus conciliorum œcumenicorum quibus præcipitur ut « unicuique provinciæ pura « et inviolata quæ jam ab initio habuit, sua jura serventur, « ne paulatim libertas amittatur quam Christus nobis dona- « vit. » Verba sunt synodi Ephesinæ[1], ex quibus concludunt jura et consuetudines Ecclesiarum particularium referri ad jus Ecclesiæ universalis, cujus auctoritate confirmantur.

Hæc secunda opinio rejicienda est, sicuti præcedens, quia derogat juribus Sanctæ Sedis; in schisma induceret Ecclesias

[1] Labbe, *Collect. concil.*, tom. III, col. 801.

nationales quæ sua privilegia retinere obstinate contenderent contra voluntatem Rom. Pontificis; male insuper commentatur decreta conciliorum.

Ecclesia Romana singulis quibuscumque Ecclesiis jura servat, et ea præsertim quæ venerandis Patrum traditionibus consecrantur; sed alia longe dissimilis est ratio plurium consuetudinum quæ ætate recentiori moribus inductæ sunt contra regulas sanctorum canonum, in detrimentum unitatis, et subjectionis erga Sanctam Sedem, ut quandoque contigit. Ipsa etiam antiquorum temporum instituta possunt, mutatis circumstantiis, non convenire; quis autem horum judex erit? Officium quidem est Episcoporum suarum sedium privilegia studiose retinere, quantum patitur debitum obedientiæ, et statum rerum adaperire Romano Pontifici; at, nisi subvertatur ordo hierarchiæ divinitus constitutæ, dicendum est ultimum ac definitivum judicium reservari Ecclesiæ Romanæ.

III^a demum opinio fundamenta *libertatum* ponit in assensu saltem tacito Sedis Apostolicæ. Hanc ultimam sententiam ultro amplectimur, quam solam cuncta ordinate componere, et sufficienter unitati Ecclesiarum in communione Ecclesiæ matris providere, existimamus.

Non alia mente sua privilegia olim retinuisse clerum merito conjicimus ex sua reverentia erga Sanctam Sedem, et ex agendi ratione maximæ partis Episcoporum, quoties ad illos pervenerunt mandata apostolica; unde Benedictus XIV, etsi hos Episcopos *suæ jurisdictionis tenacissimos* dixerit, nihilominus regnum Galliæ eodem loco collaudavit uti *Apostolicæ Sedi obsequentissimum et sacrorum canonum religiosissimum custodem*, quod præsertim de clero Galliarum significabat. (*De Synodo*, lib. IX, cap. II, n^is 4, 5.) Ipse clerus suam sententiam satis expresse declaravit anno 1641 in litteris supra citatis quibus condemnationem Tract. *de libertatibus* referebat: « Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ nomen, aiebat, primo-

« genitis Ecclesiæ Romanæ filiis dulce semper fuit, dum « citra fidei, et unitatis præjudicium, sibi merito *indulta* « *jura*, quasi inviolatæ suæ erga Ecclesiam observantiæ... « venerantur. »

133. — Plura quidem indulta fuere per concordatum, uti v. g. : sublatio reservationum ad vacatura beneficia; jus terminandi omnes et singulas causas, exceptis majoribus, apud judices in partibus qui de jure, vel consuetudine præscripta, aut privilegio, illarum cognitionem habebant; prohibitio recurrendi ad superiorem hierarcham per appellationes, omisso medio... Alia vi diuturnæ consuetudinis convaluerant, absque ullo præjudicio Sedis Apostolicæ, sicut factum novimus in plerisque aliis regionibus. Nulla enim fortassis est Ecclesia quæ non habeat suas privatas consuetudines quæ in quibusdam articulis recedunt a jure communi, sine detrimento unitatis. De his dubium non movebatur; fas erat Gallis hæc indulta jura servare, nihilque obstabat quin ea *libertates* dicerent. At alii insuper erant articuli, quibus supponi nequit Sanctam Sedem assensum dedisse, v. g. : necessitas placiti regii ad acceptationem et promulgationem constitutionum pontificiarum et decretorum conciliorum, cujuscumque naturæ essent; necessitas item consensus principis ut Legati advenirent in Gallias, ibique sua uterentur jurisdictione; ut Præsules in concilium provinciæ convenirent; ut Romam adirent causa visitandi *sacra limina* et suæ administrationis rationem reddendi; appellationes *ab abusu* ad curias civiles; praxis abstinendi, non consulta Sancta Sede, a promulgatione novarum constitutionum, quoties videbantur minus convenire moribus, seu disciplinæ ecclesiarum Galliæ, etc.; has et alias similes consuetudines Sancta Sedes nunquam, nec quidem tacite, approbavit; et si non semper contra illas reclamaverit, satis ostendit sua agendi ratione, silentium non tribuendum esse assensui, sed prudentiæ. Qui e clero has prætensas libertates sua agendi ra-

tione probabant, derogabant, præter intentum, dignitati atque juribus Ecclesiæ Romanæ, et favebant temerariis ausibus magistratuum.

Experientia plurium gentium, præsertim Germaniæ, Galliæ et Hispaniæ, ut de cæteris sileamus, edocti sumus Ecclesias particulares, nedum virtute proficiant in servanda disciplina sibi propria, in periculum potius venire suorum jurium veræque libertatis, dum privilegia contra votum Ecclesiæ Romanæ, seu affectant, seu studiosius retinere contendunt. Quo minus innituntur principalitate potentiore principis Apostolorum, eo arctiori vinculo devinciuntur auctoritati sæculari, atque paulatim in hunc statum deveniunt quem mira verborum concinnitate Fenelonius significavit : *Libertés à l'égard du Pape, servitudes à l'égard du roi.* Sancta proinde Sedes sit nobis certum tutumque fidei, dignitatis sacerdotalis, disciplinæ atque libertatis præsidium.

ARTICULUS II. — DE METROPOLITANIS.

134. — Tertio loco veniunt, in ordine hierarchiæ episcopalis, Metropolitani qui Episcopis unius provinciæ præsunt. Eo nomine vocantur quia sunt præsules *Metropolis*, id est urbis matris aliarum vicinarum urbium. Siculi nimirum in politia civili quædam urbes supra alias evectæ sunt, ut essent vel capita provinciarum, vel capita diœceseon, ita quoque in ordine ecclesiastico Episcopi quarumdam Ecclesiarum eam dignitatem sortiti sunt in gradu inferiori Patriarchis et Primatibus, ut pluribus unius provinciæ Episcopis præessent. Originem Metropolitarum veteres merito tribuerunt institutioni apostolicæ; Apostoli siquidem, tametsi provincias ecclesiasticas singulas non præfinierint cum juribus hodiernis, quosdam tamen præsules majores constituerunt, uti Paulus Titum præfecit Ecclesiæ Cretæ insulæ, Timotheum in Asia,

ad specimen metropoliticæ dignitatis, complementum hujus disciplinæ sæculis subsecuturis relinquendo. Hoc institutum Ecclesia judicavit valde utile fidei et disciplinæ; cum enim identidem hæreses et schismata erumperent, interque ipsos Episcopos orirentur controversiæ, maxime opportunum duxit unum aliquem in singulis provinciis Episcopum eligi qui rebus his prospiceret, atque ita tum fidei tuendæ, tum ecclesiasticæ paci fovendæ consultum foret [1].

135. — I° *Quæ sint jura Metropolitanorum?*

I. Ante omnia notandum est illud tantum Metropolitanis, uti Metropolitanis, competere, quod vel sacris canonibus expresse concessum fuerit, vel longa consuetudo induxerit, vel singulare privilegium tribuerit, adeo ut Metropolitanus de certa juris specie contendens adversus Episcopum, onus habeat probandi hoc sibi tributum. Rationem hujus regulæ in præcedentibus satis insinuavimus, quod scilicet dignitas metropolitana sit humanæ institutionis. Cum autem jure divino omnes Episcopi, infra S. Pontificem constituti, auctoritate pares sint, nec alteri in alterum detur singularis prærogativa nisi a primatu apostolico expresse vel tacite obtinuerint, necesse omnino est ut sacris canonibus, vel prisca consuetudine, aut peculiari privilegio, sua jura vindicent [2].

His præmissis dicendum Metropolitanos jurisdictionem habere tum in Episcopos, tum in plebem, clerumque Episcoporum provinciæ; hanc autem jurisdictionem esse immediatam in Episcopos suffraganeos, et, extra saltem casum visitationis, tantum mediatam in subditos suffraganeorum.

136 — II. Quoad suffraganeos hæc notanda :

1° Olim regula constanter usu servata erat ut Episcopi non ab alio ordinarentur quam a suo Metropolitano, nisi

[1] Selvagio, *Antiquitatum eccles. Institutiones*, lib. I, cap. xx, § 2.

[2] Cap. *Duo simul*, 9 DE OFF. JUD. ORDINARII; — Berardi, *Commentaria in jus univ.* dissert., III, cap. I.

manus ipsis imponeret Patriarcha, seu Primas. Ab ea regula pluribus canonibus sancita (cap. *Si Archiepiscopus*, 6; *Nec Episcopus*, 7, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, lib. I Decret.), paulatim Episcopi in praxi recesserunt ob varias difficultates. Tamen, ne lex canonica violata censeatur, S. Pontifex consuevit concedere omnibus promotis ad episcopatum facultatem recipiendi ordinem a quo voluerint Antistite, modo sit in communione Sanctæ Sedis[1].

2° Officium Metropolitani est invigilandi ne suffraganei suo muneri desint. Si noverint illos non residere in diœcesi, juxta præscriptiones juris; vel negligere curam regiminis, aliudve committere contra sanctitatem ordinis episcopalis, debent eos admonere fraterna sollicitudine.

3° Jus habent cohibendi pœnis, quæ limites correctionis paternæ non excedant, suffraganeos qui suis monitis in re gravi non obtemperarent. Dicetur infra, in sectione IV[a], causas criminales majores reservari S. Pontifici, et causas criminales minores deferri ad concilium provinciæ; nihil vero juri veteri Metropolitanorum derogatum fuit, quoad causas civiles; unde sequitur Metropolitanum posse, in statu præsenti, pœnas aliquas medicinales, v. g., suspensionem ad aliquot dies, et cæteras hujusmodi, suis suffraganeis imponere, in correctionem delicti. Ita communissime canonistæ, qui tamen animadvertunt id, licet verum in ratione juris, non expedire ad praxim adducere, nisi prius consulta S. Congregatione[2].

4° Tandem jus habent Episcopos ad synodum provincialem convocandi, uti exponemus in discursu subsequenti.

157. — III. Quoad subditos suffraganeorum, Metropo-

[1] Vid. Bullam Benedict. XIV *In postremo*, § 16. Ann. 1756.

[2] C. Petra in II[am] Const. Leonis IX, sect. v, tom. I, pag. 158, 159; — Card. de Luca. Discurs. LII *de Jurisdictione;* — Ferraris, v° *Archiepiscopus*, art. I. n° 19.

litanus non est superior immediatus, nec jura Ordinarii potest generaliter sibi vindicare, sed tantum in casibus jure expressis (cap. *Pastoralis*, 11, DE OFF. JUDICIS ORDINARII, lib. I Decret.), qui casus referuntur ad appellationem, ad devolutionem et visitationem.

1° In casu appellationis, Metropolitanus jus dicit inter illos qui a sententia, vel ab actibus extrajudicialibus suffraganeorum provocant. « Regulariter loquendo, ait Reiffenstuel, quilibet potest appellare, tum a gravamine sibi « extrajudicialiter illato, tum a sententia contra ipsum « lata, si per hanc se injuste gravatum existimet. Ita com« munius. » (In tit. DE APPELLATIONIBUS, n° 32.) Caput *Quia cognovimus*, 6, caus. x, qu. 3, statuit omnes clericos qui se gravari cognoverint ab Episcopo, suas querelas ad Metropolitanum deferre posse, simulque Metropolitano præcipitur ut non moretur negotia hæc tractare. In parte *de Judiciis* dicetur quæ exceptio introducta sit pro sententiis ex informata conscientia latis.

2° Devolutio ad Metropolitanum locum habet : 1° Quando capitulum neglexit deputare vicarium, intra octo dies a cognita vacatione sedis episcopalis, juxta præscriptum concilii Tridentini; 2° Si Episcopus distulerit, per sex menses, culpabili negligentia, conferre officia vacantia. (Ita cap. *Nulla* et DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ.) Hanc legem concilium Lateranense tulit ne officia diu vacarent in detrimentum disciplinæ et animarum; 3° Si Episcopus contulerit officium indigno. (Cap. *Cum in cunctis*, 57, DE ELECTIONE, lib. I Decret.)

Extra hos casus non videtur esse locus devolutioni. Quidam dicunt Metropolitanum posse dispensationem concedere, Episcopo eam denegante, quando est debita ratione personæ, ætatis, necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ. At, vel supponitur talis necessitas ut subditus potius indigeat interpretatione legis quam dispensatione proprie dicta, et tunc

est casus appellationis ad Metropolitanum pro negata justitia; vel non est vera necessitas dispensationis, et tunc non est ratio cur causa devolvatur ad Metropolitanum.

Major est difficultas ad determinandum utrum talis sit effectus devolutionis ad superiorem, ut inferior suo jure privetur, et amplius non valeat, elapso termino, eligere vicarium, seu conferre officium, etiamsi Metropolitanus sua prærogativa usus non fuerit. Hoc apud canonistas controvertitur. Satis probabile est inferiorem non posse eligere, seu conferre officium, nisi modo precario, adeo ut in tantum convalescat hæc electio vicarii, seu collatio officii, quantum de patientia toleretur per superiorem, juxta cap. *Litteras*, 4, DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA, lib. I Decret. Ratio est quod : 1° Proprius effectus devolutionis sit transferendi jurisdictionem ab inferiore ad superiorem. 2° Quod caput *Litteras* dicat prælatos inferiores se propria culpa *jure instituendi privavisse*. 3° Tandem quod, etsi res in controversiam adducatur, multo tamen communior sit hæc opinio, quam et communem plures dicunt. Attamen, si superior tolerat electionem factam, merito censetur illam implicite facere, ratihabendo quod gestum est.

3° Visitatio. Jus visitationis multum restrictum fuit a SS. canonibus. Concilium Trident., conformiter ad constitutionem Innocentii IV *Romana Ecclesia*, 1, DE CENSIBUS, lib. III, in VI°, præscripsit ut Metropolitani visitationem diœceseon suffraganeorum aggredi non debeant, nisi prius suam propriam diœcesim visitaverint, et causa visitationis in concilio provinciali fuerit approbata. Sess. XXIV, cap. III.

Scopus hujus visitationis est, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; bonos mores tueri, et pravos corrigere; ea constituere quæ, prout locus, tempus et occasio ferunt, magis ad bonum conducere videntur.

4° Archiepiscopus potest, etiam extra casum visitationis,

dare suffraganeis et suffraganeorum subditis indulgentias, stando intra limites juris communis, scilicet indulgentias XL dierum. (Cap. *Nostro postulasti,* 15, DE PŒNIT. ET REMISSIONIBUS.)

138. — II° *Quæ sint insignia dignitatis metropolitanæ?*

I. Insignia dignitatis metropolitanæ sunt crux et pallium. Metropolitanus crucem suam præ se ferendi jus habet, quocumque perrexerit intra limites suæ provinciæ. Ita cap. *Archiepiscopo,* 2, DE PRIVILEGIIS, lib. V Clement.; ubi simul declaratur quod jus item habeat benedicendi populo, et sacrum pontificaliter celebrandi, non obstante quovis privilegio in contrarium. Lex Tridentina contra Episcopos qui pontificalia exercent in aliena diœcesi, absque assensu Ordinarii, non derogat privilegiis Metropolitanorum.

II. Pallium est ornamentum quod Metropolitanus defert super alias vestes pontificales; illa nempe fascia, ex lana candida et crucibus nigris contexta, quæ humerum pectusque circumdat, et ex utraque parte habet lineas dependentes.

Traditionum ecclesiasticarum periti dicunt Patriarchas olim et quosdam alios Episcopos insignium sedium quibus Pontifex Rom. vicariatum committebat, habuisse ornamentum speciale quod pallio hodierno simillimum fuit, et quod super casulam, seu cappam imponebatur. In Gallia, Episcopus Arelatensis primus suscepit hoc indumentum, quod Symmachus contulit S. Cæsario, hujus Ecclesiæ Antistiti. Alii Metropolitani Occidentis eodem pallio decorati sunt, scilicet Cantuariensis in Anglia, Hispalensis in Hispania, Moguntinus in Germania.

Sæculis subsequentibus, ab anno scilicet 742, occasione concilii cui præsidebat S. Bonifacius, Metropolitani plerique enixe postulaverunt, ac tandem paulatim, alii post alios, assecuti sunt honorem pallii. Hanc novam iis assertam dignitatem S. Bonifacius existimabat medium fore efficax instau-

randi disciplinam, quia præsules pallio insigniti magis directe ac frequentius communicare debebant cum sancta Romana Ecclesia [1].

Lana qua conficitur pallium « ovis illius quam dominus « aberrantem quæsivit, inventamque suis humeris sustulit, « pellem significat, ait Benedictus XIV, ut Episcopus qui « Christi typum gerit, ipsius munere fungatur, atque ipso « habitu omnibus se ostendat boni ac magni illius pastoris « imitatorem qui gregis infirmitates ferendas sibi proposuit. »

Pallium dicitur de *corpore B. Petri assumptum*, quia mos est ut pallia in vigilia SS. Apostolorum deferantur ad confessionem S. Petri; atque deinceps ut, peracta benedictione quæ fit expletis vesperis, a S. Pontifice, vel illius vice a Cardinali pontificaliter celebrante, illuc de novo reducantur asservanda in arcula prope corpus B. Petri, usque dum inde suscipiantur a primo Cardinale ordinis E. C. Diaconorum, qui illa tradit Archiepiscopis, seu Archiepiscoporum absentium procuratoribus [2].

139. — Pallium non datur solummodo ad decorandam dignitatem præsulum, sed insuper in signum institutionis seu confirmationis officii Metropolitani, adeo ut hæc institutio licet jam facta a S. Pontifice in consistorio, non plane consummata videatur nisi per pallii traditionem, quod a S. Pontifice postulatur triplici vice, *instanter*, *instantius*, *instantissime*. « Prisca consuetudo obtinuit, ait S. Gregorius Magnus, « ut honor pallii, nisi fortiter postulanti dari non debeat. » Cap. *Prisca*, 2, dist. 100.

Hinc fit ut promotus ad sedem archiepiscopalem dicatur simpliciter *electus in Metropolitanum* usque dum acceperit

[1] Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. xv; Thomassin, *Discipl. ecclesiast.*, part. I, lib. II, cap. LIV.

[2] Ritum et preces benedictionis palliorum exponit Benedictus XIV, in Const. *Rerum ecclesiasticarum*, ann. 1748; horum autem mysticas significationes, in Brevi *Romana Ecclesia*, ann. 1742.

pallium, quo confertur, cum plenitudine potestatis, appellatio nominis archiepiscopalis, uti animadvertit Innocentius III, in cap. *Nisi*, 3, DE AUCTORITATE PALLII, lib. I Decret.

Metropolitanus tenetur proinde abstinere ab omnibus actibus propriis officii archiepiscopalis quamdiu pallium non receperit. Non potest convocare concilium provinciale, visitare diœceses suffraganeorum, recipere appellationes a sententiis eorumdem, proferre crucem et alia hujusmodi. Cap. *Quod sicut*, 28, DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE, lib. I Decret. Neque etiam potest functiones ordinis exercere quæ requirunt usum pontificalium. « Cum non liceat, ait Innocentius III, in eodem capite, Archiepiscopo sine pallio, « conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, et « Episcopos consecrare, multum profecto præsumit qui, antequam pallium impetret, clericos ordinare festinat, cum id « non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur. » Re quidem vera, Episcopum gerit ordinando clericos quod est actus proprius ordinis episcopalis, sed tamen tanquam Archiepiscopus id facere *videtur*, quia indutus esse debet, intra ritus ordinationis, sacris insignibus dignitatis archiepiscopalis inter quæ recensetur pallium. Actus autem ordinis minus principales quos Episcopus peragere solet stola tantum indutus, ut est benedictio calicis et paramentorum, exercere potest ante pallium susceptum.

Leges ecclesiasticæ insuper determinant quandonam usum pallii sibi permittere possint Metropolitani. Solus Romanus Pontifex in omnibus missarum solemniis, et ubique locorum pallio utitur; alii autem quibus pallium datum est, illud deferre tantum possunt : 1° In ecclesiis sibi subditis; 2° intra missarum solemnia; 3° diebus jure determinatis, qui in Pontificali designantur. Si proinde ab Episcopis alterius provinciæ invitentur ad celebrandum sacra mysteria, pallium deferre non debent; nec eo etiam utuntur in sua provincia, si contingat exire processionaliter ab ecclesia in viam publi-

cam. Cap. *Nisi*, et *Cum super*, DE AUCTORITATE ET USU PALLII. Quam antiqua sit hæc disciplina testatur S. Gregorius Magnus, Epistola ad Episcopum Ravennatensem : « Illud, « frater carissime, non ignotum putamus, quod pene de « nullo Metropolitano, in quibuslibet mundi partibus sit « auditum, extra missarum tempus, usum sibi pallii vindi- « casse. » Cap. *Contra morem*, 8, dist. 100.

140. — *Nota.* 1° Metropolitanus nec suam crucem proferre, nec pallium gestare debet extra suam provinciam; quoniam ea insignia defert quatenus fungitur quodammodo vice Sedis Apostolicæ, quod in sua tantum provincia obtinet, non extra. Hinc etiam venit ut, præsente S. Pontifice vel ejus Legato, nec pallio, nec elata cruce uti possit, quasi cesset vicarium illud archiepiscopale officium, ubi per se vel per suum Legatum S. Pontifex adest præsens.

2° Quandoque, licet raro, Sancta Sedes honorem pallii concessit Episcopis, seu uti privilegium personale, seu etiam uti privilegium sedi annexum, quemadmodum olim factum esse novimus in favorem Siagrii Episcopi Augustodunensis, et hac recenti ætate in favorem Episcopi Massiliensis. Hæc concessio fit ad honorem, et non conferuntur communiter simul cum pallio alia privilegia subjectionis magis immediatæ S. Sedi et exemptionis a jurisdictione Metropolitani; quamobrem, nisi peculiare aliquid concessum probetur, præsumendum est nihil inde derogatum fuisse juribus Ecclesiæ metropoleos.

SECTIO IV^a

DE EPISCOPIS.

141. — Multæ et graves quæstiones sunt de Episcopis, quarum solutio maxime refert ad cognitionem divinæ hierarchiæ, et complet ea quæ in duplici sectione præcedenti diximus de summo pontificatu beati Petri, et de Prælatis superioribus.

Episcopi sunt Pastores qui, ad plenitudinem sacerdotii provecti, præficiuntur regimini alicujus Ecclesiæ particularis, seu diœcesis, cum subjectione debita auctoritati S. Pontificis, cui divinitus commissum est regimen Ecclesiæ universalis.

Concilium Tridentinum quid sint Episcopi, qualemve locum teneant in sacra hierarchia, nos docet in sess. xxiii, cap. iv, ubi hæc leguntur : « Sacrosancta synodus declarat « Episcopos qui in locum Apostolorum successerunt ad hie- « rarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut « ait Apostolus, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei : » et in canone 8° : « Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate « Romani Pontificis assumuntur non esse legitimos et veros « Episcopos; anathema sit. »

Dicemus 1° de origine diœceseon; 2° de electione et in-

stitutione Episcoporum qui diœcesibus præficiuntur; 3° de officio et jurisdictione Episcoporum, respectu suarum diœceseon; 4° de obligationibus quæ ipsis incumbunt ad rite implendum suum officium; 5° de ministris jurisdictionis episcopalis; 6° tandem de amissione jurisdictionis episcopalis, seu de variis modis quibus Episcopi possunt suo officio privari.

ARTICULUS I. — DE ORIGINE DIŒCESEON.

142. — Diœceses olim dicebantur regiones, seu provinciæ quæ plures sedes episcopales, ac etiam metropolitanas complectebantur, ad normam partitionis imperii Romani quod dividebatur in præfecturas et diœceses. Erant in imperio Occidentis : diœcesis Italiæ, altera Illyrici, tertia Africæ, quarta Galliæ, quinta Hispaniæ, sexta Britanniæ... Hunc morem loquendi veteres Patres sæpe usurparunt; decursu autem temporum diœcesis dicta fuit Ecclesia particularis uni Episcopo commissa, quæ etiam frequenter parœcia vocabatur.

143. — *Quid sit diœcesis, et quæ diœceseon origo?*

I. Diœcesis, sensu mox indicato qui a jam pluribus sæculis prævaluit, est Ecclesia particularis constituta sub regimine unius Episcopi qui illam proprio jure gubernat tanquam pastor, sub primatu S. Pontificis.

II. Origo diœceseon ab ipsismet initiis Ecclesiæ repetenda est; quandoquidem certo constat Apostolos Christi, ab exordio prædicationis evangelicæ, Ecclesias particulares constituisse cum suo peculiari pastore Episcopo. Testem habemus sanctum Joannem, qui per Asiam Minorem plures hujusmodi Ecclesias instituit, Smyrnæ, Pergamis, Thyatiræ,

Sardis, Philadelphiæ, Laodiceæ; testem sanctum Paulum qui Timotheum et Titum suos discipulos constituit Episcopos, unum Ephesi, alterum in insula Cretensi; testem demum invocamus traditionem priorum sæculorum quæ ubique Ecclesias cum suo Episcopo exhibet, uti præ cæteris declarant scripta sancti Ignatii Antiochensis, sancti Cypriani Carthaginensis, Tertulliani, Origenis... Factum omnibus conspicuum S. Cyprianus his verbis testatur in libro *de Unitate Ecclesiæ:* « Singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat « unusquisque et gubernet. »

III. In hac diœceseon institutione unitas Ecclesiæ manifestatur per unitatem Pastoris in singulis Ecclesiis, et per subordinationem omnium Pastorum uni supremo Pastori, vicario Christi, Romano Episcopo. Subordinatio stabilita jam fuit in præcedentibus. Quoad unitatem Episcopi, regula ab initio servata fuit ut unus pastor singulis Ecclesiis præficeretur, juxta hæc verba S. Ignatii : « Una caro Domini N. J. C., « unus calix, unum altare, unus Episcopus. » (*Epistola ad Philadelphenses.*) Patres Nicæni hanc disciplinam sanxerunt canone VIII° : « In una urbe non sint duo Episcopi. » Cum vero abusus quidam in nonnullis provinciis ex temporum adjunctis emersissent, concilium Lateranense IV^um legem iterum indixit : « Omnino prohibemus ne una eademque ci- « vitas aut diœcesis diversos habeat Pontifices, tanquam « unum corpus diversa capita quasi monstrum. » Idcirco, idem concilium jubet ut si in eadem civitate habitent populi mixti, moribus et lingua diversi, Pontifex assumat vicarium qui populis sacramenta ministret, et sibi per omnia sit subjectus[1].

[1] Labbe, *Collect. conc.*, tom. I, col. 34; tom. XI, col. 161. — Selvagio *Antiquitatum christianarum*, lib. I, cap. XII, § 6. — Regulæ non derogatur per institutionem coadjutorum quos S. Sedes Episcopis infirmis, vel nimium impeditis, in auxilium regiminis adjungit; siquidem coadjutores non sunt pastores proprii harum diœceseon (n° 200).

ARTICULUS II. — DE ELECTIONE EPISCOPORUM.

Ut quis ad dignitatem episcopalem promoveatur, necesse est ut fuerit canonice assumptus, et insuper institutionem a Sancta Sede recipiat.

144. — I° *Cui jus competat designandi seu eligendi promovendos ad episcopatum?*

Illi omnes qui post Marsilium Patavinum asseruerunt jurisdictionem proprie et essentialiter convenire toti Ecclesiæ, extulerunt jus populi christiani ad electionem Episcoporum, quod probare contendebant ex veteri Ecclesiarum disciplina et sententiis Patrum. « Collationes beneficiorum communi jure « sacrosanctis electionibus factas, ait Richer, quoniam omnis « principatus quoad vim coactivam, ab hominum consensu « pendet, ut lex divina et naturalis confirmant, quas adver- « sum, neque spatia temporum, neque privilegia locorum, « neque dignitates personarum, unquam præscribere pote- « runt. » Hanc opinionem temperare deinde visus est, ut censuras effugeret, adhibita distinctione inter jus ordinarium et extraordinarium, eo sensu quod electiones sint quidem juris naturalis ac divini ordinarii, alia autem via extraordinaria provideri possit, uti factum est in prima Ecclesiarum fundatione, aut aliqua necessitate emergente quæ est impedimento quominus electio locum habere possit. (*De ecclesiastica et politica potestate*; necnon libelli *Demonstratio*, cap. II, n^is 9-11.) Viri politici, quorum opiniones (n° 61) exposuimus, id jus nominandi promovendos ad episcopatum principi sæculari adjudicant, ob rationem ordinis publici; quia, inquiunt, plurimum interest boni societatis ut non alii

eligantur quam hi quos gratos habet gubernium civile, sibique consentientes.

Contra hos omnes novatores, pro certo tenendum est jus proprium Ecclesiæ, ac consequenter Romani Pontificis, esse providendi necessitatibus plebis christianæ per electionem Episcoporum, sive directe nominet promovendos, sive regulas statuat quibus fiat electio[1].

Jus Ecclesiæ multa demonstrant, præsertim : divina Christi institutio, traditiones christianæ, et ratio theologica.

1° Divina institutio. Christus Apostolos elegit, illisque officium commisit sibi cooperatores et successores eligendi. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos.* En prima electionum origo in Ecclesia. Apostoli hunc ordinem secuti sunt instituendo primos Episcopos, nulla certe interveniente electione populari, et multo minus placito principum sæcularium. Petrus pastores in diversas regiones Occidentis direxit; Joannes Episcopos præposuit Ecclesiis Asiæ Minoris; Paulus Timotheum et Titum, unum Ephesinorum, alterum Cretensium Episcopum instituit... Eodem prorsus modo, per decursum sæculorum, SS. Pontifices elegerunt quos ad gentes infideles mitterent; et hodie Sancta Sedes non aliter providet multis Ecclesiis per orbem, sive titulares Episcopos instituat, sive vicarios apostolicos deputet ad regimen fidelium. Porro, quis catholicus dubitet quin ordo ille, in re tanti momenti a Christo institutus, reponatur jure divino ordinario? Ecclesia igitur semper poterit, habita ratione temporum et locorum, modo hunc, modo alterum modum statuere in nominatione Episcoporum; jus autem quod a Christo sine ulla restrictione recepit providendi successioni pastorum, illos nominando quos dignos judicaverit, erit

[1] Cf. Nat. Alexandrum, *Historia ecclesiast.*, tom. III; *de Jure christianæ plebis in sacrorum ministrorum electione;* — Thomassinum, *Disciplina ecclesiastica*, part. II, tom. II, lib. II, cap. I ad XI.

semper jus ordinarium; quo utique, non solum emergente necessitate extraordinaria, sed quoties opportunum duxerit, uti pro suo prudenti arbitrio poterit.

2° Traditiones christianæ nostram interpretationem juris divini confirmant. Ecclesia suam reipsa disciplinam ita moderata est, ut semper, etiam ubi electiones a clero et populo fieri permiserat, prævaluerit spiritualis auctoritas.

Per octo priora sæcula, quæ ætatem apostolicam subsecuta sunt, plebs adunata clero magnam quidem partem habuit, saltem apud occidentales Ecclesias, in nominatione Episcoporum; unde S. Leo ad hanc disciplinam respiciens scribebat quæ alias retulimus epistolæ ad Rusticum Narbonensem : « Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a « clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec ab Episco- « pis provincialibus cum Metropolitano consecrati. » Idem antea constituerat Cœlestinus in epistola ad Episcopos Galliæ : « Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, et ordinis « consensus, et desiderium requiratur. » Quod autem cleri plebisque votum et testimonium tunc temporis requireretur, ratio repeti non debet a jure naturali quod novatores tribuunt communitati suum pastorem eligendi, sed a disciplina canonica. Ita fuit statutum ut certius arcerentur indigni, et facilius dignoscerentur idonei et vulgo probati. « Episcopus, ait « S. Cyprianus, deligatur plebe præsente, quæ singulorum « vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus « conversatione prospexit. » Cæterum, plebi sua vota tantum exprimere permittebatur, et causæ definitio reservabatur judicio Episcoporum; quapropter sanctus Leo hæc sæpe Episcopos admonuit : « Docendus est populus, non sequen- « dus : nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non « liceat, commonere, non his consensum præbere debe- « mus. » Concilium autem Nicænum statuit : « Illud genera- « liter est clarum quod si quis præter sententiam Metropoli-

« tani fuerit factus Episcopus, hunc magna synodus definit « Episcopum esse non oportere [1]. »

Sequentibus temporibus, cum plebs inter se divisa et dissentiens plerumque in factiones erumperet, exclusa est ab electionibus, et ipsius loco advocati sunt proceres ac magistratus; qui tamen et ipsi sæpius sua potestate abusi sunt ad promovendum minus dignos contra cleri votum; unde eos etiam paulatim Ecclesia semovit, et rem omnem clero, repræsentato per capitulum Ecclesiæ cathedralis, reservavit. Hæc disciplina invaluit in Occidente versus sæculum duodecimum, et per duo fere sæcula fuit observata.

Concilium œcumenicum VIIIum habitum Constantinopoli an. 869, sub pontificatu Adriani II, canonem sanxit attentione dignum circa materiam præsentem, quo scilicet « definit, statuit, atque jure promulgat neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni « Patriarchæ, vel Metropolitæ, ac cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc et incongrua confusio fiat vel contentio : præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potentum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, « sed potius silere ac attendere sibi, usquequo regulariter a « collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futura Pontificis [2]. » Non quidem dissimulandum principes sæculares, sive prioribus sæculis dum plebs ad electionem admitteretur, sive per duodecimum et decimum tertium sæculum quando electio fuit exclusive tributa clero, et præsertim capitulo cathedrali, magnam partem habuisse in electionibus; nihilominus om-

[1] Opera S. Leonis, Epist. ad Rusticum CLXVII; ad Anastasium Thessal. XIV; ad Ep. Mauritaniæ, XII. — P. Coustant, *Epist. Rom. Pont.*, col. 1070, Epist. P. Cœlestini ad Episcopos Prov. Viennensis. — S. Cypriani *Epist.* LXVIII, ed. Balusii. — Labbe, *Coll. conc.*, can. VI, conc. Nic., col. 31.

[2] Labbe, *Collect. conc.*, tom. VIII, col. 1141; Actione X concilii. regula XXII.

nibus certum erat nullum jus ipsis competere in hoc negotiorum genere et liberas esse debere electiones.

A sæculo decimo quarto, Sedes Apostolica sibi reservavit in multis Ecclesiis promotionem, simul et nominationem Episcoporum, quæ nova disciplina, maxime sub Clemente V prævaluit, usquedum fierent concordata, de quibus modo dicetur. Hujus immutationis causa fuerunt frequentes relationes et appellationes ad curiam Romanam pro electionibus contra canones celebratis. Enimvero capitula non sufficienter præcaverunt abusus, factiones, simoniacas electiones; quapropter in pluribus casibus electiones factæ deferebantur ad Sum. Pontificem, qui ratione habita circumstantiarum, eas vel firmabat, si rite celebratæ probarentur, vel infirmabat, si canones violati fuerant, relicta canonicis facultate ad novam deveniendi, vel etiam directe eligebat promovendum. Res tandem eo devenerunt ut Sancta Sedes opportunum duxerit abolere in plerisque Ecclesiis pristinum morem electionum, quo efficacius removerentur pericula, et aliunde arctiori vinculo sibi omnes Episcopi adhærerent, cum ab illo centro unitatis omnes suam promotionem haberent.

Concordatum initum inter Leonem X et Franciscum I pro Galliis, novum ordinem rerum instauravit sæculo xvi° (an. 1516), conferendo regi potestatem nominandi Episcopos, reservato S. Pontifici jure conferendi institutionem canonicam, cujus quidem conventionis hæc causa seu occasio fuit. Reservationem factam omnium fere electionum in favorem Ecclesiæ Romanæ, quam modo memorabamus, ægre passa est Ecclesia Gallicana et tollere tentavit per *Pragmaticam sanctionem*, id est per edictum quod Carolus VII, postulante clero, in conventu Bituricensi an. 1438 promulgavit, ad providendum disciplinæ Ecclesiarum. Hoc edicto admittebantur plura statuta concilii Basileensis, et præsertim quæ spectabant ad electiones celebrandas a capitulis cathedralium, juxta pristinum morem. Pragmatica sanctio magno quidem

favore accepta est Episcopis et capitulis, quorum jura videbantur instaurari, sed merito displicuit Sanctæ Sedi cujus auctoritati detrahebat; quapropter SS. Pontifices illam condemnaverunt uti schismaticam, nihilque prætermiserunt ut aboleretur. Negotium erat gravissimis difficultatibus implicatum, et magis in dies animorum dissidia urgebant, quando procurante divina Providentia, discordiis opportunum remedium attulit conventio Leonis cum Francisco. Hujuscemodi conventiones iniit Sancta Sedes decursu temporum, et, in hac præsertim ætate nostra, cum aliis guberniis. Quod ad Gallias spectat, Pius VII concessit, concordato an. 1801 cum Napoleone, primo consuli reipublicæ, jus nominandi Antistites ad sedes episcopales; item in primo consule recognovit eadem jura ac privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen. Utrinque tamen convenit quod si aliquis ex successoribus principis non profiteretur fidem catholicam, nova conventione caveretur de nominatione Episcoporum.

Hæc invicte probant Ecclesiam semper tenuisse jus proprium sibi competere determinandi modum servandum in electionibus; et in hoc negotio tanti momenti disciplinam diversis temporibus, prout magis expediebat, accommodavisse.

3° Ratio theologica idem demonstrat. Princeps sæcularis, si jure proprio nominaret ad sedes episcopales, id sibi vindicaret, vel quatenus est princeps, vel quatenus repræsentat plebem christianam cujus vices gerit. Non I; alioquin eadem prærogativa donarentur principes hæretici, mahumetani, pagani... quod dictu absurdum. Non II; siquidem in discursu de statu generali Ecclesiæ probatum est plebem, seu communitatem fidelium, nullam partem habere in regimine Ecclesiæ (n° 63).

Ecclesia rationem quidem habet votorum populi quantum permittit prudentia; sed nunquam judicio populi dimisit tam

gravis causæ definitionem. Multa etiam impertitur principibus ad fovendum optabilem concordiam cum guberniis; illis præsertim qui dotant sedes episcopales jura sæpius concessit ad nominationem promovendorum, quin tamen crediderit facultatem nominandi naturaliter inesse principi sæculari, veluti consectarium potestatis civilis.

145. — II° *Quomodo, juxta disciplinam præsentem, provideatur nominationi Episcoporum?*

Hodiernis temporibus, diverso modo providetur nominationi Episcoporum, pro diversa conditione Ecclesiarum, juxta præscripta Sanctæ Sedis et concordata. 1° S. Pontifex directe seligit et nominat promovendos ad sedes episcopales quæ intra limites ditionis temporalis Ecclesiæ Romanæ consistunt; item ad episcopatus qui creati fuere in regionibus infidelium imperio subditis; et insuper ad omnes vicariatus apostolicos. 2° S. Pontifex eligit communiter inter candidatos sibi commendatos ab Episcopis, quando agitur de præficiendo pastore Ecclesiis provinciarum fœderatarum Americæ septentrionalis. 3° In Anglia candidati eliguntur a capitulo, reservato jure S. Pontificis alium præter hos candidatos assumendi. Quid ea de re statutum fuerit in concilio Westminster habito, anno 1852, post instaurationem hierarchiæ episcopalis, hic referre juvat. Cum Episcopus eligendus est, dignitarius et canonici Ecclesiæ conveniunt capitulariter, et, præstito juramento de servando secreto, suffragia ferunt circa tres personas Sanctæ Sedi commendandas veluti digniores. Actus capitularis transmittitur ad Archiepiscopum, vel ad suffraganeum antiquiorem vacante sede archiepiscopali, ut cœtus episcopalis, collatis consiliis, circa tria nomina ordine alphabetico descripta, suam opinionem exprimat referatque, cum actu authentico capituli, ad S. Congregationem. Verum, his continetur tantummodo commendatio, adeo ut quando necessarium vel opportunum sibi visum fuerit, Apostolica Sedes jure utatur alterum præter commen-

datos eligendi. Actus capitularis non est consequenter electio proprie dicta. 4° Quibusdam capitulis concessum est jus eligendi Episcopum, v. g. capitulis Ecclesiarum Belgii et regni Borussici. Concordatum Leonis XII cum Guillelmo I rege Hollandiæ et Belgii (1828) initum, tribuerat, art. VI, capitulis ut in casu vacationis sedis episcopalis, ex candidatis, de quorum nominibus rex certior factus fuerit et quos regi gratos cognoverint, Episcopum eligerent. Hæc tamen ordinatio effectum sortita non est ex quo, ab an. 1830, S. Sedes ipsa eligit inter candidatos sibi oblatos. Quoad vero regnum Borussicum hactenus subsistunt quæ statuit Pius VII, anno 1821, per litteras apostolicas *De salute animarum* quibus eamdem facultatem largiebatur capitulis Ecclesiarum Coloniensis, Trevirensis, Paderbornensis, Monasteriensis, etc..., ut scilicet in singulis harum sedium vacationibus, per Antistitum respectivorum obitum extra curiam Romanam, vel per earumdem sedium resignationem, dignitates et canonici, tam numerarii quam honorarii, capitulariter congregati, infra trimestris spatium, ex ecclesiasticis quibuscumque viris regni incolis, ad sacrorum canonum formam, eligere possint. 5° Pluribus principibus catholicis, imprimis Galliæ, Austriæ, Hispaniæ, Bavariæ, Neapolis et Sardiniæ Sancta Sedes contulit per concordata respectiva indultum nominandi ecclesiasticos idoneos ad sedes episcopales. 6° Tandem, ut cætera omittamus, neque enim cuncta quæ hac de re pro singulis Ecclesiis ordinata sunt hic referre necesse est, sunt regiones pro quibus non promoventur Episcopi, nisi prius *communicatis consiliis* inter Sanctam Sedem et principem civilem. Ita concessit anno 1847 Pius IX imperatori Russorum, inita conventione cum Nicolao I (art. XII).

146.—Quæ igitur Ecclesia statuit, in hodierna disciplina, ad providendum nominationi Episcoporum, ad hæc tria potissimum referuntur : nominationem directam a Sancta Sede, electionem canonicam a capitulis, et præsentationem factam

a guberniis civilibus quibus id concessum fuit per concordata. De priori modo nihil dicendum; nulla siquidem est difficultas. De electione, et de præsentatione nonnulla animadvertere oportet ad intelligentiam canonum.

Electio est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, per eos quibus jus eligendi competit, canonica vocatio. Supponit proinde collegium electorum; fit juxta formas determinatas, vel scrutinio, vel compromisso, vel quasi-inspiratione, uti expositum fuit in discursu de S. Pontifice (n° 74). Eligi tantum potest persona libera et idonea; unde si electores suffragia sua ferant in eum qui aliquo tenetur impedimento, v. g. in Episcopum alterius diœcesis, non proprie faciunt electionem, sed postulare debent a Sancta Sede Antistitem quem optant præfici suæ Ecclesiæ. Id vocatur in jure *Postulatio*.

Præsentatio est designatio alicujus personæ, facta legitime per patronum superiori cui competit jus instituendi, ut ei de beneficio vacante provideat. Ad electionem plures concurrunt, qui omnes sunt e clero, juxta hodiernam disciplinam quæ a duodecimo sæculo prævaluit, dum præsentatio fieri potest ab uno, etiam a laico. Facultas pluribus principibus concessa nominandi ad sedes episcopales suæ ditionis, potest æquiparari præsentationi annexæ juri patronatus; adest enim magna analogia inter utramque.

Omnes qui quocumque titulo, sive sint electores, sive jus habeant nominandi, sive sint mere consiliarii, concurrunt ad promotionem Episcopi, sedulo pensare debent quanta illos urgeat obligatio conscientiæ seligendi digniores ad tantum onus, ne communicent peccatis alienis, de quo illos admonet concilium Tridentinum, in cap. I sessionis XXIV.

147.—*Nota.* Juxta concordatum Leonis X cum Francisco I, rex nominabat, infra sex menses a die vacationis Ecclesiarum computandos, personam idoneam quam S. Pontifex ad

sedem episcopalem promoveret. Si vero persona Pontifici præsentata non haberet dotes requisitas pro munere episcopali, rex tenebatur alteram loco prioris nominare, infra tres alios menses a die recusationis ; alioquin, ut dispendiosæ Ecclesiarum vacationi celeriter consuleretur, ipse S. Pontifex libere providere poterat de persona idonea. Nihil hujusmodi conventum est verbis expressis in concordato anni 1801, hæc autem duo certo constant : 1° S. Pontificem recusare posse clericum a gubernio civili nominatum ad sedem episcopalem, si nominatus reperiatur destitutus conditionibus a jure requisitis; scilicet, integritate fidei, probitate morum, immunitate ab omni vinculo censuræ aut irregularitatis, prudentia ad regimen diœcesis necessaria; 2° judicium de idoneitate promovendorum reservari S. Pontifici, cum ex una parte res sit ordinis spiritualis, fori nimirum ecclesiastici, ex altera autem parte nullum sit tribunal quod litem, si ea de re forte oriatur inter Papam et principem, possit summa sententia terminare.

148. — III° *Utrum electi seu nominati ad sedem episcopalem possint se ingerere in administrationem diœcesis, ante canonicam institutionem ?*

I. Electio proprie dicta, semel canonice peracta, confert jus quoddam ad consequendum episcopatum, eo sensu quod electores jam non valeant suum suffragium retrahere, et electus possit ad superiorem appellare, ut ab eo officium adipiscatur, modo tamen dotibus a canonibus requisitis sit instructus. Non idem efficit præsentatio a patronis, seu nominatio regia, quam retractare semper possunt ii qui jus nominandi habent, quamdiu facta non sit canonica institutio. Est solum jus æquitatis naturalis ne sine gravi motivo retrahatur designatio candidati, præsertim si in publicum innotuerit, ne forte hac revocatione infametur.

Verum, nec electio, nec præsentatio jus confert administrandi Ecclesiam usque dum electus institutionem cano-

nicam officii obtinuerit. Ipsa electio, quæ majorem etiam favorem habet, dat quidem jus ad sedem episcopalem, hanc vero sedem, jurave huic annexa, per se non confert. Hinc concilium generale Lugdunense, cap. *Avaritiæ*, 5, DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE, lib. I, in VI°, statuit : « Generali constitutione sancimus, ut nullus de cætero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam electio de ipso celebrata confirmetur, sub œconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte, vel in totum, gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes eo ipso privatos. »

Quamdiu proinde non intervenit institutio canonica, electus, seu nominatus, abstinere debet ab omni actu administrationis, tam in spiritualibus quam in temporalibus.

149. — II. Legi generali unam solummodo exceptionem allatam a jure novimus, quæ tamen applicationem non habet in statu præsenti. Innocentius III ordinavit in concilio Lateranensi, anno 1215, episcopos quorum institutio pertinet immediate ad S. Pontificem, si sint ultra Italiam constituti, et electi fuerint *in concordia*[1], posse dispensative administrare in spiritualibus et temporalibus suam Ecclesiam, dummodo quantocius se præsentent aut personas idoneas transmittant ad confirmationem electionis, et institutionem obtinendam. (Cap. *Nihil est*, 44, DE ELECTIONE, lib. I Decret.) Porro, huic dispositioni non videtur derogasse caput *Avaritiæ* in quo statuitur tantum contra illos qui enitebantur assumere regimen Ecclesiæ non obstante prohibitione juris ;

[1] Id est, juxta interpretationem magis receptam, si electio facta fuerit vel ab omnibus, vel a majori parte, et minor pars nullam oppositionem canonicam interposuerit.

nedum enim jus prohibeat in casu allato, quin potius formaliter approbat. Nec etiam eidem capiti derogatum putant probati auctores per Extravagantem *Injunctæ* quæ vetat ne Episcopi se ingerant ullo modo in administrationem, ante acceptas litteras confirmationis; si quidem illa constitutio attingere videtur eos solos qui administrare prætendunt ex asserta confirmatione apostolica, ut explicant Pirhing, et Reiffenstuel, tit. *de Electione*, n° 51. Igitur, nisi obstaret praxis contraria, servari posset lex Lateranensis in locis ubi hactenus vigent electiones canonicæ.

150. — III. Hinc sequitur nominatos a gubernio civili ad sedes episcopales, non posse ullum actum administrationis facere vi suæ nominationis, quia ex una parte obstat lex *Avaritiæ*, nec aliunde favet textus *Nihil est*. Si ipsa electio non confert jura episcopatus, sed solum titulum ad illum recipiendum, multo minus id operatur simplex præsentatio facta a principe ad Sanctam Sedem. Frustra invocaretur textus *Nihil est*, qui disponit de casu electionis factæ in concordia, et statuit ob gravem præsumptionem quam dat electio concorditer facta. Præsentatio, uti non semel jam monuimus, non est electio, nec eamdem præsumptionem fundat, præsertim quando oriuntur dissidia inter gubernium civile et Ecclesiam Romanam. His adde eo sensu obtinuisse disciplinam canonicam; ex quo enim inita fuere concordata cum guberniis, Sancta Sedes nunquam passa est ut nominati ad episcopatum a principe, regimen diœcesis assumerent vi constitutionis *Nihil est*. Quod si identidem illud quidam sibi permiserint, hoc tribuendum est temporum calamitatibus. Has administrationes uti regulis repugnantes improbavit clerus Gallicanus, in comitiis generalibus anni 1595[1].

[1] *Collection des Procès-verbaux des Assemblées générales du Clergé de France*, tom. I; *Pièces justificatives*, n° 5.

151. — IV° *Utrum Episcopi nominati a gubernio civili possint administrare, titulo vicariorum capitularium, diœcesim ad quam sunt destinati?*

Nominati a gubernio non possunt administrare diœcesim titulo vicariorum capitularium, nisi forsan electi fuerint vicarii capitulares ante suam nominationem ad sedem episcopalem. Etenim : 1° vetat concilium Lugdunense (cap. *Avaritiæ*) ne quis assumat, sub *œconomatus*, vel *procuratoris*, aut alio quovis quæsito colore, administrationem dignitatis ad quam electus est, priusquam electio de illo celebrata confirmetur : porro præsentatio facta a guberniis non plus juris concedit quam electio canonica; ergo prohibitio facta electis attingit similiter nominatos a principe. 2° Clemens XI pronuntiavit in Constitutione *In supremo*, data anno 1709 pro quadam diœcesi Hispanensi, invalidam fuisse electionem in vicarium capitularem factam in favorem presbyteri quem gubernium designaverat ad sedem episcopalem ejusdem Ecclesiæ. Pius item VII, postquam Cardinalis *Maury*, relicta diœcesi Montis-Falisci, se titulo vicarii capitularis ingessisset in administrationem Ecclesiæ Parisiensis ad quam nominatus fuerat, dedit litteras apostolicas ad D. *d'Astros*, et ad ipsum Card. *Maury*, quibus eodem sensu commentatur decretum concilii Lugdunensis, his verbis : « Apostolica auctoritate « declaramus administrationem a dicto Cardinali, ex deputa- « tione capituli assumptam, fuisse et esse contra sanctissi- « mas Ecclesiæ leges, ejusque vigentem disciplinam ; ac « proinde nullam ei facultatem in quibuscumque spiritualibus « Ecclesiæ Parisiensis competere, aut per hujusmodi deputa- « tionem tributam fuisse. » Demum Gregorius XVI prædecessorum vestigia secutus, condemnavit in solemni allocutione ad sacrum collegium, die 1ª martii 1842, quæ in Hispania gesta fuerant contra legem concilii Lugdunensis, sicque suam sententiam ea de re declaravit : « Querimur de vacantium « Ecclesiarum canonicis temere inductis, aut etiam aperta vi

« adductis ut munus vicarii capitularis viro a gubernio in « Episcopum nominato deferrent contra sanctiones concilii « Lugdunensis II, aliis subinde constitutionibus et recenti « memoria notissimis Pii VII litteris confirmatas. » 3° Juxta disciplinam concilii Tridentini, providetur ut vicarius capitularis rationem reddat Episcopo postea promovendo, adeo ut nihil prodesset liberatio data a capitulo ; ergo regulariter vicarius alius esse debet a futuro titulari [1].

Non ignoramus aliquid tentatum fuisse his regulis contrarium, sub Ludovico XIV et Napoleone I, et nonnullos nominatos a gubernio se ingessisse in administrationem diœcesis, vi solius electionis capitularis, nec etiam nos fugit consuetum olim fuisse in Gallia ut capitulum deferret titulum vicarii capitularis Episcopo nominato. « Il ne s'était encore élevé « aucun doute sur la canonicité d'une telle mesure, » scribebat D. *d'Astros* ad Pium VII. At vero nedum gesta tempore dissidiorum sint adducenda in legitimam canonum interpretationem vel ad firmandam consuetudinem contra canones inductam, thesim nostram potius confirmant ; siquidem ostendunt quam facile potestas sæcularis abutatur hac praxi in detrimentum libertatis ecclesiasticæ. Quod vero ad veterem usum deferendi litteras vicariatus capitularis, non sufficienter nobis constat utrum hujusmodi litteræ aliter datæ sint quam honoris causa, quin exinde Episcopi nominati præsumerent partes assumere in regimine Ecclesiæ vacantis. D. *d'Astros* testatur in litteris ad Pium VII directis, sibi fuisse asseveratum quod nominati a gubernio se *immiscere minime in more haberent* in regimen diœcesis.

Hinc sequitur administrationem nominatorum ad sedem episcopalem, si se ingerant titulo vicarii capitularis, esse non tantum illicitam sed et invalidam ; nam electio facta contra

[1] Cf. d'Astros, *du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés.* — Muzzarelli, *de l'Administration capitulaire des sujets nommés aux évêchés.* — *Ami de la Religion*, tom. II, pag. 227.

canones vi caret. Eam ob causam responsum fuit ad interrogata D. *d'Astros* circa actus jurisdictionis quos plures sacerdotes fecerant in diœcesi Parisiensi vi facultatum a Card. *Maury* concessarum, *quæcumque unius Card.* Maury *nomine acta fuerunt sustineri nequaquam posse;* et Pius VII providere voluit necessitatibus spiritualibus fidelium, iisdem actis robur auctoritate apostolica tribuendo, ea scilicet *in radice*, ut aiunt, *quatenus opus erat, sanando* [1].

Dictum est in nostra assertione : *nisi electi fuerint vicarii capitulares ante...* Quibusdam canonistis visum est vicarium capitularem suam jurisdictionem eo ipso amittere quod nominatur ad sedem episcopalem ejusdem Ecclesiæ, et consequenter abstinendum ipsi esse ab omni administratione. Ita præ cæteris Reiffenstuel in tit. DE ELECTIONE, n° 43. Sed aliter dicendum videtur. 1° Lex *Avaritiæ* eos solos spectat qui se ingerere præsumunt in regimen Ecclesiæ ad quam nominati fuere; vicarii autem de quibus agimus non se ingerunt, cum antea jam obtinuerint viis canonicis jus regendi Ecclesiam. 2° Insuper communiter admittitur neminem privandum fore, sine certa legis sanctione, jure canonice adepto; atqui ex hypothesi vicarii generales jus adepti sunt regendi diœcesim, et nullibi leges canonicæ statuunt illos eo jure, sua scilicet jurisdictione, privatos esse statim ac nominati fuerint ad episcopalem sedem. 3° Eo sensu respondit Gregorius XVI ad D. *Blancart de Bailleul* vicarium capitularem diœcesis Versalliensis, anno 1832 [2]. Ergo licet vicarius generalis alius esse debeat regulariter, ad mentem concilii Tridentini, a futuro titulari, est ratio fundata admittendi exceptionem in casu præsenti.

[1] *Vie du cardinal d'Astros*, par le P. Caussette; *Pièces justificatives* nis 6, 8, 9.

[2] *Theolog. D. Bouvier*, tract. *de Ordine*, cap. VII, sect. II.

ARTICULUS III. — DE INSTITUTIONE CANONICA EPISCOPORUM.

152. — Quæ in præcedentibus dicta sunt sufficienter probant necessarium esse electis seu nominatis ad sedem episcopalem, ut promoveantur per canonicam institutionem, alioquin nihil ipsis proderit præsentatio a guberniis facta, nec etiam electio regularis.

Hoc certum apud omnes catholicos. Nemo propria sponte, aut patrocinio potestatis sæcularis, se ingerere debet in ministerium ecclesiasticum, alioquin reum se constituit intrusionis atque usurpati juris. Unde, concilium Tridentinum dixit, sess. XXIII, cap. IV : « Sancta synodus eos qui tantum« modo a populo, aut sæculari potestate ac magistratu, vo« cati et instituti ad hæc ministeria ascendunt, et qui propria « temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, « sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos « esse. »

153. — I° *A quo Episcopi electi seu præsentati canonicam institutionem accipere debeant?*

1. Jure divino nullus præter unum Romanum Pontificem dare potest canonicam institutionem qua aliquis promoveatur ad sedem episcopalem ; quandoquidem nulli alteri commissum est regimen Ecclesiæ universalis, et cura singulorum Episcoporum intra limites suæ diœcesis circumscripta est, nisi simul conveniant in concilium, servatis regulis canonicis, de quo infra. Jure canonico olim datum fuerat Patriarchis, Primatibus, ac etiam Metropolitanis, conferre institutionem electis in Episcopos Ecclesiarum suæ jurisdictionis. Hæc vero disciplina fuit immutata a pluribus sæculis auctoritate S. Sedis quæ, ob temporum necessitates, sibi reservavit

promotionem omnium Episcoporum. Hinc Pius VI, cum viri schismatici in Galliis ordinem stabilitum perturbare tentarent, scripsit in Brevi apostolico 12 aprilis 1791 : « Hæc « conferendæ jurisdictionis potestas, ex nova disciplina, jam « a pluribus sæculis recepta, a conciliis œcumenicis, et ab « ipsis concordatis confirmata, ad Metropolitanos nullo modo « potest attinere, utpote quæ, illuc reversa unde discesserat, « unice residet apud Sedem Apostolicam. »

II. Antequam vero conferatur canonica institutio, Romanus Pontifex, ne exponatur periculo indignum promovendi, requirit ut ad suam sedem referatur per Nuntium, vel loco Nuntii, per Episcopos, de vita, moribus et idoneitate candidati, quæ prævia informatio et relatio examinantur in Congregatione consistoriali [1]. Si nulla suboriatur difficultas, Cardinalis causæ relator prænuntiat in consistorio quod in alio proxime secuturo N. proponere debeat Sanctissimo ad sedem episcopalem N. Prima illa attestatio nuncupatur *Præconizatio*. In secundo autem conventu Cardinalium reipsa proponit ut electo detur institutio. Colliguntur suffragia Cardinalium; ac tandem S. Pontifex votis annuens expetitam institutionem his terminis confert : « Auctoritate Dei, SS. Apo- « stolorum Petri et Pauli, et nostra, Ecclesiam N... de per- « sona N... providemus, ipsumque illi pontificem præficimus « et pastorem, curam et administrationem eidem in spiritua- « libus et temporalibus plenarie committendo. » Dein exarantur Bullæ dirigendæ ad provisum, ad Metropolitanum, et ad clerum populumque cui datur novus pastor.

Provisus a Sancta Sede non vocatur *Episcopus*, sed *electus*

[1] Gregorius XIV statuit, Const. *Onus apostolicæ*, an. 1591, liberum non fore promovendo ut articulos offerat de quibus examinari debet, ac testes producat; sed « oportere ut prælatus qui inquirendi munus susce- « pit, articulos conscribat, atque ipse ex officio illos vocet et examinet « qui de rebus inquirendis sincerum ac fidele testimonium daturos esse « existimat. » V. *Mémoires du Clergé*, t. X, col. 379.

in Episcopum, usquedum consecrationem sacramentalem acceperit, cujus consecrationis ritum videas in Pontificali Romano.

154. — II° *Quodnam juramentum fidelitatis erga Sanctam Sedem præstetur a promotis ad episcopatum?*

I. Omnes provisi debent, antequam consecrationem ordinis episcopalis accipiant, præstare juramentum quo spondent obedientiam erga S. Pontificem ac simul se obligant ad tractandum honorifice et in suis necessitatibus juvandum Legatum Sanctæ Sedis, ad servandum decreta, ordinationes, reservationes et mandata apostolica, ad visitandum temporibus jure præscriptis limina Apostolorum, etc., etc...; de quibus agendum erit per singula, dum exponentur in specie varia officia Episcoporum.

Hoc juramentum Sixtus V præscripsit per constitutionem *Romanus Pontifex* Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis et Episcopis præstandum, antequam munus consecrationis suscipiant, aut pallium assequantur, vel se administrationi immisceant Ecclesiæ ad quam translati fuerint.

II. Hac constitutione, edita an. 1585, Sancta Sedes nihil novum, nihil sæculis præteritis inauditum statuit; nihil certe quod non radices habeat in antiquitatis traditionibus, et præsertim, quod præcipuum est, in ipsomet primatu Ecclesiæ Romanæ; his quippe officiis erga Sanctam Sedem singuli Antistites tenentur divina ordinatione.

Ut vero magis appareat quam imprudenter quidam recentiores agendi rationem S. Sedis hac in re vituperare ausi fuerint, notabimus aliquid prorsus simile actum fuisse ab antiquis temporibus a prælatis inferioribus respectu suorum subditorum. Olim diaconi et presbyteri in sua ordinatione promittebant suo Episcopo obedientiam atque stabilitatem, et statutorum fidelem observationem, cujus quidem instituti vestigia adhuc supersunt in Pontificali. Similem obedientiam Episcopi spondebant suo Metropolitano, inter ritus consecra-

tionis, quam propriæ manus subscriptione testabantur. Quid mirum, si Pontifices Romani voluerint eadem promissione fidelitatis sibi devinctos fore præsules quorum promotio tunc temporis suæ sedi reservabatur, quales erant Primates, Metropolitani, et nonnulli Episcopi? S. Gregorius VII hoc præsertim exegit, cum expressione juramenti, eo fere modo quo vassales suis dominis præstabant, ad muniendam Ecclesiæ unitatem et religiosam canonum observantiam. Cum sua ætate videret plures Episcopos per Italiam et Germaniam in Ecclesiam Romanam rebelles, Legatos contemnere, nihilique habere excommunicationes, necessarium duxit strenuus ille disciplinæ instaurator hoc remedio uti, ne novi Metropolitani instituerentur quos Sedes Apostolica adversarios experiretur. Lex fuit naturaliter ad omnes Episcopos extensa, ex quo omnium Episcoporum provisio reservata est Romano Pontifici[1].

ARTICULUS IV. — DE JURISDICTIONE EPISCOPORUM IN GENERE.

155. — Jurisdictionem Episcoporum consideramus præsertim relative ad suarum diœceseon regimen : alibi dicemus quam partem habere possint in regimine Ecclesiæ universalis quando vocati sunt ad concilium generale. Porro inquirendum habemus quæ sit notio vera jurisdictionis episcopalis : 1° an sit mera delegatio quæ constituat Episcopos simplices vicarios Romani Pontificis, ad ipsius nutum revocabiles; 2° an illorum ministerium sit jure divino vel humano constitutum; 3° an jurisdictio quam habent oriatur immediate a Christo, vel a S. Pontifice.

156. — I° *Utrum Episcopi præficiantur regimini diœcesis*

[1] Thomassin, *Discipl. eccles.*, tom. II, lib. II, cap. XLIV et seq. — Catalani, *Commentaria in Pontificale Rom.*, tit. XIII, § 9.

nuda commissione, ad nutum revocabili, vel uti pastores proprii titulo perpetuo?

Veteres identidem dixere Episcopos esse *vicarios Petri*. Sic, ut exemplum proferamus, Antistites Galliarum in concilio Parisiensi VI (anno 826) coadunati, gloriati sunt se *vices gerere beatissimi* principis Apostolorum. « Dominus, inquiunt, B. Petro, cujus vicem indigni gerimus, ait : *Quodcumque ligaveris*...[1] » Hoc verissimo sensu accipimus ob sacrum principatum Petri atque unitatem corporis pastorum qui omnes una cum suo duce, sub illius regimine supremo, agere debent. Sed hinc ne concludas Episcopos esse meros vicarios Romani Pontificis, nuda commissione ad nutum revocabili præpositos regimini Ecclesiarum : hoc enim alienissimum esset a traditionibus ecclesiasticis.

1° Juxta constantem traditionem Patrum, assuetumque morem loquendi, Episcopi dicuntur *Patres*, *Antistites*, *Principes* populi Christiani, *vicarii Christi*, *successores Apostolorum*... Hæc passim occurrunt in monumentis priorum sæculorum, quæ sic in unum collegit auctor *Constitutionum apostolicarum* : « Episcopus est magister verbi, scientiæ custos, mediator Dei et vestrum in iis quæ ad Deum colendum « pertinent; hic est magister pietatis et religionis; hic est « secundum Deum pater vester; hic princeps et dux vester; « hic post Deum terrenus Deus, qui honore vestro frui debet. « Episcopus igitur vobis præsideat, ut dignitate Dei cohonestatus, qua clerum sub sua potestate tenet et toti populo « præest. » (Lib. II, cap. XXVI.) Quis putaverit præsules his titulis tantoque ministerio insignitos esse meros delegatos, nuda arbitrariaque commissione ad nutum revocabili præpositos curæ gregis?

2° Illi pastores proprii habentur, qui suo nomine suoque jure, non alieno, Ecclesias regunt; et qui non possunt munere

[1] Labbe, tom. VII, col. 1661.

adepto privari nisi sponte loco cedant, vel judicio canonico propter delicta exauctorentur, aut tandem ob urgentem Ecclesiarum necessitatem potestate extraordinaria Sedis Apostolicæ amoveantur : atqui procul dubio ea est conditio Episcoporum juxta regimen ordinarium Ecclesiæ. Leges, mandata, ordinationes suis Ecclesiis suo nomine proprioque jure edicunt, non virtute mandati ac delegationis; agunt in omnibus quæ sui officii sunt, ut veri pastores et sponsi suæ Ecclesiæ; infra videbitur eos non posse, ad cujusquam arbitrium, sua auctoritate destitui, sed tantummodo ob urgentissimas causas; ergo, etc...

5° Est certum essentialeque discrimen inter Episcopos juxta formam communem regiminis ecclesiastici constitutos, et vicarios apostolicos. SS. noster Pius Papa IX dixit in litteris Apost. *Universalis Ecclesiæ* quibus hierarchiam episcopalem in Anglia restituit an. 1850 : « Tempus advenisse « reputavimus, ut regiminis ecclesiastici forma in Anglia ad « eum modum restitui possit, in quo libere est apud alias « gentes, in quibus nulla sit peculiaris causa, ut extraordi- « nario illo vicariorum apostolicorum ministerio regantur. « Temporum scilicet ac rerum adjuncta effecisse sentieba- « mus, ut necesse non sit diutius Angliæ catholicæ a vicariis « apostolicis gubernari, immo vero talem rerum conversio- « nem esse factam, ut *ordinarii regiminis episcopalis formam* « efflagitaret. » Jam vero non aliud discrimen est inter vicarios apostolicos et Episcopos, nisi quod priores sint delegati, dum alii sunt pastores proprii, titulo in perpetuum collato constituti : igitur forma regiminis ordinarii episcopalis est ut Episcopi suas regant Ecclesias quatenus pastores proprii.

157. — II° *Utrum jurisdictio Episcoporum sit jure divino vel humano constituta?*

« Ecclesiæ catholicæ firmissimum dogma est, ait Bene- « dictus XIV, Episcopos esse superiores presbyteris, non so- « lum ordinis potestate sed etiam jurisdictionis. » (*De Synodo*,

lib. XIII, cap. I, n° 2.) Hoc quidem definitum non fuit, sed certissimum habetur apud catholicos.

Prob. 1° Auctoritate concilii Tridentini quod, in textu supra allato (n° 141), declaravit Episcopos *in locum Apostolorum successisse et esse positos, ut ait Apostolus, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei;* unde sequitur, non solum episcopatum primum locum tenere in hierarchia ordinis, sed Episcopos præpositos esse regimini Ecclesiarum a Spiritu sancto, id est non humana, sed divina ordinatione. — 2° Auctoritate SS. Patrum qui eodem sensu dignitatem episcopalem extollunt. Sanctus Ignatius martyr, vir apostolicus, celebres epistolas scripsit quarum præcipuum argumentum est, post Christi divinitatem, ut divinam ordinationem Ecclesiarum in auctoritate Episcopi commendet. Videas epistolas ad Smyrnæos, ad Ephesios, ad Magnesios et ad Trallianos. Hæc citare sufficiat ex Epistola ad Ephesios : « Jesus Christus, insepa- « rabilis nostra vita, Patris est sententia : ut et Episcopi per « terræ terminos Jesu Christi sunt sententia. » « Ubicum- « que fuerit Episcopus, ait S. Hieronymus, sive Romæ, sive « Eugubii, sive Constantinopoli... omnes Apostolorum suc- « cessores sunt. » (*Epist.* ad Evagrium.) Hinc est quod, ubicumque videamus in antiquitate Ecclesias constitutas, ibidem reperiemus Episcopos earumdem Ecclesiarum pastores proprios, et S. Cyprianus merito dicebat : « Ecclesia est plebs « sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhærens : Epi- « scopus est in Ecclesia et Ecclesia in Episcopo, et si qui in « Episcopo non sunt, in Ecclesia non sunt. » (*Epist.* ad Florentinum Pupinianum.) Manifestum est hæc, ab incunabilis Ecclesiæ constanter dicta, et tam accurate ubique custodita, divinam ordinationem indicare. — 3° Auctoritate DD. catholicorum qui testantur eam esse omnium sententiam, modum regiminis Ecclesiarum per episcopalem dignitatem ejusque jurisdictionem ordinariam ex officio, nequaquam posse immutari, utpote qui fuerit a Domino præscriptus. (Barbosa,

et Suarez, in locis infra citandis.) — 4° Ex bulla Pii VI *Auctorem fidei*, quæ proscripsit ut *falsam*, *episcopalis auctoritatis læsivam, faventem hæresi Arianeæ a Calvino renovatæ*, propositionem qua dicebatur reformationem abusuum circa disciplinam æque pendere ab Episcopo et parochis (prop. XVIII). Si Episcopi non constituerentur pastores divina institutione, sed simplici delegatione per Sanctam Sedem, non faveret hæresi qui propugnaret thesim synodi Pistoriensis, sed tantummodo adversaretur disciplinæ, læderet obsequium debitum Sanctæ Sedi, quæ sola, in hac hypothesi, delegasset auctoritatem Episcopis in clerum et populum. — 5° Ex textu decretalis *Inter corporalia*, 2, DE TRANSLATIONE, lib. I Decret., in qua Innocentius III dixit : « Dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conjugium quod est inter Episcopum et Ecclesiam suo tantum judicio reservaverit dissolvendum... non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem, auctoritate R. Pontificis, Episcopus ab Ecclesia removetur. » Si conjugium illud spirituale suo tantum judicio dissolvendum Deus reservaverit, et nonnisi Dei nomine a S. Pontifice dissolvatur, inniti debet jure divino. In confirmationem propositionis veniunt quæ mox proferentur de origine jurisdictionis Episcoporum, et quæ postea dicentur de illorum translatione.

158. — III° *Utrum Episcopi suam jurisdictionem habeant immediate a Christo vel a Pontifice?*

Ex dictis sequitur 1° episcopatum, quatenus includit jurisdictionem ordinariam Episcoporum in Ecclesias sibi commissas, esse jure divino constitutum; 2° singulos Episcopos debere assumi et institui a S. Pontifice, ut expeditam jurisdictionem habeant; 3° jurisdictionem illam qua potiuntur Episcopi posse restringi per reservationes et exemptiones; ac etiam suspendi et auferri, non quidem arbitrarie, sed justa id exigente causa, a S. Pontifice.

At multum controvertitur de immediata origine jurisdictionis Episcoporum : an a S. Pontifice, an a Christo immediate procedat, de quo magno animorum æstu disputatum in concilio Tridentino refert Card. Pallavicini, Gallis, Hispanis et Germanis unam opinionem propugnantibus, dum Itali et alii alteram opinionem, quæ magis favet prærogativis Sanctæ Sedis, tueri conabantur [1].

Prima opinio quam tenuerunt plures doctores gravis auctoritatis, ut Franciscus a Victoria, Alphonsus de Castro, Vasquez, ne de theologis facultatis Parisiensis loquamur quibus communis erat, et quam S. Alphonsius de Liguori dicit esse *satis probabilem* (lib. 1, nº 191), docet Episcopos habere suam jurisdictionem immediate a Christo Domino, licet subordinatam, adeo ut institutio canonica quam confert Sancta Sedes sit tantum conditio prærequisita, non autem radix seu origo hujus jurisdictionis. Hinc nonnulli concludunt S. Pontificem posse quidem leges imponere ad regimen diœcesis, et quædam sibi reservare, sed oportere ut hujusmodi restrictiones certis limitibus contineantur, ne plus æquo coerceatur actio episcopalis, alioquin Episcopi possent tam valide quam licite, his restrictionibus non obstantibus, ultra procedere, exercendo jurisdictionem divina ordinatione episcopatui annexam. Secunda opinio, inter theologos longe communior, tenet Episcopos habere suam jurisdictionem, officium nempe docendi, regendi, sacra administrandi, a S. Pontifice; adeo ut institutio a S. Sede concessa sit proprie radix unde oritur illa jurisdictio : unde concludunt S. Pontificem solum recipere immediate a Christo jurisdictionem, et

[1] Pallavicini, *Historia conc. Trid.*, lib. XVIII, cap. XIV-XVI; lib. XIX, cap. VI, VII, XV. — Lamennais, *Tradition de l'Église sur l'institution des Evêques*, tom. III, pag. 160-200.—Corgne, *Défense des Évêques*, tom. I, quest. IV, pag. 263. — Suarez, in IIIam part. sancti Thomæ, *de Pœnit.*, disput. XXV, sect. I. — Vasquez in Iam 2æ quæst. XIV, disput. CLII, cap. III. — Barbosa, *de Officio et Potestate Episcopi*, part. I, tit. I, cap. I, nº 26. — Muzzarelli, *Origine de la jurid. des Évêques.*

Episcopos, sive singulatim, sive collective sumantur, nullum actum jurisdictionis nec licite, nec valide facere posse contra voluntatem R. Pontificis a quo cuncta jura derivantur in sacro ministerio. Est demum tertia opinio quæ theologos dissentientes conciliare tentat adhibita distinctione, dicendo nimirum jurisdictionem particularem Episcopi in suam diœcesim procedere immediate a S. Pontifice; jurisdictionem autem universalem quam singuli habent in Ecclesiam catholicam, quamdiu manent in unitate corporis pastorum sub capite successore Petri, uti infra explicabitur ubi de conciliis œcumenicis, venire immediate a Christo, una simul cum sacro charactere Episcopatus qui per sacram ordinationem imprimitur. (Bolgeni, *Episcopato*, cap. VII, n^is^ 95 et 96.)

Juvat præcipua argumenta harum opinionum hic summatim referre, quia inde melius apparebit quid veritatis esse possit in singulis.

159. — I^a^ Opinio, in favorem originis immediatæ jurisdictionis a Christo, fundatur divina institutione episcopatus, et traditione Patrum quæ docet Episcopos esse successores Apostolorum.

1° Verba Christi : *Ite, docete omnes gentes.... Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlis....* non solum ad Apostolos, sed in persona Apostolorum ad Episcopos qui in illorum locum venient usque ad finem mundi referuntur; nam per illa Christus promittit se adfuturum Apostolis docentibus omnes gentes, usque ad consummationem sæculorum, quæ promissio non impletur nisi in pastoribus qui legitimo ordine Apostolis succedunt..... Aliunde doctores catholici his verbis Christi constanter usi sunt contra novatores ad probandum prærogativas divinas quibus gaudent Episcopi in dispensatione sacrorum mysteriorum; quod argumentum manifeste fallit, si promissa evangelica ad personam Apostolorum restringantur. At vero, si Christus verbis citatis alloquatur simul Apostolos et in

persona Apostolorum Episcopos, concludendum est utrisque dari immediate jurisdictionem divina ordinatione, quandoquidem hæc : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*, *euntes ergo docete omnes gentes*.... sensu obvio intellecta, indicant jurisdictionem immediate datam, et nihil est in narratione Evangelii quod subauditum supponat Apostolos sua jura accepisse immediate a S. Petro : hæc esset arbitraria interpretatio verborum Christi.

Confirmatur argumentum testimonio sancti Pauli : *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* quæ verba concilium Tridentinum citavit ad declarandum ordinem divinitus constitutum in sacra hierarchia : « Declarat « sancta synodus Episcopos qui in locum Apostolorum suc- « cesserunt, ad ordinem hierarchicum pertinere et positos, « sicut Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. » Igitur Episcopi a Christo, seu a Spiritu sancto, quod idem est, suam habent immediate potestatem.

2° SS. Patres tradunt communiter Episcopos esse successores Apostolorum, Deum Episcopis commisisse sacrum ministerium. Unum citare sufficiat, exempli causa :

S. Cœlestinus Papa in epistola ad concilium generale Ephesinum invocat missionem datam Apostolis, quam simul datam omnibus Episcopis dicit, et hæc valde notanda adjungit : « Hæc ad omnes in communi Domini sacerdotes, mandatæ « prædicationis cura pervenit ; hæreditario jure in hanc sol- « licitudinem constringimur quicumque per diversa terrarum, « eorum vice, nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur : « *Ite, docete omnes gentes*. Advertere debet vestra fraternitas, « quia accepimus mandatum generale ; omnes etiam nos id « agere voluit qui illis sic omnibus in commune mandavit offi- « cium... Agendum igitur est labore communi... Respiciamus « rursus illa verba nostri doctoris quibus proprie apud « Episcopos utitur : *attendite vobis et universo gregi*, etc...[1]. »

[1] Labbe, *Collect. concil.*, tom. III, pag. 614.

Plura his similia reperiri in actis conciliorum, in epistolis SS. Pontificum et in scriptis SS. Patrum, norunt omnes qui in monumentis antiquitatis ecclesiasticæ versantur.

Hinc theologi quorum sententiam referimus concludunt Episcopos, eo ipso quod per canonicam institutionem locum obtinent inter successores Apostolorum, recipere a Christo suam jurisdictionem. Assignatio territorii et institutio canonica data a S. Pontifice sunt conditio quam ordo publicus et necessitas subordinationis requirunt, non vero fons unde proprie emanat jurisdictio.

160. — IIª Opinio, in favorem originis immediatæ jurisdictionis a S. Pontifice, fundatur constitutione Ecclesiæ, traditione SS. Patrum et natura institutionis canonicæ.

1° Ab eo oritur omnis jurisdictio, tanquam a causa immediata, cui soli commissa fuit potestas clavium in universalem Ecclesiam, cum officio pascendi universum gregem ; atqui omnes fatentur id soli Petro commissum fuisse ad futurum regimen Ecclesiæ permansurum in suis successoribus ; ergo Episcopi habent jurisdictionem a S. Pontifice... Ea lege servatur unitas ; nam in omni societate rite ordinata, omnia jura publica ab eodem principio ducuntur, et ad eamdem referuntur auctoritatem, ut perfecta sit subordinatio.

2° S. Optatus Milevitanus ait : « Bono unitatis Beatus « Petrus et præferri omnibus Apostolis meruit, et regni cœlo« rum claves cæteris communicandas solus accepit. » — S. Leo : « Si quid commune cum eo cæteris voluit esse pas« toribus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non « negavit. » — Et alias : « Hujus muneris sacramentum (offi« cium prædicationis) ita Dominus voluit ad omnium Apostolo« rum officium pertinere, ut in B. Petro Apostolorum omnium « summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi a capite « quodam dona sua velit in corpus manare et exsortem di« vini muneris se intelligeret, qui ausus fuisset a soliditate « Petri recedere. » — S. Innocentius I : « Scientes quid de-

« beatur Apostolicæ Sedi, eum sequi desideremus Apostolum « a quo ipse episcopatus et tota auctoritas hujus nominis « emersit [1]. » Ita perplures alii doctores.

3° Omnes admittunt necessitatem institutionis canonicæ ut Episcopus habeat jurisdictionem : porro institutio dum assignat territorium vere confert jurisdictionem ; sic enim datur : « Providemus ecclesiæ N. de N. et præficimus eum in patrem, « pastorem et Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei « administrationem in spiritualibus et temporalibus. » Hæc verba naturali sensu declarant jurisdictionem omnem, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, conferri a Sancta Sede una cum institutione.

Confirmatur praxi constantissima Ecclesiæ quæ electis in Episcopos tribuit potestatem jurisdictionalem, post suam institutionem, antequam sacro charactere episcopatus insigniantur; eadem quippe agere queunt, nec sub eo respectu est ullum discrimen inter simpliciter institutum qui suæ sedis possessionem cepit et consecratum : atqui in Episcopo simpliciter instituto, potestas jurisdictionalis non procedit a Christo, sed ab institutione canonica : hæc igitur institutio est vere radix et fons jurisdictionis.

Argumenta adversariorum refelli putant hac una observatione : Verba Christi, S. Pauli, et SS. Patrum vere adstruunt Episcopos divina ordinatione esse constitutos doctores et pastores, non vero tales constitui immediate a Christo ; semper verum erit illos positos esse a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, etiamsi Spiritus sanctus illis suam jurisdictionem contulerit per S. Pontificem. Sunt quidem successores Apostolorum, eo sensu quod in locum eorum venerint ; sed non est successio immediata et adæquata. Christus

[1] S. Optatus, lib. VII, *Contra Donatistas.* — S. Leo, *Sermone III die anniv. suæ consecrat. Epist. ad Episcop. provinciæ Viennensis.* — S. Innocentius, *Epist.* XIX *ad conc. Carth.*

Apostolos elegit et instituit immediate; dum non nisi per successorem Petri eligit et instituit Episcopos, cum jurisdictione cæteroquin restricta.

Vicissim, theologi priori opinioni addicti, probationes datas in favorem alterius sententiæ putant elidi posse. Dicunt, scilicet, curam universi gregis Petro demandatam non obstare quin cæteri Apostoli una cum Petro, et subordinate ad illius auctoritatem, jurisdictionem etiam ipsi a Christo habuerint... SS. Patres vero aliquo sensu asseruisse omnem jurisdictionem a Sancto Petro procedere, tum quia primus fuit cui inter Apostolos potestatem commiserit ; tum præsertim quia aliorum præsulum potestas non est legitima, nisi sub ea conditione quod approbetur a S. Pontifice, et sit illi subdita... Dum S. Pontifex dat institutionem, præficiendo aliquem regimini Ecclesiæ, causam ponit necessariam ut electus habeat a Deo jurisdictionem, et eo ipso censetur hanc jurisdictionem ipsi conferre... Nihil refert quod electus in Episcopum, accepta institutione, habeat jurisdictionem antequam consecretur; ipse siquidem summus Pontifex suam supremam jurisdictionem etiam habet antequam consecretur, nec certe ab electoribus obtinet. Ratio est, inquiunt, quod, posita conditione prævia institutionis pro Episcopo, sicut electionis canonicæ pro Papa, utrique sua propria jurisdictio veniat immediate a Deo.

161. — III. Fundamenta duplicis opinionis exposuimus, de quibus Benedictus XIV suum sensum ita moderate aperuit : « Licet eorum opinio qui hanc potestatem immediate « a Christo oriri propugnant validis fulciatur argumentis; « nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior vi- « detur sententia opposita. » (De Synodo, lib. I, cap. IV, n° 2.) « Nobis in animo fuit (liceat hæc dicta viri eximiæ sa- « pientiæ usurpare) tyrones præmonere ne in errorem in- « ducantur, eo quod aliqui canonistæ in ea quæstione per- « tractanda ita versantur, ut aut Episcoporum, aut Pontificis,

« et hujus maxime, potestatem deprimant. Cavendum itaque « ab iis est qui censent potestatem Episcoporum sic a Ponti- « fice impertiri perinde ac si Episcopi essent ministri aut « vicarii R. Pontificis; itemque ab iis qui arbitrantur eam « potestatem a Deo ita conferri ut Episcopos constituant « veluti *corregentes* Ecclesiæ vel *optimates*. Nemini igitur plus « tribuendum quam veritas ipsa concedat; ideoque in alter- « utra sententia, semper ob oculos habendum est Episco- « pos esse veros pastores suarum ovium, sed tamen ipsorum « potestatem intra fines diœceseon contineri et S. Pontifici « obnoxiam esse. » (Card. Soglia, *Inst. jur. publ.*, lib. II, § 55.) Non tantum aliunde intercedit discrimen inter senten- tias diversas doctorum catholicorum, cum omnes æque ad- mittant jurisdictionem episcopalem, quatenus est ordinaria et ex officio exercetur, esse a Christo Domino institutam; et S. Pontificem constituere, seu determinare materiam in quam exerceatur.

Duo insuper notanda : 1° posita divina ordinatione pro Ecclesiarum regimine, dubitandum non est quin S. Pontifex Episcopis conferat omnem jurisdictionem quæ necessaria sit ad assequendum finem suum. « Cum potestas inferiorum « pastorum, ait Zallinger, ex divina ordinatione manet, nec « ea ut otiosa sit aut inefficax fuerit concessa a Deo, quippe « qui *eos posuit regere Ecclesiam Dei*; hinc per potestatem « episcopalem eatenus limitem posuit Christus pontificiæ po- « testati, vel potius ejusdem usui, ut non possit Papa Epi- « scoporum jura ultra coercere quam bonum Ecclesiæ pos- « cat, nec immodicis reservationibus, aut nimiis in vicarios « apostolicos, nuntios ac legatos, collatis facultatibus, quo- « dammodo exhaurire vel absorbere jurisdictionem Episco- « porum. Id vero non obest quominus supremus Pastor « utatur jure reservandi sibi quædam capita sacræ potesta- « tis, itemque jure supremæ inspectionis ferendarum legum, « jurisque dicendi, tam de personis quam de rebus sacris et

« ecclesiasticis. » (*Inst. juris publ.*, § 359.) 2° Quando S. Pontifex apponit restrictiones jurisdictioni Episcoporum, per reservationes vel per exemptiones, stare omnino necesse est his præscriptionibus legitima auctoritate sancitis. Ordo servandus in societate recte ordinata, ratio habenda hierarchiæ divinitus constitutæ, non sinit ut Episcopi agere præsumant contra hujusmodi præscriptiones sub prætextu quod Sancta Sedes restrictiones apposuerit absque ratione sufficienti. Ea insuper temeritate induceretur periculum schismatis, siquidem in conflictu voluntatum non esset tribunal superius ad quod causa deferri possit. Ergo quæcumque opinio admittatur circa originem immediatam jurisdictionis episcopalis, habere debemus pro illicito atque irrito quidquid gestum est ultra limites præfixos a Sancta Sede.

ARTICULUS V. — DE PRÆCIPUIS EPISCOPORUM OFFICIIS IN ECCLESIÆ SUÆ MINISTERIO.

Episcopus fungitur omnibus summi sacerdotii muneribus; deinde doctoris et legislatoris ministerium habet; tandem regit ac moderatur suis mandatis Ecclesiam cui præest: quæ singula speciali digna sunt attentione.

162. — I° *Quodnam sit officium Episcopi, titulo pontificis?*

Episcopus quatenus pontifex cuncta jura sacerdotii possidet, quorum præcipua sunt : 1° præsidendi cultui publico; 2° fideles sacra unctione confirmandi; 3° clericos ordinandi.

I. Episcopus cultui publico præest; *pontifex* enim *constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat sacrificia* ac laudes Deo persolvat; et ideo veteres illum appellant *magistrum religionis et pietatis.* « Quemadmodum, ait S. Ignatius, Do-

« minus sine Patre nihil facit, sic et vos sine Episcopo, nec « presbyter, nec diaconus, nec laicus, quidquam faciatis « eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Rata habeatur Eucha« ristia illa quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse consenserit. « Non licet sine Episcopo baptizare, nec offerre, neque sa« crificium immolare. » (*Epist. ad Smyrnæos.*)

His magnopere attendendum est, siquidem determinant jura Episcoporum ad providendum dignitati cultus publici et regulas præscribendum quibus cum laici, tum clerici subjiciuntur. Si de ordinatione sacræ liturgiæ agitur, satis cautum fuit per constitutiones pontificias quæ rem deferunt ad Sanctam Sedem, uti dicemus in tertia parte harum *Prælectionum*. Stabilita autem forma sacræ liturgiæ auctoritate conciliorum et Rom. Pontificum, singulorum est Episcoporum prospicere ut in suis respectivis Ecclesiis omnia modo debito agantur; invigilare potissimum debent ut sui clerici ritus præscriptos in celebratione mysteriorum atque in sacramentorum dispensatione rite observent. Concilium Tridentinum, amplam auctoritatem Ordinariis locorum tribuit, ut « quæ« cumque huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data a sacro« sancta synodo, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, « prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea in« violate servanda censuris ecclesiasticis compellant. » (Sess. XXII, *Decretum de observandis et evitandis in celebratione missæ.*)

II. Alterum officium Episcopi est fideles sacramento fidei confirmandi, quod ipsis proprium est, vi ordinarii illorum ministerii. « Nam presbyteri, licet secundi sacerdotes sint, « ait S. Innocentius I, pontificatus tamen apicem non habent. « Hoc autem pontificium solis deberi Episcopis, ut vel con« signent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum eccle« siastica consuetudo demonstrat, verum et lectio *Actuum Apostolorum*... » (*Epist. ad Decentium*. P. Coustant, *Epistol. RR. PP.* pag. 838.) Potest tamen hoc officium demandari

presbyteris per delegationem quam Sancta Sedes sibi exclusive reservavit in Ecclesia latina. Posita reservatione, Episcopi, nec valide quidem, nedum licite, committerent presbyteris munus confirmandi fideles; licet etenim confirmare sit actus ordinis episcopalis cujus validitas non pendet a Pontificis nutu, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi hujusmodi actum, refertur ad jurisdictionem potius quam ad ordinem. Quamobrem Clemens VI, priusquam ad catholicam communionem reciperet Consolatorem, Armenorum Patriarcham, certior esse voluit an cum Ecclesia Romana sentiret in articulis expressis in litteris apostolicis ad eumdem præsulem datis, quæ inter cætera hoc continebant : 3° *Si credis quod solum per Romanum Pontificem possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris qui non sunt Episcopi committi? 4° Si credis quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum sint chrismandi*[1] ?

III. Tertium officium, illudque imprimis notandum, est procreare, vi sacræ unctionis impositionisque manuum, clericos qui sua vice erunt et ipsi patres fidelium; unde Episcopus merito pater et princeps nuncupatur. « Episcoporum ordo, « ait S. Epiphanius, est ad gignendos patres, nam hujus « est patrum in Ecclesia propagatio. Ac sacerdotum ordo, « cum nequeat patres progignere, generat tamen per la- « vacrum regenerationis filios Ecclesiæ. Quomodo enim pos- « set patres gignere, potestate carens impositionis manuum? » (*Adversus hæreses*, lib. III, hæres. LXXV.) De hac potestate Episcopis propria nullum dubium movetur inter catholicos; inquirere autem necessarium est in quos ea uti licite possint. Itaque :

163. — II° *Quis sit proprius Episcopus relative ad clericorum ordinationem?*

[1] Cf. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. VII, cap. VII et VIII, n° 7.

I. Licet, si ad validitatem ordinationis attendamus, singuli Episcopi possint ordines conferre ubivis terrarum, nusquam ipsis licitum fuit clericos undequaque veniant ordinare, et suo clero cooptare. Quam ob causam concilium Nicænum statuit : « Si quis ad alienum Episcopum pertinentem auda- « citer invadere, et in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non « consentiente Episcopo a quo discessit is qui regulæ man- « cipatur, ordinatio hujusmodi irrita comprobetur[1]. » Eadem leguntur in decretis concilii Sardicensis.

Hæc regula videtur olim spectasse ad clericos solummodo, non ad laicos, quod et contextus subindicat. Multa exempla probant Episcopos potuisse manus imponere laicis, nulla habita ratione locorum unde oriundi erant. Sic, ut nonnullos citemus : sanctus Paulinus ab Episcopo Barcinonensi, sanctus Martinus ab Episcopo Pictaviensi, sanctus Augustinus ab Episcopo Hipponensi, sacris ordinibus initiati sunt. Lege autem ordinationis quisque adscribebatur Ecclesiæ Episcopi a quo ordines susceperat; nec exinde fas ipsi erat alio discedere, sine ejusdem præsulis licentia.

Disciplina canonica paulatim immutata fuit hac in re, et a pluribus abhinc sæculis invaluit, ut eadem sit lex cum clericis tum laicis, neminique liceat ordines obtinere ab alio quam a proprio Episcopo. Hanc legem indictam habemus in Constitutione Bonifacii VIII : « Cum nullus clericum alienæ pa- « rochiæ (id est, diœcesis) præter superioris ipsius licentiam « debeat ordinare; superior intelligitur in hoc casu Episco- « pus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri « desiderat, oriundus; seu in cujus diœcesi beneficium « obtinet ecclesiasticum; seu habet, licet alibi natus fuerit, « domicilium in eadem. » (Cap. *Cum nullus*, 3, DE TEMPO-

[1] Labbe, *Collect. conc.*, tom. II, pag. 43, can. XVI, conc. Nicæni. Ordinatio facta ab alieno Episcopo declaratur *irrita*, eo sensu quod nullum jus conferat ad legitimum exercitium ordinis : clericus nimirum ab illo Episcopo ordinatus, manet suspensus ab ordine.

RIBUS ORDINAT. lib. I, in VI). « Concilium Tridentinum per-« misit insuper ut Episcopus possit familiarem suum non « subditum ordinare si per triennium secum commoratus « fuerit, et statim ei beneficium conferat. » (Sess. XXIII, cap. IX.) Hæc duo capita, in quibus constituitur disciplina præsens circa jus ordinationum, explicavit ac præcisis regulis ad praxim reduxit Innocentius XII, per Bullam *Speculatores*, ann. 1694.

164. — II. Juxta constitutiones citatas quatuor sunt Episcopi qui diverso titulo jus sibi vindicare valent ordinandi clericum, scilicet : Episcopus originis, domicilii, beneficii, et familiæ.

Episcopus *originis* ille dicitur e cujus diœcesi oriundus est qui ad ordines promovetur. Si quis tamen accidentaliter natus sit in hac diœcesi, v. g. occasione itineris parentum, officii, legationis, alteriusve moræ temporalis, subditus remanet, quoad ordinationem, Episcopo loci in quo parentes tunc domicilium habent, nisi pater in loco nativitatis filii tamdiu et eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium contraxerit. Tunc, non origo patris, sed domicilium per patrem legitime contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet, uti statuit Innocentius XII.

Quoad vero filios illegitimos attenditur ad domicilium matris; quia cum pater censeatur incognitus, etiamsi casu forte agnoscatur, mos invaluit ut sequantur conditionem suæ matris.

Etsi non habeatur ratio loci in quo aliquis spiritualiter natus est per baptismum, videtur tamen admittendam exceptionem pro neophytis conversis ex gentilibus, sive ex Judæis, qui reputantur in jure canonico originarii loci baptismi. Ita decidit Paulus III, Bulla *Cupientes*, an. 1542. Innocentius XII principium quidem generale dedit non attendendi ad originem spiritualem; at vero non derogavit pro casu illo particulari statuto sui prædecessoris[1].

[1] Cf. Giraldi. *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XCVI.

Episcopus *domicilii* potest etiam ordines conferre, modo ordinandus per decennium in eo loco commoratus sit; vel ibi majorem partem suarum fortunarum transtulerit, « ibique « insuper per aliquod considerabile tempus commorando, « satis superque suum perpetuo ibidem permanendi ani- « mum demonstraverit; et nihilominus, ulterius utroque casu « se vere et realiter animum hujusmodi rei habere juramento « affirmet. » (Bulla *Speculatores*, § 5.) Triennium reputatur tempus notabile, ad mentem Innocentii XII.

Si filius sit sui juris et seorsim a parentibus habitet, ad illius domicilium attenditur.

Episcopus *beneficii* ille dicitur in cujus diœcesi quis habet beneficium. Potest etiam conferre ordines, modo beneficii fructus sint sufficientes ad honestam clerici sustentationem. Eo sensu Innocentius XII restrinxit caput *Cum nullus*, quod sine ulla limitatione admittebat quemque ordinari posse ab Episcopo diœcesis ubi ecclesiasticum beneficium obtinebat.

Episcopus tandem *familiæ*, si ita dicere fas est, ille nuncupatur cujus domesticus et commensalis ordinandus est. Juxta decretum concilii Tridentini, Episcopus potest suum familiarem promovere ad ordines, his conditionibus : 1° Quod per tres annos fuerit addictus suo servitio; 2° quod illius sit commensalis, aut saltem ipsius sumptibus fuerit sustentatus; 3° quod ab eo recipiat beneficium sufficiens intra mensem a die ordinationis. Per hanc beneficii collationem ordinandus fit subditus Episcopo. Non potuisset antea recipere ab eo dispensationem super irregularitate. Ita pluries decisum refert Barbosa in caput IX, sess. XXIII, conc. Trid.

165. — Nota 1° Quamvis pluribus abhinc sæculis consuetum fuerit inter Galliarum Episcopos, et quidem non sine gravi ratione, ut ordinent solummodo eos qui sunt originarii suæ diœcesis; hoc tamen semper habuerunt uti placitum commune tacite initum, non stricte illos obligans; unde

Lefranc de Pompignan dixit : « Ce règlement est très-sage ; « cependant il n'a jamais été regardé que comme une con- « vention entre les prélats du royaume ; son inobservation « n'entraîne aucune censure, ni peine canonique[1]. »

2° Cum quatuor Episcopi habeant singuli jus ordines conferendi, licitum est pro arbitrio ad utrumvis illorum recurrere, vel ab eis litteras dimissoriales obtinere. Imo licitum etiam foret ab uno primam tonsuram, ab altero subdiaconatum, a tertio diaconatum vel presbyteratum recipere, quia ordinatio ab uno recepta non impedit quominus alii habeant titulum canonicum et clericus qui ab uno ordinem recepit, non censetur renuntiasse suo juri alterum Episcopum adeundi, nisi id libere spoponderit. Ita decisum fuit a sacra Congregatione, ann. 1666. Expositis variis casibus quos referimus, S. Congregatio respondit : « Variationem in uno- « quoque ex proenarratis casibus, dummodo in fraudem non « fiat, licitam esse[2]. »

3° Quoad Episcopum *familiæ*, necessarium omnino est ut ordinandus commoratus sit in ædibus Episcopi, et fuerit illius servitio assumptus ; quamobrem, nepotes præsulis qui sunt alterius diœcesis non possunt ab eo suscipere ordines, nisi ipsi inservierint, uti decidit S. Congregatio Concilii, ann. 1608. Eadem Congregatio pluries declaravit Episcopis fas esse suos familiares ordinare titulo pensionis, vel etiam patrimonii, quando id expedire judicaverint necessitatibus vel commoditati suarum Ecclesiarum, atque illarum servitio

[1] *Défense des droits de l'Assemblée*, Ire partie, chap. XVIII. — Collet, tract. *de Ordine*, part. I^a^, pag. 466. — Collector Andegav., IIe *Conférence*, IIIe *Question*.

[2] *Thesaurus resolutionum S. Cong.*, tom. V, pag. 204. Cf. Collet, loco citato, pag. 478, n° 218. Notamus, data occasione, clericum qui ordinatus fuerit a S. Pontifice, non posse ordinem superiorem ab ullo alio Episcopo recipere, absque licentia Sedis Apostolicæ. Cap. *Cum in distribuendis*, 12, DE TEMPORIBUS ORDIN. V. Litteras Benedicti XIV *In postremo*, datas ann. 1756.

eos adscribunt, ut in illis suo munere fungantur; necessaria proinde non esset, hoc in casu, beneficii collatio. Hæc refert Giraldi, qui simul animadvertit datas resolutiones non adversari posteriori constitutioni Innocentianæ [1].

166. — III. Episcopus, qui jus habet conferendi ordines, potest eodem jure dare litteras dimissoriales quibus clerico sit facultas ordines ab alio Episcopo suscipiendi.

Præter Episcopum, dare etiam possunt litteras dimissoriales : 1° Vicarius generalis, absente Episcopo; non autem in diœcesi præsente; 2° capitulum cathedrale, post annum a vacatione sedis; quæ duo infra explicabuntur, ubi de officio vicarii et de juribus capituli dicendum erit. De privilegiis regularium relative ad ordinationem in IIª parte *Prælectionum* agemus.

Ut servetur disciplina constituta, nullusque prælatus alterius jura invadat, neve clericus se proprio suo Episcopo subducat, apposita fuit gravis sanctio legi. Concilium Tridentinum decrevit Episcopum qui ordinem contulerit alieno clerico, litteris dimissorialibus non obtentis, suspendi ipso facto per annum a collatione ordinum; et clericum ordinatum manere suspensum ab exercitio ordinum hoc modo susceptorum, quamdiu placuerit proprio Episcopo. (Sess. XXIII, cap. VIII.)

167. — III° *Quodnam sit officium Episcopi titulo doctoris?*

Episcopus, quatenus doctor, officium habet docendi plebem suam. Hoc esse proprium munus Episcoporum declarat sancta synodus Tridentina, et idcirco Ecclesia Episcopi vocatur *Cathedralis*.

Jura Episcopi, hoc titulo, sunt : 1° proponendi, ac intimandi cum auctoritate suis diœcesanis quæ jam definita sunt, aut certo continentur in prædicatione communi Ecclesiæ; 2° condemnandi opiniones quæ in sua diœcesi sub-

[1] Giraldi, *Expositio juris pontificii*, loc. cit. sect. XCVII, not. 8.

oriuntur contra sanam doctrinam, et libros prohibendi quibus periculosæ novitates proponuntur; 3° committendi clericis, quos idoneos ad hoc ministerium noverint, munus prædicationis in sua diœcesi. Nullus sacerdos, seu regularis, seu sæcularis, præsumere debet prædicare fidelibus sine licentia Episcopi. Ipsimet regulares qui privilegium habent prædicandi in sui ordinis Ecclesiis, tenentur se personaliter præsentare coram Episcopo, et ab eo benedictionem petere, antequam suo ministerio fungi incipiant. (Conc. Trid. sess. v, cap. II.) Ratio est quod Episcopus sit peculiari titulo doctor et pastor suarum ovium, et constituatur in sua diœcesi custos sanæ doctrinæ, ac veluti organum Ecclesiæ.

Episcopus, ut rite fungatur hoc maximi momenti officio, doctrinas proponere debet in eo gradu certitudinis quo communiter habentur in Ecclesia catholica. Quæ sunt dubia et controversa, præsertim inter ipsos pastores, sive fidem, sive principia generalia morum, vel etiam disciplinam generalem spectent, definire non debet, ne obtrectare videatur libertati quam Ecclesia cuique dimittit aliter opinandi pro suo arbitrio. Aliunde regula canonica vult ad Sanctam Sedem deferri causas majores, inter quas præcipuum certe locum obtinet auctoritativa definitio dogmatum et rei disciplinaris quæ universalis Ecclesiæ interest. (Cap. *Majores*, 3, DE BAPTISMO, lib. III Decret.)

In nonnullis tamen quæstionibus obscuris et in controversiam adductis, potest silentium in sua diœcesi clericis et laicis imponere usquedum saltem causam detulerit ad S. Sedem, si, attentis circumstantiis temporum, gravia scandala fidelibus immineant, cum periculo caritatis et fidei, ex disputationibus ac partium dissidiis. Potest etiam, in iis quæ ad mores attinent, regulam servandam proponere per modum consilii et exhortationis, ut, quantum possibile datur, inducatur agendi uniformitas, sicque multa incommoda præcaveantur.

Ex officio doctoris, quod proprio jure Episcopo convenit, sequitur fideles teneri ad obsequium præstandum suo præsuli docenti; quæ obligatio determinatur juxta ea quæ mox dicta sunt. Vel enim Episcopus tradit fidem catholicam, nullumque obvenit dubium rationabile quin illam rite proponat, et tunc assentiri tenentur eodem prorsus obsequio quod Ecclesiæ catholicæ impendunt; vel Episcopus pronuntiat circa quæstiones noviter exortas de quibus non certo adhuc constat quid universalis Ecclesia teneat, et in eo casu non possunt assentiri assensu fidei, cum Episcopus non gaudeat privilegio infallibilitatis. Debent nihilominus obsequium etiam internum reverentiæ, ob auctoritatem superioris et gravem præsumptionem, si tamen non urgeant in contrarium rationes graves.

168. — IV° *Utrum Episcopus sit legislator in sua diœcesi ?*

I. Episcopus jus habet decreta condendi quæ vim legis habeant. Prob. 1° Ex textu Evangelii : *Quæcumque alligaveritis super terram...* Leges sunt ligamina simul et medium conveniens regendi fideles; ergo juxta divinam institutionem Episcopus valet leges ferre. 2° Ex necessitate Ecclesiarum. Præter leges generales quibus universali Ecclesiæ providetur, necesse est sua singulis Ecclesiis esse particularia statuta ob diversam rationem morum ; atqui jus condendi hujusmodi statuta competit, non solum Rom. Pontifici qui gerit sollicitudinem omnium Ecclesiarum, sed et Episcopo cui regimen diœcesis commissum fuit, quique novit quid mores incolarum, quid temporum opportunitas, quidve peculiares loci circumstantiæ exposcant. 3° Ex traditionibus. Constans ea fuit praxis in omnibus Ecclesiis, ut singuli Episcopi jure proprio, quatenus pastores ordinarii, præscriberent quæ ad communem utilitatem diœcesis referre ipsis visa sunt. Hæc autem praxis certum argumentum præbet de potestate legislativa Episcoporum, cum nec eos usurpati juris ullus arguat, quod

absonum foret, ubi de praxi universali agitur; nec supponere ullatenus liceat, contra apertum textum mandatorum episcopalium, eos vi delegationis, non jure proprio leges condidisse. 4° Ex sensu communi catholicorum. « Nemo catholicorum negat, ait card. Soglia, Episcopis jus inesse jubendi, seu ferendi leges, et unumquemque debere sui Episcopi legibus obtemperare... Innumera sunt SS. Patrum loca quæ hanc jubendi parendique divinam legem apertissime confirmant, quæ omnia in medium proferre et longum esset, et non necessarium. » (*Institutiones juris publici*, § 52.)

II. Quæ Episcopus præcipere possit satis determinatur ex natura ipsiusmet auctoritatis episcopalis.

Potest leges condere ad mores reformandum, ad disciplinam restituendum, ad cultum divinum promovendum, et generatim ad ea omnia quæ bonum regimen diœcesis procurare debent. At non potest aliquid statuere quod vel juri communi, vel disciplinæ provinciæ decretis conciliorum provincialium constabilitæ, adversetur; unde Pius VI proscripsit, tanquam erroneam et inducentem in schisma et subversionem hierarchiæ, propositionem synodi Pistoriensis qua dicebatur Episcopum debere prosequi reformationem disciplinæ, et id contra consuetudines, reservationes, exemptiones quas judicat bono diœcesis contrarias. (Bull. *Auctorem fidei*, prop. VII.) Item si evenerit ut contra aliquam juris communis, vel Apostolicæ Sedis sanctionem prævaluerit consuetudo, fas non esset Episcopo edere constitutionem eidem consuetudini conformem, et canonicis institutis adversantem. Id saltem non expedit. « Etenim, ait Benedictus XIV post Barbosa, quod consuetudo prævaleat contra legem superioris, id oritur ex ipsomet superioris consensu qui eam etiam suæ legi obviantem, cum rationabilis et diuturna est, statuit tolerandam; unde fit ut ejusdem superioris auctoritati nihil per eam censeatur detractum. At si inferior consuetudini superioris legi contrariæ suo peculiari statuto vires adji-

« cere velit, videbitur profecto auctoritatem sibi arrogare « delendi legem superioris, quod in nullo rerum eventu esse « eidem permissum præmonuimus. » (*De Synodo*, lib. XII, cap. VIII, n° 8.)

169. — V° *Quæ sit auctoritas Episcopi in clericos diœcesanos?*

I. Episcopus eligit qui ordinari postulant, suoque clero cooptat. Olim disputabatur inter canonistas, an admissio alicujus in clerum esset actus jurisdictionis voluntariæ quem pro suo prudenti arbitrio Episcopus denegare posset iis quos minus idoneos arbitrabatur; an e contra teneretur ad ordinationem admittere omnes qui processu judiciali non probabantur indigni. Gravem difficultatem ea de re faciebant nonnulli textus juris [1], quam in praxi removit concilium Tridentinum, cap. I, sess. XIV. Hoc nimirum decreto tribuitur Episcopo facultas denegandi etiam clerico, a fortiori laico, per actum extrajudicialem, ascensum ad sacros ordines. Hinc sequitur Episcopum in hac parte judicem esse promovendorum in statum clericalem, et suas vices delegare posse rectori seminarii in quo alumni ad hunc statum proxime disponuntur.

170. — II. Episcopus omnes suæ diœcesis clericos, præsertim presbyteros, sub sua jurisdictione continet, adeo ut regulariter non possint sine illius assensu in aliam diœcesim transmigrare, et teneantur obire functiones quas ipsis commiserit.

1° Clerici, saltem presbyteratus ordini initiati, non possunt in aliam diœcesim migrare absque licentia sui episcopi. Hoc certum imprimis de presbyteris alicui Ecclesiæ suo officio adscriptis, ut sunt canonici, parochi, imo et vicarii. Ita postulat bonum Ecclesiarum regimen, et supponit decretum concilii Trid. cap. XVI, sess. XXIII, ubi data lege ne quis

[1] Fagnan. in cap. *Ad aures* et in cap. *Ex tenore* DE TEMPORIBUS ORDIN.

aliter ordinetur quam si illum Episcopus assumpserit pro utilitate Ecclesiæ cujus servitio adsciscatur, additur : « Quod si « locum inconsulto Episcopo deseruit, ei sacrorum exerci- « tium interdicatur. » Idem etiam tenendum de presbyteris quos Episcopus necessarios judicat suæ diœcesi, quamvis actu non sint addicti alicui ministerio determinato ; nam illos etiam hac lege ordinavit ut suæ Ecclesiæ, diœcesi nimirum, deservirent. Obligatio insuper quæ ipsi incumbit providendi utilitatibus hujus Ecclesiæ, jus naturaliter includit retinendi suos clericos, vel revocandi si jam discesserint. Qui finem prosequi tenetur, media ad id convenientia habeat necesse est.

Adduci possunt in confirmationem decreta Concilii I Baltimorensis anno 1829 habiti, et plures decisiones S. Congregationis. Hæc habet II^um decretum concilii : « Statuimus et « declaramus quemlibet sacerdotem, qui pro quacumque hu- « jus provinciæ diœcesi ordinatus fuerit, teneri vi promissio- « nis in ordinatione factæ ad permanendum in eadem diœcesi « et ad se subjiciendum præsuli suo usquedum canonice di- « missus fuerit. Statuimus quoque eadem obligatione pariter « adstringi omnem sacerdotem rite cooptatum in aliquam « diœcesim. » S. Congregatio concilii sæpius dedit decisiones in eodem sensu, quæ nimirum indicant liberum non esse Presbyteris, etiam non adscriptis alicui Ecclesiæ vi beneficii personalem residentiam requirentis, e sua diœcesi discedere, si dissentiat Episcopus[1].

A regula data excipiendi sunt : 1° clerici qui volunt ingredi religionem, de quo in II^a parte agendum, ubi de *Statu religioso*. 2° Clerici qui ante ordinationem presbyteratus domicilium in aliena diœcesi acquisiverunt. Item presbyteri qui de

[1] Cf. *Thesaurum resol.* S. C., tom. LXXVIII, pag. 255 (an. 1818). — Tom. LXXXII, pag. 278 (an. 1822). — Tom. CXIII, pag. 28 (an. 1853). — Fagnan, in cap. *Admonet*, n° 15, DE RENUNTIATIONE, lib. I Decret.

consensu, saltem legitime præsumpto, sui Ordinarii, officium inamovibile obtinuerunt, vel ministerium assumpserunt quod sine gravi damno deserere non possunt. 3° Clerici et etiam presbyteri qui necessarii non reputantur in sua diœcesi. His dare debet Episcopus litteras testimoniales quibus liberum fiat adire aliam diœcesim, uti decisum fuisse a S. Congregatione refert Zamboni in suis conclusionibus, v° *Clerici*, § 7.

Ex dictis sequitur clericum non posse suam diœcesim deserere et in aliam migrare absque licentia sui Episcopi, etiam ad assequendum beneficium Ecclesiasticum ad quod fuerit electus, vel quod Episcopus alienus sponte ei obtulerit; quod pari jure dicemus de quovis alio officio, v. g. vicariatus generalis. Suadet quidem æquitas ut Episcopus moderate utatur jure suo, et se facilem præbeat ad concedendam licentiam si possit absque detrimento suæ diœcesis; verumtamen qui illum adeunt causa obtinendi litteras dimissoriales meminisse debent nullam exceptionem a jure appositam fuisse regulæ generali subjectionis pro casu quo beneficium, aliudve quodvis officium, ipsis oblatum fuerit in aliena diœcesi, et Episcopum judicem esse an expediat, vel non, suæ diœcesi concedere expetitam licentiam[1].

[1] Abs re non erit referre, ex *Thesauro Resol.* (tom. XCIII, p. 28-35), decisionem quæ data est anno 1835 a S. Congregatione Concilii in causa ad præsentem quæstionem attinente.

G. Britius diœcesis Reatinæ prima jam tonsura initiatus a suo Antistite, atque inde inter alumnos Congregationis S. Vincentii a Paulo Romæ cooptatus, minores ibidem et sacros ordines suscepit titulo patrimonii. Congregationem aliquot post annos justis ex causis deserendam esse censuit, reversusque idcirco in patriam erudiendæ juventuti operam dedit, ac postea demum Archipresbyteratum in diœcesi Sabinensi obtinuit in concursu, cujus etiam beneficii possessionem iniit, auctus prætcrea officio vicarii foranei ab Episcopo Sabinensi. Cum vero deserendæ in eum finem Reatinæ diœcesis facultatem postulasset ab Antistite. restitit ipse votis Britii, quia et in sua diœcesi præfici parochiæ poterat, et jam ex beneficio simplici annuo reditu potiebatur quo necessaria ad vitam cultumque satis commode sibi comparabat. Contentione exinde orta Episcopum inter et

2° Clerici tenentur, salvo jure sibi a sacris canonibus quæsito, obire munus seu officium acceptare quod illis commiserit Episcopus.

Et si omnes clerici obtemperare debeant suo præsuli, ad id obsequium præ cæteris tenetur presbyter qui intra suæ consecrationis ritus obedientiam spopondit; non enim pro nuda, inanique formula habenda est solemnis illa obedientiæ et reverentiæ promissio facta juxta vetustissimum Ecclesiæ morem; sed presbyterum addicit ut suo præsuli obsequatur in iis omnibus, quæ juxta sanctiones canonicas, in bonum suæ diœcesis iste præcipit. Hinc Patres primi concilii Baltimorensis omnes sacerdotes admonent « sive fuerint in suis « diœcesibus ordinati, sive in easdem cooptati, ut memores « promissionis in ordinatione emissæ, non detrectent vacare

Britium, causa delata est ad S. Congregationem. Britius pro sua parte allegavit se sacris ordinibus, ipsique Presbyteratui initiatum titulo patrimonii extra diœcesim, non spopondisse obedientiam Episcopo suæ originis, nullique proinde Ecclesiæ adscriptum ab eo fuisse in qua adigeretur susceptorum ordinum muneribus se exercere. Cum insuper nullo donatus fuerit beneficio quo lege residentiæ teneretur, concludebat se iis clericis esse accensendum qui sui juris sunt, ac libere pro libitu possunt e diœcesi discedere. Episcopus e contra asseruit se Britium in clerum cooptasse sacra tonsura, eumque hoc ipso addixisse ad clericalia officia exercenda in sua diœcesi; quamvis etenim hæc hujusmodi adscriptio diversa sit ab illa quam veteres canones faciendam præscripserunt cuidam certo titulo, eumdem tamen effectum obtinet, eo sensu quod clericus non possit inconsulto Episcopo deserere Ecclesiam pro cujus servitio ordinatus est. Adjecit jurisdictionem Episcopi Reatini in Britium suspensam fuisse ex suscepto per ipsum Missionariorum instituto, sed cessante causa cessasse effectum, et proinde Britium sub jure sui Episcopi rediisse ex quo religiosum institutum dimiserat. Tandem animadvertit sponsionem obedientiæ quæ fit in sacra Presbyteratus ordinatione erga eos omnes protendi Episcopos quibus legitimo jure parere ubilibet debeat sacerdos.... Cum hæc ex utraque parte discussa fuissent, postulatum est : *An et quomodo sacerdos G. Britius cogi possit ut in diœcesim Reatinam revertatur, in casu*. S. Congregatio respondit : *Affirmative, dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideatur*. — Id est, de officio quod ei sufficiat ad honestam sustentationem.

* Cf. Benedictum XIV, *de Synodo*, lib. XI, cap. II, n^is 4-10.

« cuilibet missioni ab Episcopo designatæ, si Episcopus judi-
« cet sufficiens ad vitæ decentem sustentationem subsidium
« illic haberi posse, idque munus valetudini et viribus sacer-
« dotum ipsorum convenire. » (Decreto I° concilii.)

Dixi : *salvo jure...* Qui habet aliud officium inamovibile, et cum munere committendo incompatibile, non tenetur illi renuntiare, ut obsequatur votis Episcopi. Nec etiam tenetur officium acceptare, qui certo noverit suam salutem graviter periclitari illud adimplendo.

171. — VI° *Quæ sit auctoritas Episcopi in clericos alienos qui in sua diœcesi actu morantur?*

Jurisdictio Episcopi in clericos extraneos, sub duplici respectu consideranda est. Inquirendum venit : 1° utrum clerici advenæ aut peregrini teneantur legibus diœcesis in qua actu morantur; 2° quatenus subjiciantur auctoritati Episcopi, quoad omnes functiones sacras, quas in illius diœcesi peragere exoptant.

I. Certum est clericos advenas qui, etiam ad breve tempus, in diœcesi commorantur, et peregrinos qui per illam iter faciunt, teneri legibus negativis quæ aliquem actum, statui clericali indecorum, prohibent. Ita sentiunt omnes canonistæ, et probant theologi in tractatu *de Legibus*, ex principio generali quod clericos non secus ac laicos attingit, scilicet, ordinem publicum postulare ut disciplinæ ad bonum regimen, et ad communem ædificationem statutæ, omnes æque morem gerant. Leges etiam positivas clerici observare tenentur, modo intra diœcesim permaneant per tempus sat notabile, ut legislator censeatur voluisse eos suis statutis subjicere. Quapropter, si clericus extraneus transgrediatur statuta diœcesana, pœnis canonicis obnoxius fit quibus illa statuta sanciuntur.

II. Nullus clericus extraneus potest licite functiones quaslibet sacras exercere, nisi de consensu, saltem præsumpto, Ordinarii diœcesis.

ipsismet Episcopis vetitum est, « cujusvis privilegii præ-« textu, pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Or-« dinarii expressa licentia. » (Conc. Trid. *Sess*. VI, cap. V.) Quoad cæteros omnes fundatissima regula est nulli fas esse prædicare, ne sub forma quidem catechesis, benedicere ritu solemni, sacramenta conferre, sacrum celebrare, nisi habeat consensum, saltem præsumptum, Episcopi.

Parochi stare debent, hac in re, ordinationibus Episcopi, ne presbyteris alienis sacras functiones permittant, ultra quod statuta diœcesana vel receptæ consuetudines determinant. Inter cætera, hæc præsertim jubentur: 1° ut nullus presbyter ignotus admittatur ad celebrationem mysteriorum, sine commendatitiis litteris sui Episcopi; 2° ut si, non per transennam ac paucos dies, sed per tempus sat notabile commorari debeat in parochia, quod plura statuta ad octo, alia ad quindecim dies protrahunt, res ad Episcopum loci deferatur.

Quam antiqua sit hæc disciplina concludere licet ex canone XXXII Apostolorum: « Nemo peregrinorum Episcoporum, « aut presbyterorum, aut diaconorum sine commendatitiis « suscipiatur litteris; et si eas obtulerit, attentius in disquisi-« tionem vocetur. » Quam regulam sedulo servandam iterum mandavit concilium Tridentinum in sess. XIII, cap. XVI: « Nullus clericus peregrinus, sine litteris sui Episcopi com-« mendatitiis, ab ullo Episcopo ad divina celebranda et sa-« cramenta administranda admittatur. »

172. — VI° *Utrum et quatenus sacerdoti advenæ qui præfert litteras commendatitias, Episcopus teneatur committere sacras functiones, et præsertim celebrationem missæ?*

Ultro quidem fatemur denegandam non fore voluntate arbitraria, nimirum absque fundata ratione, presbyteris extraneis licentiam sacrum faciendi quando præferunt litteras testimoniales sui Episcopi. Fraudari enim non debent consolatione et fructibus sancti Sacrificii; nec impediri quominus

suæ obligationi satisfaciant. Re quidem vera, omnibus sacerdotibus, vi sacræ ordinationis, imponitur obligatio sanctum Sacrificium Deo offerendi identidem; quod de singulis dominicis et diebus festivis canonistæ communius interpretantur[1]: aliunde urgent quandoque motiva versandi per certum tempus extra propriam diœcesim; ergo nec æquitas, nec religio sinit denegari expetitam facultatem celebrandi sacra mysteria, nisi intercesserit ratio gravis. Hoc autem, quod a nemine in controversiam adducitur, admisso, duo asserimus, scilicet : 1° Jus presbyterorum quoad S. Sacrificium subordinatum manere Episcopo; 2° Episcopum non excedere limites sui officii, quando ob rationes quas suo prudenti arbitrio sufficientes judicat et quas declarare neutiquam tenetur, denegat extraneis, qui etiam litteras testimoniales præferunt, licentiam sacrum faciendi, illoque ipsis interdicit sub comminatione censurarum.

1° Quod jus sacerdotum ad celebrationem sacrorum mysteriorum sit subordinatum auctoritati Episcopi, satis intelligitur ex dictis in præcedentibus, ubi audivimus ex sancto Ignatio, *non licere offerre, neque Sacrificium immolare*, sine Episcopi assensu.

Presbyter quidem diœcesanus non debet privari, extra casus jure præfinitos, facultate celebrandi missam; quia manet in Ecclesia cui per suam ordinationem incardinatus quodammodo fuit, vel per incorporationem canonice factam adscriptus. Jus consequenter obtinuit suo in hac Ecclesia sacerdotio fungendi; et quidquid fuerit de pristina disciplina, moribus jam a pluribus sæculis inductis usus ita convaluit presbyteris frequenter vel etiam quotidie celebrandi, ut in discrimen famæ procul dubio veniret qui in sua diœcesi a sacris altaribus amoveretur. Presbyter vero alienus, id est

[1] Benedictus XIV, *de Sacrificio missæ*, tom. II, sect. II, § 1-8. *Conférences d'Angers sur les États*, VI° Conf., IV° quest.

qui nec per incorporationem, nec per ordinationem, cooptatus fuit canonice in clerum diœcesis, non ita jus strictum habet ibi obeundi munia ordinis sacerdotalis; ergo prudentiæ Episcopi dimittitur ut videat, ratione habita circumstantiarum, an concedere, an denegare debeat licentiam.

Multa concilia, præsertim Chalcedonense et Tridentinum, prohibuerunt ne Episcopi sinerent admitti ad sacrorum celebrationem sacerdotes vagos et ignotos; nullibi autem Episcopis legem statuerunt admittendi cæteros qui litteris commendatitiis communiuntur; ergo hac in re Episcopus nullo canone tenetur, sed rem pro suo prudenti arbitrio determinat, eo modo qui melius provideat decentiæ cultus divini, communi ædificationi, et honori status clericalis.

2° Addidimus Episcopum non excedere limites sui juris qui denegat presbyteris extraneis, etiam sub comminatione censurarum, licentiam sacrum faciendi. Judex utique est in hac materia; ipsius est definire quid magis suæ diœcesi expediat; nec tenetur presbyteris qui adveniunt ab alienis diœcesibus, quando ob rationes peculiares illos sibi merito suspectos habet, causas significare cur judicaverit opportunum illos non admitti, aut licentiam ad tempus datam retrahere. Hæc ratio, quæ in favorem cujusque Episcopi militat, multo gravius urget in majoribus civitatibus, v. g. Lutetiæ Parisiorum, ad quas tot extranei in dies deveniunt. Omnes norunt litteras testimoniales non semper sufficere ad faciendam fidem de dignitate actuali commendatorum, quin debeamus rationes nostræ assertionis fusius explicare. Quod si igitur Ordinarius loci censuras comminetur iis qui, non obstantibus statutis, missas celebrare præsument, non accepta licentia, non est cur nimiæ severitatis arguatur; agitur enim de negotio gravis momenti, et pertinacia horum extraneorum qui statuti curam non habent vertitur in scandalum.

Hæc olim in Galliarum Ecclesiis, non secus ac in aliis,

servata in praxi fuisse multa suadent. Duos canonistas citare sufficiat, *Ducasse* et *Gibert*, quorum tamen ratiocinia non in omnibus urgemus, nisi intelligantur in sensu notaminum quæ præmittere curavimus. « La pratique de tant de dignes « prélats, *ait* Ducasse, qui limitent ces sortes de permissions « (de célébrer) non-seulement pour les lieux, mais encore « pour le temps, est une preuve convaincante qu'on peut, et « que l'on doit même les donner avec ces restrictions; sur- « tout quand on ne juge pas à propos de les retenir dans le « diocèse..... Le temps de cette permission étant expiré, il « est certain que l'Ordinaire peut non-seulement leur inter- « dire la célébration de la messe, mais leur ordonner sous « les peines du droit de se retirer du diocèse. » (*De la juridiction ecclésiastique*, chap. VII, sect. III, n. 3.) Eamdem praxim testatur *Gibert*, quam et iisdem etiam principiis tuetur. « Le prêtre étranger, *inquit*, n'ayant point de droit de « dire la messe dans le diocèse, et pour ce sujet l'Évêque le « lui pouvant défendre sans lui faire aucun tort, par ce seul « motif qu'il n'a pas besoin de lui, il se rend coupable en « transgressant la défense de l'Évêque, et mérite par là d'être « frappé de suspense; d'où il s'ensuit que ce prêtre devient « irrégulier en disant la messe dans ces circonstances. » In alio loco : « Comme la permission de dire la messe est une « grâce, elle peut être révoquée lors même que le prêtre à « qui elle a été donnée ne s'en est pas rendu indigne par sa « conduite. Les étrangers ne peuvent dire la messe (dans ce « diocèse) qu'à raison des bénéfices ou des services perpétuels, « ou d'approbations *ad nutum*. Je comprends par ceux qui « sont approuvés *ad nutum*, tous ceux qui sont approuvés « pour un temps déterminé; car la détermination du temps « n'empêche pas que le supérieur ne puisse révoquer l'ap- « probation, parce qu'il ne détermine pas le temps à son « préjudice, mais au préjudice de celui qu'il approuve; en « sorte que le sens de l'approbation limitée à un certain

« temps, soit que le prêtre ne pourra pas dire la messe au « delà du temps marqué sans une nouvelle approbation, mais « qu'il le pourra pendant tout ce temps-là, sous le bon plai- « sir pourtant du supérieur. » His qui objiciunt revocationem licentiæ valde noxiam fore presbytero, idem canonista respondet : « Cette objection tombe dès qu'on a observé que « la permission peut être révoquée pour d'autres causes que « pour des causes criminelles. » (*Consultations canoniques sur le sacrement de l'Ordre;* tom. I, consult. XXVII, pag. 166, et *Consultations sur les Sacrements*, tom. III, consult. XXXVI et XXXVII, pag. 370, 373, ed. 1772.)

175. — VII° *Quæ sit auctoritas Episcopi in Ecclesias et bona ecclesiastica suæ diœcesis?*

Certum est Episcopum habere ordinariam auctoritatem et jurisdictionem in omnes Ecclesias suæ diœcesis, quod multa complectitur summarie hic indicanda; commodius enim et fusius alibi exponentur, præsertim in III^a et IV^a parte, ubi de *Beneficiis*, de *Oblationibus*, de *Fundationibus* et de *Judiciis*. In præsenti paucis verbis dicere sufficiat : 1° Nullam Ecclesiam, officium, vel beneficium erigi posse in diœcesi, sine auctoritate Episcopi, salvo tamen jure Primatus apostolici; 2° Ecclesias et officia semel erecta consistere sub ejusdem Episcopi regimine, qui et easdem Ecclesias, cæteraque omnia spiritualia munia conferendi jus habet clericis idoneis, salvo jure patronatus, si alicubi existat, et concursus, si vigeat; 3° jura et bona Ecclesiarum, beneficiorumve, licet committantur curæ titularium, ab Episcopo tamen plurimum pendere, utpote cui plenaria administratio tam in *temporalibus* quam in *spiritualibus* attributa sit per canonicam institutionem.

Hinc concludemus, ubi de Parochiis et de Parochis dicendum nobis erit, constitutionem parochiæ et institutionem parochi, non obstare quominus Episcopus valeat in iisdem parochiis facere per se aut per delegatum actus jurisdictionis.

Alia conclusio, ex omnibus hucusque in hoc articulo dictis

profluens, est Episcopum judicem constitui omnium causarum personalium et realium ordinis spiritualis quæ in sua diœcesi obveniunt, servato juris ordine, et insuper salvo jure primatus Sanctæ Sedis, et prærogativæ Metropolitani in casu appellationis.

174. — VIII° *Utrum et quandonam attributa sit Episcopis facultas dispensandi suos diœcesanos a jure communi?*

Dictum est in prolegomenis fas non esse Episcopis dispensare in jure communi, nisi ipsis concessum fuerit expresse aut tacite a Sancta Sede (n. 47). Hoc certo tenendum est, siquidem innititur principiis hierarchiæ et necessarium est ad stabilitatem ordinis publici. Grave immineret periculum disciplinæ generali, si dimitteretur singulorum Episcoporum arbitrio potestas derogandi legibus generalibus. Quandonam vero a Sancta Sede concessum fuisse merito præsumatur jus dispensandi, non ita semper constat : sunt ea de re quædam certa, et alia inter doctores controversa. Quæstio præcipue versatur : 1° circa casum quo superior non sibi reservaverit dispensationem; 2° circa casum diuturnæ consuetudinis; 3° circa casus urgentis necessitatis, et dubii.

I. Controversia movetur inter doctores de casu quo superior non sibi reservavit expressis verbis dispensationem, et aliunde non declaravit quod in ea lege dispensari possit. Plures arbitrantur Prælatum inferiorem tunc posse dispensare, et in confirmationem suæ opinionis adducunt : 1° cap. *Nuper*, 29, DE SENT. EXCOM., lib. V Decret., ubi dicitur : « Quia conditor canonis absolutionem sibi specialiter non « reservavit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem re- « laxandi. » 2° Praxim Episcoporum iis temporibus quibus non tam frequentes erant dispensationes; dicunt enim sanctissimos præsules dispensavisse identidem, justa id exigente necessitate, a decretis conciliorum œcumenicorum, nullo prævio recursu ad Sanctam Sedem. 3° Officium pastoris, quod amplam requirit potestatem providendi occurrentibus tem-

porum et personarum necessitatibus; unde nisi ob graves causas superior judicaverit sibi causas peculiares reservare, censetur Episcoporum prudenti arbitrio dimittere facultatem dispensandi. (Ita S. Antoninus, Part. I, tit. XVII, cap. XI, § 20; Berardi, *Commentaria in jus Eccles.* dissert. IV, cap. II; Collator Andegavensis, *Conférences sur le mariage: Dispenses des empêchements*, I[re] conf., II[e] *question;* et multi alii non infimæ notæ doctores, quos refert et refellere aggreditur Fagnan in cap. *Dilectus*, n. 16, DE TEMPORIBUS ORDINAT., lib. I Decret.) Alii theologi communissime docent Episcopum non posse dispensare, quia dispensationes in lege superioris sunt suapte natura ex iis negotiis quæ non competunt inferiori, nisi concedantur. (Fagnan, loc. cit. et in cap. *Nimis*, 44, DE FILIIS PRESBYTERORUM, lib. I Decret.; Suarez, *de Legibus* lib. VI, cap. XIV, n[is] 3-8; S. Liguori qui olim censuerat primam opinionem esse probabilem, sed re melius perpensa existimavit opinionem oppositam esse omnino tenendam, lib. I, n° 191; Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. IV et V; D. Carrière, *Tract. de Matrimonio*, n. 1068-1075.)

Huic opinioni standum est. Nam : 1° superior eo ipso quod aliquid per suam legem præscribit aut prohibet, illud subtrahit ordinariæ potestati inferioris, cui propterea non licet a lege recedere nisi velit suam voluntatem voluntati superioris anteponere; 2° in nonnullis legibus canones dispensare permittunt, in cæteris vero mos est legislatoris simpliciter præcipere aut prohibere, nihil memorando de dispensatione; frustra autem canones facultatem dispensandi concederent in quibusdam casibus, si alias de jure competeret Episcopis; 3° si liceat dispensare quotiescumque dispensatio in specie non prohibetur, jus commune in inferiorum potestate erit; penes illos erit derogare plerumque decretis conciliorum, et SS. Pontificum, siquidem in permultis decretis, priorum præsertim sæculorum, nulla fit mentio de dispensatione; 4° nihil in contrarium facit cap.

Nuper; siquidem in eo canone agitur de absolutione a censuris, non de dispensatione a legibus, quæ duo maxime differunt. Dispensatio derogat legi; absolutio est secundum legem quæ vult ut reo jura communia reddantur ad participationem bonorum spiritualium quando contumaciam deposuerit; quapropter non solum Episcopus, quin etiam simplex sacerdos, pro confessionibus audiendis approbatus, absolutionem a censuris largitur, quando non fuit superiori expresse reservata; 5° nec etiam probat exemplum allatum Episcoporum qui dicuntur olim dispensavisse, nam præter quod hæc sunt satis obscura, ita probabiliter se gesserunt Episcopi ob urgentes temporum necessitates et difficultatem adeundi S. Sedem. (Thomassinus, lib. III, cap. XXIV, XXV.)

II. Casus legitimæ consuetudinis. Consuetudo, cum valeat legem ipsam abrogare, multo magis potest illam paulisper moderari, efficiendo ut facilius super ea dispensetur. Igitur si certo constet non recurri a tempore immemorabili ad Sanctam Sedem ut quædam obtineantur dispensationes, si consuetudo sit conditionibus jure requisitis vestita et in regimen diœcesis prævaluerit, Episcopi possunt suorum decessorum vestigiis inhærere.

III. Casus urgentis necessitatis; si sit periculum in mora, nec facile recurri possit ad S. Pontificem. « Ratio est, ait « Reiffenstuel, quod in tali casu, ex rationabiliter præsumpta « voluntate S. Pontificis, censetur Episcopus habere sibi « commissam potestatem dispensandi; hoc etenim videtur « exigere officium pastorale Episcoporum, ne alioquin oves « ipsis concreditæ destituerentur auxiliis necessariis. » (In tit. DE CONSTITUTIONIBUS, lib. I Decret., n° 470; Suarez, *de Legibus*, lib. VI, cap. XIV, n° 10.) Hinc concludunt canonistæ Episcopum dispensare posse in impedimentis quæ post celebratum matrimonium obveniunt; imo in impedimentis matrimonii contrahendi, si tamen sint occulta et urgentissima sit causa, vitandi v. g. diffamationem sponsorum, vel contra-

ctum civilem... hinc etiam concludunt Episcopum dispensare posse in casibus frequenter occurrentibus et non ita magnæ gravitatis, v. g. in jejuniis, in festorum celebratione, in recitatione diurna divini officii, in quibus non potest tam cito Sedes Apostolica consuli quam requirit præsens necessitas; sin aliter gubernatio inferiorum prælatorum redderetur odiosa, cum potestate ordinaria non possent consulere necessitatibus quotidie propemodum occurrentibus. (Reiffenst., loco cit., n° 472.) His accedit consuetudo hactenus in omnibus Ecclesiis recepta, quæ sufficiens est ut conferatur jurisdictio circa casus frequenter occurrentes.

IV. Casus dubii. Doctores communius affirmant licitum esse Episcopis dispensare in casu dubii juris et etiam facti; quod deducunt tum ex natura reservationis quam odiosam dicunt, ideoque restringendam; tum ex natura jurisdictionis Episcopi cui in rebus dubiis favendum est; tum denique ex parte fidelium quibus onus Apostolicam Sedem adeundi imponendum non est nisi certis de causis. « Cum reservatio sit « odiosa, ait S. Alph. de Liguori, stricte est interpretanda et « restringenda tantum ad certos casus. » (Lib. VI, n° 902.)

Quando igitur adest dubium juris, v. g. utrum absolutio a tali delicto, vel censura, dispensatio super voto aut lege, sit reservata Sanctæ Sedi, Episcopi poterunt absolvere et dispensare; quod item dicimus de dubio facti, an factum hujusmodi sit ut lex generalis debeat applicari. Si autem constet de reservatione, et dubitetur solum an Episcopus habeat ex peculiari suæ Ecclesiæ consuetudine vel ex indulto, facultatem dispensandi, abstinere debet, quia standum est regulæ generali quamdiu non constat de derogatione, et aliunde non convenit ut prælatus inferior se constituat judicem in sua propria causa. (Collet, *Traité des dispenses*, n° 16.)

175. *Nota.* 1° Facultas dispensandi in casibus supra memoratis, sive expresse sive tacite sit concessa, censetur ordinaria, utpote annexa permanenter officio episcopali in

favorem regiminis diœcesis; hanc proinde delegare potest Episcopus, et habet sede vacante capitulum. Ita communiter doctores : « et est optima ratione fundatum, ait Suarez, « quia eo ipso quod jurisdictio perpetuo est concessa et an « nexa dignitati, in illa manet radicata et cum illa confertur. » (*De Legibus*, lib. VI, cap. xv, n° 6.)

2° Episcopus hac facultate utitur erga omnes suos diœcesanos, et etiam in favorem extraneorum qui actu morantur in diœcesi, nisi venerint in fraudem legis, ut alibi explicatur ubi de dispensatione ab irregularitatibus.

ARTICULUS VI. — DE OBLIGATIONIBUS OFFICII EPISCOPALIS.

Officium episcopale graves obligationes imponit quarum præcipuæ sunt : 1ª residentia ; 2ª visitatio diœcesis; 3ª prædicatio ; 4ª oblatio sacrificii, et rerum sacrarum cura ; 5ª administratio sacramenti confirmationis ; 6ª convocatio synodi diœcesanæ; 7ª visitatio liminum Apostolorum.

176. — 1° *Quid jure præscriptum sit de residentia Episcoporum?*

Canones Episcopis commendant ut resideant quisque in sua diœcesi, quod certe exposcit officium pastorale ; quomodo enim super gregem suum invigilabit, qui inter oves commorari neglexerit?

Multum disputatum fuit in concilio Tridentino, an residentia sit jure divino præscripta, de quo tamen nulla prodiit definitio ; ne forte si diceretur esse de jure divino, ut plurimi postulabant, concluderetur illicitum fore Episcopis abesse per tempus notabile, etiam ob gravem causam. Concilium pericula sapienter præcavit, et simul debitum residentiæ inculcavit. Scilicet : 1° lege naturali præceptum esse pastoribus ut resideant apud gregem suum, sufficienter innuit sess. XXIII,

cap. I, *de Reform.*, ubi ex præcepto divino quod Episcopis imperat animarum sibi commissarum curam habere, concludit necessitatem residentiæ, quia, inquit, « illa munia « pastoralia nequaquam ab iis præstari possunt qui gregi suo « non invigilant, nec assistunt, sed mercenariorum more « deserunt. » Dolendum valde quod adfuerint pastores quibus jugum onerosum erat vitam agere in suo ovili... 2° Ad assecurandam observationem obligationis adeo gravis, concilium sub variis pœnis prohibuit ne Patriarchæ, Primates, Metropolitani, seu Episcopi, ultra tempus a sacris canonibus concessum, abessent a sua Ecclesia. Qui nimirum, justis et rationabilibus causis cessantibus, per sex menses continuos absunt, ipso facto incurrunt privationem quartæ partis fructuum unius anni; et si absentia ad alios sex menses protrahatur, amittunt alteram quartam partem fructuum, quos utique fructus tenentur erogare in pios usus diœcesis, nulla etiam prævia sententia... Quod si vero justa causa acciderit, nempe : *christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia,* aut *evidens Ecclesiæ, seu reipublicæ utilitas,* hanc judicio Sanctæ Sedis, vel Metropolitani, vel antiquioris Episcopi, deferre debent, et licentiam scriptis consignatam obtinere. Hoc postea sibi solis reservarunt summi Pontifices. (V. Bullam Benedicti XIV *Ad universæ,* anno 1746.) 3° Dimisit conscientiæ singulorum Episcoporum, ut sibi assumant licentiam per breve tempus, nempe per duos, aut ad summum tres menses seu continuos seu divisos, abscedendi, modo id *æqua ex causa fiat, absque ullo gregis detrimento*, et non tempore majorum solemnitatum; quod notat supra laudatus Benedictus, et simul animadvertit per hæc verba penitus excludi animæ levitatem, oblectationum cupiditatem, aliasque futiles causas.

Nota. 1° Episcopi satisfaciunt legi dummodo in sua diœcesi morentur quamvis non in urbe episcopali, et Ecclesiam cathedralem adeant temporibus præscriptis. « Ne

« dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrec-
« tionis, Pentecostes et Corporis Christi diebus a sua cathe-
« drali absint ullo pacto, ait Benedictus XIV, nisi episcopalia
« munia in sua diœcesi eos alio avocent. »

2° Non licet Episcopis conjungere tres menses quos jus canonicum ipsorum conscientiæ dimittit per annum, cum tribus mensibus anni subsequentis, adeo ut per sex menses continuos sint absentes. Nec etiam quando causa extraordinaria intervenit discedendi, debent tempus protrahere, adjungendo tres menses toleratos a canonibus.

3° Urbanus VIII concedit, in Bulla *Sancta synodus* an. 1634, quatuor menses Episcopis commorantibus citra montes vel mare, et septem menses Episcopis ultra montes, ad visitationem sacrorum liminum; quod tamen tempus reducendum videtur ob majorem facilitatem et celeritatem itineris et navigationis. Hæc aliunde concessio intelligi debet eodem sensu ac supra, ita ut iis mensibus non adjungantur immediate tres menses concilii.

4° Urbanus providit, eadem Constitutione, causæ Antistitum qui provincialibus conciliis, vel congregationibus seu *comitiis generalibus* in quibus *ecclesiastici intervenire solent*, vel qui ratione muneris, aut reipublicæ officii ipsorum episcopatibus Ecclesiisque adjuncti, ad certum tempus extra diœcesim occupari solent. His præsulibus permittit non residere quamdiu id officium duraverit; dummodo, negotiis persolutis, recto tramite ad suas Ecclesias se conferant. Hoc etiam approbavit atque confirmavit Benedictus XIV.

Hinc nostri Præsules qui ad Senatum convocantur, videntur jure canonico a lege residentiæ exempti, tamdiu quamdiu illorum assistentia necessaria est.

177. — II° *Quid canones præscripserint circa visitationem diœcesis?*

Alia obligatio, quam jus naturale et sacri canones Episcopo imponunt, est visitare diœcesim.

1° Debent utique Episcopi toti gregi invigilare, illiusque curam agere; unde cum communiter diœceses latius extendantur extra urbem episcopalem quam ut plebs christiana suum pastorem facile adire possit, necesse est ut suam diœcesim visitent, quod onus ita determinavit concilium Tridentinum : « ... Metropolitani et Episcopi, propriam diœcesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem « vicarium aut visitatorem, si quotannis propter ejus latitu« dinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, « ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos « compleatur, visitare non prætermittant. » Sess. XXIV, cap. III. Verba concilii satis admonent agi de obligatione personali cui Episcopi non possunt tuta conscientia satisfacere per delegatum, nisi legitime fuerint impediti. « Ipsismet « enim, ait Leo XII, non ministris gregum suorum cura con« credita est; ipsis peculiaris Spiritus sancti gratia ; ipsis et « chrismatum dona fuerunt promissa. Ex quo fit ut oves « proprii pastoris manu libentius quam a manu vicarii salu« bria alimenta fiducialius petant, et lætiori animo suscipiant « tanquam manu Domini, cujus in Episcopis suis venerantur « personam. » (Encyclicæ litteræ datæ die 3 maii, an. 1824.) Apud nos, in Galliis, difficillimum foret totam diœcesim modo convenienti biennio visitare; quapropter Episcopi, si existiment multo magis expedire, ob temporum circumstantias, ut per seipsos potius quam per delegatos id munus expleant, non recedunt a mente concilii, dum in tres aut quatuor partes singulis annis percurrendas dividunt, ita ut nonnisi per quatuor aut quinque annos, totius diœcesis visitatio compleatur. Ita praxi communi observatum est a tempore concordati.

2° Scopus visitationis, ab eodem concilio declaratur. Est nimirum « sanam orthodoxamque doctrinam inducere; « bonos mores tueri pravosque corrigere; populum cohorta« tionibus ad religionem, pacem et innocentiam accendere ;

« cætera prout locus, tempus et occasio feret, ad fidelium « fructus constituere. » (Ibid.) Quem ut scopum assequantur Episcopi omnes Ecclesias attenta cura, per se vel per alios, perlustrare debent, ipsasque Ecclesias regularium qui curam animarum habent.

Olim multæ gravesque oriebantur difficultates inter Episcopos et Ecclesias exemptas ,sive regularium sive sæcularium, circa jus et exercitium hujus visitationis. Pleraque dubia removit concilium Tridentinum statuendo : 1° Ut Episcopus visitet jure proprio omnes Ecclesias quibus cura pastoralis, seu beneficium parochiale annectitur; modo tamen visitatio non se extendat ad observantiam regularem, sed tantum ad ea quæ sunt muneris pastoralis, quod late exponit Benedictus XIV in Bulla *Firmandis*, an. 1744. 2° Ut visitet jure delegationis, seu tanquam delegatus Sanctæ Sedis, Ecclesias exemptas, capitula, imo Ecclesias quæ sunt *nullius* diœcesis. Harum visitationem Episcopo viciniori commisit concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. IX.

Hæc hodie apud nos vix locum habent; et si quid sit in praxi notandum circa capellas et monasteria regularium, alibi explicabitur, ubi agemus de statu religioso.

3° In decursu visitationis, Episcopi possunt ea ordinare et exequi quæ ad bonum diœcesis regimen expedire judicant; possunt etiam punire, et corrigere excessus subditorum, dummodo non excedant limites emendationis, et procedant absque strepitu judicii. Ab iis autem, seu mandatis, seu pœnis correctoriis impositis, nulla fieri potest appellatio, vel inhibitio, vel etiam quærela interposita ad Sanctam Sedem, quæ suspendat aut impediat executionem. Appellatio quidem subditis permittitur, si rerum natura id patiatur, sed habebit effectum solummodo devolutivum. Ita statuit conc. Trid. sess. XXIV, cap. X [1].

[1] Cf. Fagnan, in cap. *Conquerente*, n° 37, DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

4° Episcopo visitanti suam diœcesim *jus procurationis* debetur : scilicet Ecclesiæ quas visitat tenentur illi procurare necessaria ad sustinendum sumptus visitationis, nisi tamen hocce jus contraria consuetudine fuerit præscriptum.

Olim jus procurationis multis querelis locum dedit, quia nonnulli Episcopi ea occasione nimium gravabant subditos, ut constat ex decretis conciliorum et præsertim concilii III Lateranensis sub Innocentio III, can. IV [1]. Concilium Tridentinum Episcopos hortatur ut « modesto contenti equitatu « famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen dili- « gentia, visitationem absolvere, interimque caveant ne inu- « tilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint. » Simul hæc duo statuit : 1° subditos suo nutu posse, aut certa pecunia, aut in victualibus, dare quod ante solvere debebant; 2° nihil ab Episcopis exigendum ubi mos invaluerit; nec victualia, nec pecuniam, nec quidquam aliud a visitatoribus accipi debere, sed omnia gratis fieri. Sess. XXIV, cap. III.

Apud nos, in statu præsenti, jus procurationis non subsistit, quia gubernium civile providet sumptibus visitationum ; parochis tamen consuetum est ut honoris causa hospitem recipiant Episcopum cum suo famulatu, quod juxta hodiernos mores non est nimis onerosum.

5° Expedit ut notarius Episcopi, seu alter ab Episcopo designatus, consignet in scriptis quæcumque in decursu visitationis præscripta fuerint, ut certa memoria rerum servetur.

178. — III° *Quid jus canonicum præscripserit circa alias obligationes Episcopi in regimine diœcesis?*

Duas obligationes præcipuas Episcoporum exposuimus ; de aliis in specie dicere supervacaneum videtur ; omnes quippe norunt, non ad alium finem requiri residentiam et visitatio-

[1] *Mémoires du clergé*, tom. VII, pag. 7 et seq.

nem, nisi ut Episcopi omnia officia boni pastoris rite expleant. Quæcumque igitur sunt ad utilem administrationem necessaria, quæcumque exigit cura animarum, seu decentia cultus divini, hæc Episcopi peragere tenentur.

Imprimis debent docere fideles, et sacramentum confirmationis administrare.

Concilium Tridentinum declarat proprium munus Episcoporum esse docere plebem Christianam; unde concludit teneri *per seipsos* ad prædicandum sanctum Evangelium, si legitime impediti non fuerint; si autem sint impediti, eorum est providere ut assumatur pro Ecclesia cathedrali idoneus concionator. Sess. v, cap. ii. Quinimo ad illum pertinet, non ad capitulum, electio et nominatio prædicatoris, nulla habita ratione consuetudinis contrariæ, uti decidit sacra Congregatio Concilii. (V. Gallemard in conc. Trid., ad sess. v, cap. ii, et ad sess. xxiv, cap. iv.) Quoad Ecclesias alias a cathedrali standum est consuetudinibus immemorabilibus quæ conferunt parochis seu capitulis jus nominandi prædicatorem, modo tamen electus ad id approbetur ab Ordinario.

Sacramentum confirmationis omnibus suis diœcesanis, quatenus fieri potest, Episcopus debet administrare; quia etsi hoc sacramentum non sit de necessitate salutis, est tamen omnibus valde utile, et quibusdam moraliter necessarium. Hinc canonistæ concludunt peccare graviter Episcopum qui, justa deficiente causa, intra tempus notabile negligit visitare suam diœcesim. Attamen non videtur esse obligationem adeundi moribundum ut confirmetur; excusat incommoditas et communis praxis, aiunt multi quorum sententiam refert, nec improbat, S. Liguori. (*De Confirmat.*, nº 175.)

179. — IVº *Quid jure præscriptum sit de synodi diœcesanæ convocatione?*

I. Synodus diœcesana est congregatio ex presbyteris diœcesis legitime coacta sub Episcopo, ut de materiis tractetur

quæ ad curam pastoralem et disciplinam ecclesiasticam referuntur. Porro, concilium Tridentinum decrevit atque statuit « ut synodi diœcesanæ quotannis celebrentur... Quod si in « his tam Metropolitani quam Episcopi negligentes fuerint, pœ« nas sacris canonibus sancitas incurrant. » (Sess. XXIV, c. II.)

Hoc decreto Patres Tridentini veteres canones innovarunt; nec tamen ab ea ætate praxis synodorum magis invaluit quam ante concilium. Identidem in plerisque diœcesibus habitæ sunt synodi; sed nulla est in Ecclesia universali provincia in qua Præsules synodos sui cleri convocaverint quotannis ad præscriptum concilii Tridentini. « Usus parum « recepit hujus decreti observationem circa tempus, ait Card. « de Luca, ut scilicet singulis annis celebrari deberet, cum « ista frequentia nedum Episcoporum sed etiam subditorum « superfluam incommoditatem et alia inconvenientia produ« cere videatur. » (Discursus XXX in conc. Trid.) Hinc theologi et canonistæ de utilitate et necessitate convocandi quotannis Synodum disputare aggressi sunt. Benedictus XIV conqueritur in libro *de Synodo* quod nonnulli sibi assumpserint interpretari decretum contra expressa illius verba; nec ipse existimat illos Episcopos excusari qui, cum nihil sit quod eos impediat, ex sola negligentia, synodum facere prætermittunt; *quanquam non negemus*, inquit, potuisse decretum contraria consuetudine *nonnihil emolliri et temperari*. (Lib. I, cap. VI, n° 5.)

Nostrum non est dicere quousque temperata sit disciplina concilii circa rem præsentem; sed cum attendimus ad universalem atque tam diuturnam consuetudinem Ecclesiarum, non possumus quin reputemus non urgere in conscientia ad litteram decretum de convocatione synodi quotannis, etsi quisque fateri debeat Episcopos teneri suam synodum satis frequenter cogere, ad mentem et præscriptum concilii, ut cleri utilitatibus sufficienter provideatur.

Patres concilii provinciæ Turonensis, habiti anno 1849,

animadvertunt suos venerabiles antecessores notabilem quotannis partem cleri diœcesani adscivisse non tantum eo fine ut per seriem piorum exercitiorum spirituali cujusque bono consulerent, sed etiam ut de diœcesis universo statu facilius inquirerent, de corrigendis abusibus conferrent, monita darent et disciplinæ decreta promulgarent. « In his conven-« tibus, inquiunt, synodorum quidem ordinaria non servatur « solemnitas, earum vero fructus abunde obtinentur. » Attamen, magni facientes formas antiquas ad celebrandum synodum in Pontificali Romano descriptas, iidem Patres pro sua provincia hæc duo sanxerunt : 1° singulis annis, si pro tempore licuerit, habendos esse conventus cleri diœcesani; 2° ab Episcopo, quando judicaverit celebrandam synodum, faciendam convocationem canonicam; prudenti singulorum arbitrio dimisso pro temporum circumstantiarum opportunitate, alterutrum modum adhibere[1]. Ita observatur in aliis provinciis Galliarum, ubi identidem, quamvis multo rarius, habentur synodi diœcesanæ. — Cæterum si velint Episcopi utrumque simul conjungere, nulla obstat difficultas. Sufficit 1° ut clerum convocent per modum synodi; 2° ut prima vel ultima die exercitiorum serventur ritus præscripti, qui pauci sunt si ad necessaria restringantur; 3° ut Episcopus eadem die, aut per decursum exercitiorum, monita ad clerum dirigat circa disciplinam ad morum reformationem. Jus canonicum nullatenus præscribit ut præterea instituantur congregationes ad deliberandum de re disciplinari, ut infra notabimus.

180. — II. Convocatio synodi fit vel ab Episcopo, vel etiam de mandato Episcopi a vicario generali, et ad omnes dirigitur qui jure vel consuetudine interesse debent. Hi sunt : 1° Abbates qui nullo capitulo generali subduntur, vel qui habent parochiam; in hoc ultimo casu, nulla est causa quæ illos

[1] Conc. prov. Turon. Decretum VII, *de Synodo diœcesana*.

eximere valeat ab obligatione veniendi ad synodum; 2° Parochi, et alii omnes qui habent curam animarum. « Ratione « parochialium, ait conc. Trid., aut aliarum sæcularium Ec- « clesiarum, etiam annexarum, debeant illi, qui curam « illarum gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse. » 3° Cæteri presbyteri, et clerici inferiores, non tenentur jure communi venire ad synodum; attamen, si id ferat diœcesis consuetudo, vel in synodo agi debeat de correctione morum aliisve materiis ad clerum universum attinentibus, Episcopus illos convocare potest, ut multoties decidit S. Congregatio cujus responsiones refert Benedictus XIV, lib. III, cap. VI. 4° De canonicis capituli cathedralis, seu alicujus Ecclesiæ collegiatæ, silent canones; a multo tempore invaluit usus ut invitentur. Disputant canonistæ utrum canonici venire teneantur : partem affirmantem tenet veluti probabiliorem Benedictus XIV, et nos ipsi amplectimur; tum quia capitula efficiunt partem præcipuam cleri, unde non expedit ut dum clerus totius diœcesis in synodo convenit, ad illam non accedat capitulum saltem per deputatos; tum quia semper, moribus saltem hodiernis, agitur in synodo de causis quæ clerum universum attinent, scilicet de horis canonicis, de morum reformatione, de disciplina... in quo casu consentiunt canonistæ canonicos teneri synodo interesse.

181. — III. Ordo qui servari debeat in celebratione synodi describitur in *Pontificali*. Singulis etiam sua sedes asseritur, ita ut alii ante alios, juxta uniuscujusque dignitatem; vel, si æqualis officii sint, juxta antiquitatem sedeant[1]. Hoc unum notabimus, capitulum, si collegialiter adsit, omnes alios præcedere; si per deputatos tantum venerit et adsint abbates, hos prælatos regulares primam sedem occupare post vicarios generales[2].

[1] V. opus Gavanti, *Praxis exactissima diœcesanæ Synodi*.

[2] Ut ordo præscriptus accuratius servetur designatur magister cæremoniarum qui observantiæ regularum provideat. Præterea Episcopus eligit

182. — V° *Quæ negotia tractanda sint in synodo, et utrum Episcopus teneatur synodi vota postulare, si velit mandata in synodo promulgare?*

Sunt negotia propria synodis diœcesanis, de quibus statuit jus commune ut regulariter ibi peragantur; sunt et alia quæ ibidem opportune tractari possunt, quamvis ea Episcopi valeant extra synodum perficere : de utrisque pauca dicemus.

Quæ, jure communi, in synodis fieri debent, sunt : 1° Professio fidei, quæ emitti debet, juxta formulam datam a Pio IV, ab omnibus beneficiatis qui in synodo conveniunt, et qui eam hactenus non emiserant. 2° Lectio decretorum concilii Tridentini de residentia, et promulgatio decretorum concilii provincialis ultimo celebrati. Utrumque præscribitur a conc. Tridentino in sess. XXIII, cap. I, et in sess. XXV, cap. II. Multis abhinc sæculis statutum fuerat decreta conciliorum provincialium in synodis diœcesanis publicari, ut constat ex cap. *Sicut olim*, 25, DE ACCUSAT., lib. V Decret., ex conc. Lateranensi sub Innocentio III. 3° Nominatio judicum et examinatorum synodalium. Judices dicuntur ii quos, ad præscriptum concilii Tridentini, Episcopus de *consilio* synodi designat, ut Sancta Sedes illis causas extra urbem Romam judicandas committere queat. Hæc nominatio judicum in desuetudinem venisse videtur, adeo ut juxta Benedictum XIV vix reperiantur pauca illius vestigia in synodis; fortassis quia rarissime contingit judices synodales assumi a Sancta Sede, pro causa qualicumque. (*De Synodo*, lib. IV, cap. V, n^is 6-8.) Examinatores eliguntur ab Episcopo cum synodi *consensu*, quorum officium est examinare in concursu candidatos ad beneficium parochiale. Sex ad minus eligi debent ad annum; qui scilicet suo officio fungi valeant

Promotorem qui reformationes necessarias provocet, et secretarium, seu notarium, qui in scriptis referat cuncta quæ ordinata fuerint.

per annum, a postrema synodo ad aliam quæ post annum habenda esset, defluentem. 4° Admonitiones, cohortationesque ad morum reformationem et disciplinæ instaurationem, quod est scopus præcipuus synodorum.

Solutio juris cathedratici consuevit fieri olim in synodo, unde communiter dictum fuit jus *synodaticum*. Est certa pensio singulis annis Episcopo solvenda in signum subjectionis, et in honorem cathedræ episcopalis, ad ejusdem cathedræ seu officii episcopalis onera sustentanda. Antiquissimi canones jus Episcopi in exigendo cathedraticum confirmant, et simul præcavent ne eo abutantur. Hæc notare sufficiat : 1° Taxationem juris cathedratici determinari per probatas consuetudines locorum ; 2° deberi ab omnibus quibuscumque parochis et beneficiatis ; 3° non abrogari contraria consuetudine etiam immemorabili, uti declaratum per S. Congregationem refert Benedictus XIV, qui addit : « Quamvis cathe- « draticum solvi consueverit in synodo, non idcirco tamen « est affixum synodo, ut hac non habita cesset obligatio illud « præstandi. Semper quippe urget ratio reverentiæ et sub- « jectionis erga cathedram episcopalem propter quam syno- « datici præstationem jura imperarunt... nisi sit longæva « consuetudo et legitime præscripta non solvendi cathedrati- « cum nisi in synodo. » (*De Synodo*, lib. V, cap. VII, n^is 6-8.) Hæc jamdudum a nostris moribus aliena videntur, et quamvis lex non fuerit abrogata, nostri tamen Præsules nec in synodo nec extra synodum jus illud requirere consueverunt. Sunt alia certa signa honoris et reverentiæ quæ illis debentur.

183. — II. Episcopus nullatenus tenetur expectare celebrationem synodi, ut suam potestatem legislativam exerceat. Jure quidem divino, hæc potestas omnino independens est a clericis inferioribus, de quo omnes catholici consentiunt, et recentioribus temporibus definitum est in bulla *Auctorem fidei* contra Jansenistas. Jure autem canonico, nullibi præceptum videas Episcopis ut sua mandata edicant in conventu

cleri diœcesani, nec reperias vigentem ea de re consuetudinem quæ legis vim obtineat. Quamobrem, quidquid censuerint olim in contrarium nonnulli canonistæ quos citat Benedictus XIV (lib. XIII, cap. v, nº 1), dicendum est decreta promulgata ab Episcopo extra synodum eamdem habere naturam et perpetuitatem, eamdemque ad obligandum auctoritatem, ac si condita essent in synodo; illorum quippe validitas non a clero, sed a jure proprio Episcopi tota procedit.

Casu quo Episcopus opportunum judicaverit promulgare sua decreta in synodo, nulla eum cogit canonica necessitas vota cleri expostulandi, rem committendo communi discussioni; et si velit prævium examen a clero fieri, vota consultativa solummodo erunt, neutiquam decisiva, adeo ut nunquam, sub quocumque respectu res consideretur, synodus diœcesana haberi debeat uti conventus deliberans, more cœtus legislativi. « Necesse non est, ait Benedictus XIV, ut « Episcopus novas constitutiones in synodo promulgaturus « totius cleri sententiam efflagitet, sed satis est si sui capi- « tuli consilium exposcat, etsi illud sequi non teneatur. » (Lib. XIII, cap. i, nº 9.) Confirmatur ex decisionibus ab eodem Benedicto relatis, quibus S. Congregatio haud semel declaravit constitutiones synodales edi et promulgari posse absque consensu et approbatione cleri. (Ibid., nis 12, 13.)

Ratio a priori, quam modo innuimus, est quod juxta divinam Ecclesiæ constitutionem potestas legislativa in Episcopo resideat, non in clero secundi ordinis. Nos non latet Episcopos solitos esse in synodis postulare a clero an leges ei opportunæ videantur, et hæc praxis multum utilitatis afferre potest, aliquoties vero multis forsitan incommodis esset obnoxia. Clerus assensum suum exprimit hac formula : *Placet;* verum, hæc formula ex ritibus concilii provincialis mutuata, eumdem sensum non habet in synodo diœcesana quam in conciliis; nec intelligi debet de suffragio decisivo, sicuti

et ipsa natura rerum satis indicat, et non semel declaravit sacra Congregatio. *Res hæc est compertissima, nec jure potest in quæstionem adduci*, ait Bened. XIV. (Lib. XIII, cap. I, n^is 12 et 13; cap. II, n° 1[1].)

184. — Constitutiones synodales vim obligandi statim habent; possunt per diœcesim publicari, sicuti alia mandata Episcopalia facta extra synodum, quin necesse sit eas prius subjicere revisioni Sanctæ Sedis.

185. — VI° *Quid jure præscriptum sit Episcopis circa visitationem liminum Apostolorum?*

I. Episcopi debent identidem visitare *sacra limina*, et exhibere Sanctæ Sedi relationem status suæ diœcesis. Tria includit lex de qua in præsenti agimus, nimirum : 1° visitationem piam basilicarum S. Petri et S. Pauli, ad venerandum corpora BB. Apostolorum; 2° exhibitionem reverentiæ et obedientiæ debitæ erga S. Pontificem, pastorem totius Ecclesiæ; 3° relationem fidelem de statu tum materiali, tum formali diœcesis, quam relationem ad S. Congregationem Concilii Episcopi deferunt.

II. Sixtus V visitationem ad *limina* præscripsit, ac simul modum tempusque determinavit per Bullam *Romanus Pontifex*.

A primæva ætate Episcopi Sanctam Sedem sæpe adibant, Romanum Pontificem consulendi causa de subortis dubiis. Sæculis subsequentibus consueverunt omnes quotquot Episcopi subjacebant ordinationi Sedis Apostolicæ se præsentare certis temporibus ad limina Apostolorum. Hunc morem refert et præscriptum indicat *juxta sanctorum Patrum et canonum statuta* Concilium Romanum an. 743 habitum a S. Zacharia. Decretalis *Ego N.*, 4, DE JUREJURANDO, lib. II Decret., dat formulam juramenti quo Episcopus inter cætera hæc pro-

[1] Cf. la Luzerne, *Droits et Devoirs respectifs des Évêques et des Prêtres*, dissert. VI.

mittit : « *Limina* Apostolorum, singulis annis, aut per me, « aut per certum nuntium visitabo, nisi horum absolvar « licentia. »

Constitutiones recentiores id tantum effecerunt ut ad omnes Episcopos orbis catholici extenderetur hæc obligatio quæ olim hos solos afficiebat qui obnoxii erant ordinationi Pontificis Romani, et Metropolitanos qui ab eodem confirmabantur. Ratio hujus immutationis fuit quod ex tunc omnium Episcoporum institutio æque reservata fuit Sanctæ Sedi. Attamen, cum plures longe distent ab urbe Roma, ratio habetur difficultatem itineris et statutum est ut Episcopi Italiæ singulis trienniis ; Episcopi Galliarum, Germaniæ, et Hispaniæ quarto anno ; cæteri Europæani et Africani anno quinto ; Asiatici, et si qui remotiores, anno decimo ad Sanctam Sedem accederent, visitationem peracturi. Sæculis præcedentibus, Episcopi Galliarum raro admodum servabant hanc partem juramenti in sua consecratione præstiti relativam ad visitationem sacrorum liminum, quod non defectui fidelitatis sed circumstantiis temporum tribuendum est : sæculari potestate impediebatur hujusmodi iter, et legem non urgebant ipsi SS. Pontifices ; hac nostra ætate, mutatis circumstantiis, merito tenent aliam agendi rationem.

III. Episcopi qui aliquo impedimento detinentur ne personaliter visitent sacra limina, possunt, cum licentia Romani Pontificis, deputare clericum canonicum, aliumve clericum aptum, licet nulla insignitum dignitate. Quinimo possunt illud officium demandare alicui clerico Romam habitanti, modo sufficienter noverit statum diœcesis.

Quid contineat relatio status diœcesis, quove ordine cuncta exponere conveniat, fusius indicatur in libro ultimo *de Synodo;* operosum nobis esset et fortassis supervacaneum in his immorari.

ARTICULUS VII. — DE CONSILIARIIS ET ADMINISTRIS EPISCOPORUM.

Episcopus quos idoneos repererit sibi in consiliarios assumit. Illius vices in suis quisque officiis supplent Archipresbyter, Archidiaconus, Theologalis, et Pœnitentiarius; Vicario autem, seu Officiali, potissimum utitur in regimine diœcesis.

186. — I° *Utrum Episcopus uti teneatur consilio sui capituli cathedralis in regimine diœcesis?*

Quæstionem remittimus ad discursum de capitulis (IIª parte), ubi opportunius tractabitur. Unum aut alterum solummodo notabimus ob materiarum connexionem.

Jure communi capitulum Ecclesiæ cathedralis est senatus Episcopi; locum tenet veteris hujus presbyterii de quo multa documenta antiquitatis mentionem habent, et cujus consilio utebatur Episcopus in regimine suæ Ecclesiæ. Pius VII, quando de instauratione Ecclesiarum Galliæ actum est, curavit de facultate Episcopis asserenda constituendi in suis quisque diœcesibus capitulum. « Cum Episcoporum consilio, « ait venerabilis Pontifex, suæque Ecclesiæ administrationi « consulere necesse sit, illud non omisimus ut iidem Episcopi « unum habeant in Ecclesia cathedrali capitulum. » (Bulla *Christi Domini.*)

Leges canonicæ determinant causas in quibus Episcopi debent exposcere consilium capituli, et causas alias in quibus aliter agere nequeunt quam consentiente capitulo. Latum inter utrumque intercedit discrimen, siquidem in uno casu requiritur ad validitatem suæ ordinationis ut Episcopus habeat majorem partem capituli consentientem, dum in priori sufficit ut audiat consilia canonicorum, relicta sibi libertate, pro suo prudenti arbitrio, rem definiendi. Nec exinde reputes frustra consilium requiri, si Episcopus non teneatur illud

sequi in praxi : multam e contra utilitatem illud habet; nam præsulem matura deliberatione instruit atque de commodis, seu de periculo rei præmonet, ne inconsiderate agat. Hæc est causa cur ipse Romanus Pontifex non soleat ardua negotia absque Cardinalium consilio decernere, quamquam supremæ illius auctoritatis exercitium ab eorumdem consiliariorum assensu minime pendeat.

187. — II° *Quid sint Archipresbyteri et Archidiaconi; quæ illorum officia?*

I. Archipresbyter olim erat parochus Ecclesiæ cathedralis, et vicarius Episcopi quoad exercitium ordinis sacri, exceptis solum functionibus quæ requirunt characterem sacrum episcopatus. Ipsius erat, vice Episcopi, eo impedito seu absente, cuncta providere quæ ministerio sacerdotali perficiuntur : fontes benedicere, sacramenta fidelibus administrare, in præcipuis festivitatibus sacra mysteria peragere, vel alteri sacerdoti id munus committere, etc... (Cap. *Ministerium*, 2, et *Officium*, 3, DE OFF. ARCHIPRESBYTERI, lib. I Decret.) Archipresbytero præterea commissum fuit munus invigilandi diligenti cura ut cæteri sacerdotes urbis suum officium rite implerent, tum in iis quæ ad horas canonicas et mysteriorum celebrationem attinent, tum in iis quæ spectant ad curam animarum et sacramentorum administrationem. In presbyteros, si quid contra canones committerent, potestatem habebat animadvertendi.

Unus solum fuit Archipresbyter in urbe episcopali; plures vero intra limites diœcesis, aucto numero parochiarum, constituti sunt, quos *Archipresbyteros rurales*, vel *Decanos* nominarunt. Ipsorum ministerium erat parochias sibi subjectas invisere, ut corrigenda ad Episcopum referrent; identidem, quando expedire judicabant, convocare in cœtum suos presbyteros, ut, collatis consiliis, quæ sui officii sunt agitarent. Jus canonicum Episcopum admonuit, ut pro amplitudine diœcesis, sua onera partiatur; « ut sicut ipse ma-

« trici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri plebibus præsint, « et in nullo titubet sollicitudo Ecclesiastica; cuncta tamen « referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus decretum « ordinare præsumant. » Cap. *Ut singulæ*, 4, eod. tit.

Cum locorum consuetudines immutaverint jam a diuturno tempore statum Archipresbyterorum, nihil certum determinari potest de illorum prærogativis, spectato jure hodierno, sed omnia debent juxta varia diœceseon statuta expendi. Apud nos Archipresbyter dicitur Canonicus Ecclesiæ cathedralis qui curam habet parochiæ cathedrali annexæ; decani autem communiter nuncupantur Parochi præcipuarum parochiarum ruris quorum vigilantiæ alias districtus parochias Episcopus pro suo arbitrio commendavit.

188. — II. Archidiaconus erat, pristina ætate, primus inter diaconos, sicut Archipresbyter primum locum obtinebat inter presbyteros; uterque suum titulum habuit primitus sola ratione ætatis, seu potius epochæ ordinationis; senior ordinatione præerat aliis ejusdem ordinis clericis; postea autem, archidiaconatus dignitas, sicut archipresbyteratus, collata fuit per electionem.

A temporibus quidem apostolicis unus fuit in singulis Ecclesiis qui inter diaconos præ cæteris adhiberetur ab Episcopo obeundis ministeriis Ecclesiasticis; celeberrimi sunt S. Stephanus, S. Laurentius, S. Vincentius; at, sæculo tertio desinente, hæc dignitas majora incrementa cepit, et Archidiaconus constitutus est vicarius Episcopi, in dispensatione bonorum temporalium, et in exercitio etiam jurisdictionis.

Officium igitur Archidiaconi fuit : 1° curam gerere bonorum temporalium, ut clero, Ecclesiis et pauperibus provideretur; 2° Episcopum sublevare in ordinatione inferiorum clericorum, seligendo qui promotione digni videbantur, et adjuvando in ipso ritu ordinationis; 3° invigilare in diaconos et inferiores clericos quos pœnis canonicis, ratione delicti,

mulctare poterat; 4° tandem vices Episcopi gerere in sollicitudine universæ diœcesis; quod ultimum, successu temporum, Archidiacono tributum fuit, et consequenter ipsi præeminentiam dedit in ipsos presbyteros.

Caput *Ut Archipresbyter*, 1, eodem titulo, Archipresbyterum monet ut subsit Archidiacono, et ejus præceptis obediat. Hujus disciplinæ rationem præbet alter textus juris, indicando ministerium quod tandem Archidiacono fuerat devolutum: « Archidiaconus sciat se vicarium esse Episcopi et omnem « curam in clero, tam in urbe positorum quam eorum qui « per parœcias habitare noscantur, ad se pertinere; sive de « eorum conversatione, sive honore et restauratione Eccle- « siarum, sive doctrina Ecclesiasticorum, vel cæterarum « rerum studio, et delinquentium rationem coram Deo red- « diturus est. De tertio in tertium annum, si Episcopus non « potest, parœciam universam circumeat, et cuncta quæ « emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat et « emendet. » Cap. *Ut Archidiaconus*, 1, DE OFF. ARCHIDIACONI (deducitur ex *libro ordinis Romani* quem editor Decret. refert ad an. 600). Attamen, Archidiaconus non poterat alicui curam animarum committere, nec in delinquentes sententias majores, ut puta excommunicationis, proferre sine mandato Episcopi. (Cap. *Cum satis*, 4, *Archidiaconis*, 5, eod. tit.)

Episcopi derogare aggressi sunt, sæculo circiter decimo tertio, prærogativis Archidiaconorum, quoniam plures abutebantur suo officio, ac præter limites extendere conabantur; eo magis exinde Episcopi in sua administratione gravabantur, quod officium Archidiaconi annexum erat titulo inamovibili[1]. Horum loco, tunc temporis, successerunt in regimine diœcesis vicarii generales, de quibus in subsequenti quæstione.

[1] Thomassin, *Discipl. eccl.*, part. I, lib. II, cap. XVII-XX. — Gohard, *Traité des bénéfices*, t. I, pag. 464-515.

Remansit quidem dignitas archidiaconatus, sed adeo restricta delegationibus jurisdictionis episcopalis factis vicario generali, et locorum consuetudinibus, ut vix dici possit quid supersit jure communi de officio Archidiaconi. Jure particulari plurium provinciarum Galliæ, titulares officii archidiaconalis retinuerant potestatem visitandi Ecclesias parochiales, exigendi ut in hac visitatione rationes sibi redderentur regiminis bonorum temporalium, inquirendi in vitam clericorum, et nonnulla statuendi in levioribus ad reformationem abusuum. Hodierna ætate, dignitas archidiaconalis, ubi servata fuit sejuncta a vicariatu generali de quo infra dicemus, est saltem titulus honorificus annexus præbendæ canoniali, qui dat aliquam præeminentiam sine jurisdictione.

Juxta *Pontificale*, ad Archidiaconum pertinet præsentare, inter solemnia ordinationis, clericos ad diaconatum et ad presbyteratum promovendos, et sciscitante Præsule an digni sint, testari illos dignos esse. At observat Benedictus XIV hanc attestationem esse merum ritum, cum Episcopus jam exploraverit doctrinam moresque ordinandorum (*de Synodo*, lib. V, cap. III, n° 4). Paucis abhinc annis (1848), S. Congregatio Concilii respondit occasione dubii propositi ab Archidiaconis Ecclesiæ Triventinæ, Archidiaconum jus non habere se ingerendi in examen clericorum, invito Episcopo, sub prætextu hujus attestationis.

189. — III° *Quid sint vicarii generales, et quales eligi debeant?*

I. Vicarius generalis nuncupatur qui constituitur ad repræsentandum Episcopum, vicesque illius agendum in exercitio jurisdictionis. Originem hujus institutionis supra indicavimus, memorando quomodo Archidiaconis successerint vicarii generales sæculo decimo tertio. Non ignoramus pristinis temporibus plures Episcopos habuisse unum sacerdotem cui partem sollicitudinis committebant : v. g. : S. Ambrosius habuit S. Simplicium, Valerius Hipponensis S. Augustinum,

Flavianus Antiochiæ S. J. Chrysostomum sui officii coadjutorem. Insuper erat in urbe Archipresbyter, ut modo dicebamus, et satis frequenter in rure Chorepiscopus, cujus postea locum tenuere decani rurales, qui omnes fuerunt Episcopis in adjutorium ministerii; sed nihilominus novum illud habuit institutum vicariorum generalium quod, vi juris canonici, universim repræsentant Episcopum quoad omnem diœcesim, unumque cum illo auditorium efficiunt, ut mox dicemus.

Consuetudo invaluit in plerisque diœcesibus Galliæ ut vicarii generales dicantur *Archidiaconi*, quo etiam titulo donantur in conciliis provincialibus recens habitis in Gallia. Hoc non concordaret quidem cum dispositionibus juris, si velint Episcopi suos vicarios constitui vere Archidiaconos eo sensu quo olim fuerunt; dignitas quippe archidiaconatus est inamovibilis; sed nihil aliud intendunt nostri Præsules, quam decorare vicarios generales denominatione tituli archidiaconalis ob analogiam officiorum, et in memoriam antiquæ institutionis.

II. Episcopus non tenetur, per se loquendo, constituere vicarium generalem; nulla enim lex est, divina seu canonica, quæ illum impediat quominus omnia officia sui tituli per se immediate exequatur, et quæ non potest solus efficere committat, delegatione temporali, aliis quibus voluerit, tum in foro voluntario, tum in contentioso. Usu tamen venit, ut singuli Antistites suum vicarium habeant; idque multo magis bono communi prodest, quo citius et modo regulari negotia expediantur. Cap. *Quoniam*, 14; *Inter cætera*, 15, DE OFF. JUD. ORD., lib. 1 Decret.

III. Quas dotes habere debeat qui assumitur in vicarium generalem, principiis generalibus resolvitur, nulla lege speciali ea de re statuente. Requiritur itaque : 1° ut sit clericus, tonsura saltem ordini Ecclesiastico initiatus; siquidem jus canonicum vetat quominus negotia Ecclesiastica laicis

committantur; 2° ut habeat annum vigesimum quintum inchoatum : hanc enim ætatem requirit disciplina canonica pro officiis quibus annectitur cura animarum; 3° ut sit sufficienter versatus in theologia et jure canonico; alioquin non posset suum munus rite implere. Olim moris erat in Galliis ut officium vicariatus non alteri committeretur præter graduato.

Præterea moribus disciplina invaluit in multis Ecclesiis ut vicarius generalis non sit cognatus, frater, vel nepos Episcopi; nec sit originarius civitatis vel etiam diœcesis[1]; quam disciplinam S. Congregatio probavit per varias decisiones. Hæc sapienter fuere ordinata, multa siquidem obstant quominus Episcopus suum fratrem, nepotemve eligat, propter quæ concilium provinciale Romæ habitum sub Benedicto XIII id prohibuit. Periculosum etiam quandoque est assumi incolam loci, ob familiaritates, consanguinitatem, affinitates quæ possunt illum reddere suspectum partibus, in quibusdam casibus. Nullam tamen legem novimus, nec decretum authentice promulgatum a S. Congregatione, quæ limitaverit facultatem quam Episcopus habet assumendi quos idoneos repererit, quicumque illi sint, vel a quocumque loco oriundi.

190. — IV° *Utrum Episcopus possit plures vicarios generales assumere?*

Episcopus potest unum aut plures vicarios generales assumere, prout sibi expedire visum fuerit. Canones loquuntur in termino singulari de vicario generali, de officio vicarii

[1] Ferraris, v° *Vicarius generalis Episcopi*, n. 27-39.— Pignatelli, t. IX Consult. 162. Berardi citato mandato S. Caroli de assumendo vicarium ex aliena diœcesi addit : « Hæc vero fuit singularis Mediolanensis ecclesiæ « disciplina, quæ non alibi recepta est, ex eo etiam quod originarii in « diœcesis vel provinciæ suæ moribus magis edocti præsumuntur. » Quod supponit hanc disciplinam non servari in pluribus saltem Italiæ partibus. (*Commentaria*, dissert. v, cap. I.)

Episcopalis, quemadmodum in numero etiam singulari loquuntur de officio Archidiaconi, Legati, Judicis legati, etc., quin eo ipso prohibitum censeatur plures simul ad idem officium assumi. Etenim 1° nullum est decretum canonicum quo vetita sit pluralitas simultanea vicariorum generalium in eadem diœcesi. 2° Canonistæ tenent communissime Episcopo fas esse duos, seu plures vicarios suæ jurisdictionis habere, et sæpius id maxime ipsi expedire si amplæ diœcesi præsit; quinimo ne dubium quidem ea de re movent. Citare sufficiat Barbosa, Pirhing, Reiffenstuel, Fermosini, Schmalzgrueber, Wiestner, Leurenium, Pax-Jordanum, Devoti, Ferraris, ne de canonistis Gallis agamus. « Episcopus, ait « Pirhing, non tantum unum sed etiam plures vicarios prin« cipales, eosque cum jurisdictione ac potestate in solidum « singulos constituere potest. » Omnes eamdem rationem suæ assertionis afferunt quam sic paucis contrahit Wiestner : « Ex una plures constitui nullo jure prohibentur; ex altera « vero parte occurrentes causæ et negotia a pluribus facilius « quam ab uno tantum expediuntur. »[1] 3° Nihil revera obstat ex parte rei, seu ex natura hujus officii, quominus plures simul constituantur vicarii generales. Necessarium quidem est ut vicarius generalis participet jurisdictioni universali Episcopi, adeo ut censeatur habere jurisdictionem in omnem diœcesim, causas cognoscere valeat sibi jure attributas, idem unumque sit illius et Episcopi auditorium, unde sequitur non dari appellationem a Vicario ad Episcopum : sed hæc locum habent sive Episcopus unum, sive plures vicarios eligat, dummodo singuli habeant jurisdictionem in solidum, ut

[1] Barbosa, *de Officio Episcopi*, allegat. LIV, n^is 126 et 165 — Pirhing, in tit. DE OFFICIO VICARII, n° 29. — Reiffenstuel, ibidem, n° 67. — Schmalzgrueber, n° 16. — Wiestner, n° 24. — Fermosini, ibid., ad cap. V, q. VII, n° 16. — Leurenius, tract. *de Vicario*, cap. I, q. 23. — Pax-Jordanus, lib. XII, tit. de *Vicario Episcopi*, n° 24. — Devoti lib. I, § 78 — Ferraris, v° *Vicarius generalis*, art. I, n^is 8-11.

supponimus. Nec exinde pertimescas confusionem in regimine diœcesis, si nimirum plures valeant de iisdem causis cognoscere, aut dignitatem Episcopi in discrimen venire si teneatur confirmare cuncta quæ a suis vicariis gesta fuerint. His incommodis non ita difficile providebit prudentia Episcopi, graviora negotia sibi reservando; poterit quippe officia ordinando inter vicarios, uni certa causarum genera tribuere, et alterius facultates restringere, sensu infra exponendo ubi *de Officialibus* (nº 193) et demum quod ab altero minus forte prudenter actum fuerit mutare, intra limites juris. Quod asseritur non dari appellationem a vicario ad Episcopum, intelligendum est solummodo de sententiis judiciariis, et de nonnullis paucioribus speciebus actuum, non vero de negotiis consuetis regiminis, in quibus superior potest, mutato consilio, revocare quod ipse statuerit. Objectionem propositam ita resolvit Devoti : « Ubi plures constituti « sunt (vicarii); iique in solidum, antefertur potestas ejus « qui primus negotium aliquod occupavit; ubi inter singulos « divisa sunt officia, intra eorum fines continere se unus- « quisque debet. »

Vicarius generalis communiter in eadem civitate commoratur ubi Episcopus suam sedem habet; nihil tamen obstare videtur quin in alia civitate resideat si opportunius judicaverit Episcopus, dummodo habeat jurisdictionem moraliter universalem in omnem diœcesim. Si quis Presbyter constituatur in civitate cum jurisdictione in partem solam, v. g. in districtum, non dicetur vicarius generalis, sed *vicarius foraneus;* habebit jurisdictionem delegatam; atque idcirco ab eo, tanquam habente jurisdictionem ab episcopali diversam et tribunal distinctum, ad Episcopum poterit appellari.

191. — Vº *Ad quæ se extendat jurisdictio vicarii generalis.*

Vicarius generalis deputatur ad repræsentandum Episcopum in exercitio jurisdictionis, adeo ut cuncta quæ agit

intra limites juris, acta censeantur ab ipsomet Episcopo. Potest consequenter quidquid refertur ad jurisdictionem episcopalem, iis solum exceptis quæ jus canonicum reservavit, vel quæ Episcopus sibi reservari declaravit, vel etiam quæ pro rei gravitate reservata censentur.

Ratio principii generalis est quod proprium sit vicarii ut vices alterius gerat, et quod aliunde jus canonicum statuerit eamdem esse jurisdictionem, idem utriusque auditorium. Igitur in dubio utrum casus excipiatur a facultatibus vicarii, in favorem illius est pronuntiandum. Ita cap. *Licet*, 2, DE OFFIC. VICARII in VI° et cap. *Qui generaliter*, 5, DE PROCURATORIBUS in VI° in quo dicitur : « Qui generaliter constituitur ad « negotia procurator, agere et experiri potest, exceptis his « casibus qui mandatum speciale exigunt. »

Casus qui excipiuntur a jure hi sunt : 1° collatio beneficiorum, et beneficiatorum destitutio. Cap. *Cum in generali*, 3, DE OFF. VIC. in VI° fert : « Officialis, aut vicarius generalis « Episcopi, beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum « collatio sit ipsis specialiter commissa. » Et cap. *Licet* : « Licet in officialem Episcopi per commissionem sui officii « generaliter factam, causarum cognitio transferatur, potes- « tatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum « excessus, seu aliquos a suis beneficiis, administrationibus « amovendi, transferri nolumus in eumdem, nisi specialiter « hoc illis committatur. » 2° Prolatio censurarum, saltem si graves sint, et excedant limites paternæ correctionis ; sequitur ex capite *Licet* mox citato. Non desunt qui contrarium contendunt, rati interdici solummodo vicario exercitium fori contentiosi solemnis ; sed multo probabilius nobis videtur hanc dispositionem extendi ad omnes pœnas quæ sunt fori contentiosi, etiamsi summarie pronuntietur [1] ; imo ad alias pœnas graves quæ non nisi ob exceptiones peculiares a

[1] Gohard, tom. I, pag. 324.

jure appositas, pronuntiari possunt extra forum contentiosum. Hinc concludimus vicarium non posse ferre suspensiones ex *informata conscientia*, nisi forsan ad breve tempus; hæ sunt enim pœnæ graves, gravia utique consectaria trahunt. 3° Concessio litterarum dimissorialium, ut clericus ab alieno Episcopo ordinetur, nisi tamen proprius Episcopus in remotis agat, et difficilis sit accessus ad eum. (Cap. *Cum nullus*, 3, DE TEMPORIBUS ORDIN., lib. I, in VI°.) 4° Dispensatio ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quam concilium Tridentinum tribuit ut detur ab Episcopo vel a vicario ad id specialiter deputando, non aliter (sess. XXIV, cap. VI). Idem dicendum arbitramur de aliis peculiaribus delegationibus quas Episcopi habent a Sancta Sede; cum enim non pertineant ad jurisdictionem ordinariam proprie dictam Episcopi, eas non complectitur commissio vicariatus episcopalis, nisi exprimatur.

Vi hujus principii, quod jure naturali et jure canonico innititur, « *in concessione generali ea non venire, quæ non* « *esset quis verisimiliter in specie concessurus,* » excipiuntur ratione gravitatis rei : 1° erectio, unio, divisio et dismembratio beneficiorum; 2° visitatio diœcesis, et convocatio synodi diœcesanæ; 3° dispensatio in votis, juramentis, et statutis diœcesanis; 4° exploratio voluntatis puellarum causa professionis religiosæ; 5° absolutio a casibus Episcopo reservatis; quod concludunt canonistæ ex Cap. *Si Episcopus*, 2, DE PŒNITENTIIS ET REMISS. in VI°; 6° licentia data regularibus novam domum erigendi in diœcesi [1].

Quæ jure communi reservantur Episcopo possunt vicariis generalibus committi, sive per litteras expressas, sive per firmatam consuetudinem. Maximi vero refert ut in suis litteris mentem suam Episcopus exprimat sine ulla ambiguitate; ne in discrimen veniat valor actuum jurisdictionis, quod

[1] Cf. Fagnan, in cap. *Non amplius*, n° 72, tit. DE INSTITUTIONIBUS.

certe omni cura cavendum. Non sufficit ut dicat se vicario concedere omnia quæ competunt jurisdictioni Episcopi; hæc enim formula, quamvis maxime ampla videatur, non exprimit quæ speciali delegatione indigent. Hac, aut æquivalenti, forma Episcopus uti potest : « Concedimus facultatem omnia « faciendi quæ jure communi tribuuntur vicario generali; « item N. N... et alia omnia pro quibus specialis deputatio « requiritur, exceptis N. N... » Indicatio unius et alterius causarum gravium quæ requirunt specialem delegationem, et exceptio apposita pro iis solum quæ Episcopus sibi reservat, alia cuncta vicario dimittunt.

192. — VI° *Utrum jurisdictio vicarii generalis sit ordinaria vel delegata?*

Jurisdictio vicarii generalis habet aliquid speciale, et sui generis, ut ita dicam, quod non reperitur in aliis jurisdictionibus. Quatenus *vicaria*, hæc jurisdictio pendet ab arbitrio et nutu Episcopi qui potest illam restringere et auferre, cujus etiam nomine exercetur; cessat aliunde eo ipso quod Episcopus moritur, aut alia causa suam jurisdictionem amittit. At alio respectu dici debet ordinaria. Signum proprium jurisdictionis ordinariæ est : 1° quod fundetur officio et titulo jure communi constituto; 2° quod non sit divisa a jurisdictione ordinaria, sed una eademque reputetur, adeo ut sententia unius censeatur sententia alterius, et ab uno ad alterum non appelletur : atqui talem esse jurisdictionem vicarii generalis tenet sensus communis, et probant textus juris, cap. *Romana*, 3, DE APPELLATIONIBUS, lib. II, in VI°; *Non putamus*, 2, DE CONSUETUDINE, lib. I, in VI°.

Hinc concludimus 1° vicarium generalem reputandum esse ordinarium, ratione omnium attributionum quas tum jus commune, tum voluntas Episcopi ipsi confert titulo vicariatus; etenim accessorium sequitur principale. Aliter dicendum, si commissio detur accidentaliter pro casu particulari; vicarius quoad hunc casum erit delegatus particularis.

Concludimus 2° vicarium generalem delegare posse partem jurisdictionis suæ; hoc enim omni Ordinario competit. Partem dico, evidens quippe est Episcopum non illi tribuisse facultatem creandi alios vicarios generales.

Concludimus 3° vicarium generalem posse, eodem modo ac ipse Episcopus, exercere jurisdictionem voluntariam extra diœcesim.

193. — VII° *Quid sint officiales, quæ illorum attributiones?*

Jus commune non discernit *officialem* Episcopi a vicario *generali :* hæc duo sunt synonyma in textibus decretalium, idem officium indicant. « Sed in Gallia, ait Devoti, aliisque « ultramontaneis regionibus officialis a vicario distinguitur. « Vicarii potestas ea complectitur quæ voluntariæ jurisdic- « tionis sunt, officialis autem quæ sunt jurisdictionis conten- « tiosæ. » Id hactenus communiter observatur in nostris provinciis. Huic mori se accommodat curia Romana, dirigendo ad officialem Episcopi rescripta dispensationum matrimonialium [1].

Hac distinctione adhibita, in quo proprie consistat discrimen inter munus officialis et munus vicarii ; an proveniat tantum ex præcepto accidentali Episcopi, seu a conventione quod vicarius voluntariam duntaxat, et officialis contentiosam jurisdictionem exercebit, licet uterque duplici æque potiatur et uti valide possit; an discrimen proveniat ex diversa jurisdictione, adeo ut neuter possit alterius officium valide usurpare ; an demum officialis habeat jurisdictionem ordinariam, uti vicarius generalis, aut delegatam et subordinatam ; id omnino pendet a modo quo fuit institutus ab Episcopo.

Nos quidem non fallit, quod et in præcedentibus annotare curavimus, necessarium esse ad constitutionem vicariatus generalis ut jurisdictio aliquo sensu universalis in diœcesim

[1] Cf. Leurenium, *de Vicariis episcop.*, cap. I, q. 17.

vicario tribuatur; alioquin non proprie vicarius Episcopi erit, sed simplex delegatus. Ast nihil sub hoc respectu obstat quominus intercedere possit discrimen jurisdictionis inter vicarium et officialem, et uterque habeat jurisdictionem ordinariam. Ad hoc sufficit : 1° ut Episcopus soli officiali committat quæ sunt fori stricte contentiosi cum causis matrimonialibus ; 2° ut eidem officiali non committat quæ in materia jurisdictionis voluntariæ specialem delegationem requirunt, et possit insuper quædam alia non concedere quæ jure communi vicario tribuuntur. Hoc posito, nemo non videt essentiale discrimen fore quoad diversam jurisdictionem inter vicarium et officialem. Atqui, hæc ita componi possunt absque ulla contradictione juris ; siquidem causæ criminales, dispensationes ab impedimentis, judicia de nullitate matrimoniorum, et alia quæ sunt fori stricte contentiosi requirunt mandatum speciale ; ergo Episcopus pro arbitrio hæc soli officiali committere potest. Quoad vero ea quæ sunt fori voluntarii, supra diximus permulta jure communi reservari ; ergo vicissim Episcopus poterit hæc soli vicario generali demandare ; quinimo et ei soli etiam plura alia concedere, cum omnes canonistæ fateantur Episcopum multa sibi reservare posse. (Riganti, *in regul.* 24 *cancell.*, § 3, n° 236.) Non obstante hac diversitate attributionum, uterque, vicarius et officialis, habebit jurisdictionem ordinariam, quia uterque possidebit jurisdictionem vero sensu universalem in omnem diœcesim, sensu, inquam, a jure requisito ; uterque eamdem personam moralem efficiet cum Episcopo, ita ut virtute sui tituli deputetur ad exercendum generaliter in foro externo jurisdictionem episcopalem, et acta utriusque censeantur gesta ab Episcopo.

In IVa parte *Prælectionum* juris canonici, ubi scilicet de *Judiciis* disseritur, agemus de ministris officialitatis, de Assessoribus, de Promotore, et de aliis qui concurrunt ad exercitium jurisdictionis contentiosæ.

De Theologali et Pœnitentiario, qui considerari possunt ut ministri Episcopi, dicetur in IIª parte ubi de capitulis.

ARTICULUS VIII. — DE AMISSIONE ET SUSPENSIONE JURISDICTIONIS EPISCOPALIS.

Episcopus potest privari sua jurisdictione multiplici modo : nempe 1° cessione voluntaria; 2° translatione; 3° depositione juridica; 4° simplici depositione facta a S. Pontifice intuitu boni publici; 5° demum censuris quibus non aufertur quidem jurisdictio, sed suspenditur illius exercitium.

194. — I° *Utrum et quatenus Episcopus possit renuntiare suæ sedi?*

I. Renuntiatio est demissio ultronea muneris. Omnia in jure supponunt titularem officii ecclesiastici posse sponte cedere loco, renuntiando suæ dignitati, modo tres istæ conditiones serventur : 1ª ut cessio fiat rationabili de causa; 2ª ut libere fiat; 3ª ut acceptetur a superiore.

Requiritur causa rationabilis. Charitas qua affici debemus erga Ecclesiam et fideles, non sinit ut animi levitate, vel ad declinandum onus, deseramus officium quod ita disponente divina providentia nobis injunctum fuit; hoc multo adhuc gravius urget quando periculum est, attentis circumstantiis, ne alius parum idoneus promoveatur. Caput juris *Nisi*, 10, DE RENUNTIATIONE, lib. I Decret., plures causas indicat quæ possunt inducere Episcopum ad cessionem, uti sunt : conscientia criminis qua se fœdatum sentit Episcopus et tanto officio indignum; — debilitas corporis ex senio, vel morbo diuturno quæ illum impotentem reddit ad regimen Ecclesiæ; — defectus scientiæ necessariæ (scientia eminens non postulatur); — malitia plebis quæ suum pastorem jam ferre non valet; — grave scandalum vitandum quod aliter non potest

præcaveri. Illæ causæ non reddunt cessionem necessariam, nisi Episcopus inciderit in aliquam irregularitatem a qua non obtinet dispensationem; vel ita sit impotens ad regimen diœcesis ut nec supplere possit per vicarios; vel tandem eo res devenerint, sive per causas personales, sive per causas extrinsecas, ut aliter providere nequeat saluti suarum ovium. Hæc explicat Innocentius III in capite allato.

Alia conditio ad cessionem requisita est libertas cui obest moralis coactio quæ spontaneitatem aufert. Quæ vi aut metu fiunt non sunt eo ipso nulla, quando cæteroquin remanet sufficiens libertas ad actum humanum, sed debent a superiore *in irritum revocari*, ut loquuntur jura. Cap. *Abbas*, 2, DE HIS QUÆ VI VEL METU FIUNT; lib. I Decret.

Tandem necesse est ut demissio acceptetur a superiore, id est a S. Pontifice. Ipse summus Pontifex cedere potest pontificatum propria sponte, cum nullum superiorem in terris habeat; alia vero est conditio Episcoporum. Sicut nemo se ingerere potest in sedem episcopalem sine canonica institutione, ita nec locum deserere debet sine assensu primi Pastoris qui illum instituit. Cap. *Inter corporalia*, 2, DE TRANSLATIONE, lib. I Decret.

II. Demissio tunc effectum suum producit quando Summus Pontifex in consistorio declarat definitive se illam acceptare, quod non facit regulariter nisi simul providendo de successore, ne Ecclesia suo pastore orbata maneat. Hujus autem acceptationis notitiam certam habere debet Episcopus, ut administrationem dimittat capitulo. Urbanus VIII edidit ea de re decretum pro clero Hispaniæ, an. 1623, quod sic statuit : « Ecclesia a qua de suo consensu Episcopus transfertur, « ab eo tempore vacat quo idem Episcopus ab illius vinculo « in nostro consistorio absolvitur; etiam ante expeditionem « litterarum apostolicarum, vel adeptam secundæ Ecclesiæ « possessionem. Postquam vero ex testimonio secretarii sacri « collegii, vel alio modo, hujusmodi absolutionis notitiam

« Episcopus translatus habuerit, illico ab exercitio jurisdi-
« ctionis ordinariæ abstinere debet; eaque in capitulum trans-
« it, ita ut capitulum statim eadem jurisdictione utitur,
« sedem vacantem publicare et officialem seu vicarium ad
« concilii præscriptum, constituere potest et debet. » Plures interpretantur hæc verba *vel alio modo* de alio modo authentico (Gallice, *notification officielle*) qui possit æquivalere testimonio secretarii S. Collegii; nobis probabilius videtur, juxta sensum obvium verborum, designari *alium* quemvis *modum* quo Episcopus plenam certitudinem habuerit acceptatæ suæ demissionis; v. g. per testimonium datum a Nuntio apostolico, vel etiam per litteras personæ gravis quæ ipsa acta consistorii Romæ typis impressa transmiserit, et id sufficere, ut abstinere debeat ab exercitio jurisdictionis [1].

Præter demissionem simplicem de qua egimus, fieri potest, licet id raro acciderit, *resignatio loci et dignitatis simul*, et tunc demissus privatur non solum sua sede, sed et functionibus sui ordinis, quas extunc, etiam assentiente Ordinario loci, peragere non valet. Quandoque facta est hujusmodi demissio ad præcavendum depositionem juridicam, vel etiam ad amplectendum vitam monasticam.

195. — Quum Episcopus jus retineat Ecclesiam suam regendi usquedum habuerit notitiam certam actus quo S. Pontifex illum absolvit a vinculo, consequens inde videretur remanere apud eumdem Episcopum facultatem conferendi beneficia quæ tempore intermedio vacare contigerit. Aliter tamen jure communi, aut saltem jurisprudentia, constabilitum dicunt canonistæ, de quo eruditam dissertationem edidit Riganti, quam et inseruit in suis commentariis *Regulæ* II[æ] Cancellariæ, § 3. Ratio est quod Episcopus qui renuntiavit suæ sedi, vel ad aliam translatus est, desiit esse præsul prioris Ec-

[1] Cf. dissertationem ea de re a viro erudito insertam in diario l'*Ami de la Religion*, tom. LXXXVIII, pag. 481, et LXXXIX, pag. 111 et 305.

clesiæ ex quo S. Pontifex vinculum dissolvit; retinet solummodo illam jurisdictionis partem quæ in suspenso manere non potest. Ex tunc jurisdictionem exercet potius ex commissione, et delegatione quam jure proprio episcopatus; ac proinde illa uti non debet præter cognitam voluntatem Pontificis qui intendit ut necessitatibus occurrentibus tantummodo provideretur. « Neque ex eo quod Episcopo prorogetur jurisdictio-« nis exercitium ad illud usque tempus quo noverit suum cum « Ecclesia spirituale conjugium diremptum fuisse, contendi « ullo modo potest, ait Benedictus XIV, prædictam quoque « apud ipsum manere facultatem conferendi beneficia, quæ « eodem intermedio tempore vacare contingat : jurisdictio « enim ad diœcesis regimen necessaria in suspenso manere « nequit; at contra nil prohibet quominus beneficiorum col-« latio differatur donec de illis disponat is ad quem pertinet « beneficia rectore viduata, Episcopali sede vacante, conferre. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. XVI, n^is 9 et 10.) Hæc apud nos locum habent quoad canonicatus et parochias proprie dictas, a quibus conferendis abstinere debet Episcopus quando præsumit habitum fuisse consistorium in quo S. Pontifex renuntiationem approbavit. Quoad vero fructus beneficii qui excurrunt post solutum in consistorio vinculum conjugii spiritualis ad diem qua Episcopus certam notitiam assequitur, eidem Episcopo adscribendos fore arbitramur, quum hucusque sustineat onus regiminis diœcesis. De pensione a gubernio soluta non agimus, siquidem Episcopus qui suæ sedi renuntiavit potest incunctanter percipere quæ in sui honestam sustentationem ipsi gubernium civile tribuit [1].

196. — II° *Quid sit et quomodo fieri debeat translatio Episcopi ad aliam Ecclesiam?*

Translatio est mutatio canonica Episcopi ab unius Ec-

[1] Cf. *Mémoires du Clergé*, tom. II, col. 386-399, et tom. XI, col. 651-671, ubi agitur de lite olim exorta inter capitula cathedralium et Episcopos qui suæ sedi renuntiaverant, circa dispositionem beneficiorum.

clesiæ regimine in aliam. Hunc proinde effectum operatur ut vinculum quo Episcopus cum priori Ecclesia conjungebatur dissolvat et novum efficiat cum alia ad quam regendam vocatur.

1° Translationes Episcoporum erant olim inusitatæ, et hodie non fiunt nisi ob gravem causam; quia non arbitrario nutu, sed ita ordinante divina voluntate, dissolvi debet conjugium spirituale, ut indicat cap. *Inter corporalia* supra citatum.

2° Translationes fiunt communiter a minori ad majorem Ecclesiam, ne prælati minorentur. Est ordo æquitate fundatus, quem S. Sedes regulariter servat; unde Innocentius III Patriarcham Antiochenum graviter arguit quod quemdam electum et institutum in Archiepiscopum, quamvis non adhuc consecratum, ad sedem episcopalem transtulisset : « Novo, « inquit, mutationis genere, parvificasti majorem, et ma« gnum quodammodo minorasti. » Cap. *Cum ex illo*, 1, DE TRANSLATIONE.

3° Auctoritas Sanctæ Sedis necessario intervenire debet ad translationem, cum illius solius sit, juxta præsentem disciplinam, dare canonicam institutionem; hæc autem fit in consistorio, quando S. Pontifex novam Ecclesiam Episcopo committit. Ea observantur quæ modo notabamus pro cessione.

4° Disputant canonistæ utrum S. Pontifex aliquem Episcopum invitum transferre valeat. Fagnan qui fuse retulit opinionum argumenta, quæstionem resolvit ita distinguendo : vel S. Pontifex transfert Episcopum invitum, sine causa sufficienti et id certo constat; vel illum invitum transfert ex causa sufficienti de qua etiam constat; vel tandem dubium est an translatio fiat ex causa, necne. Si 1°, « concludendum est, ait Fagnan, « translationem inviti, pro libitu factam et sine causa, non « sustineri. » Pluribus argumentis probat, ex eo præsertim quod Papa non valeat dispensare absque causa super his quæ

sunt de jure divino, et vinculum quo Episcopus suæ Ecclesiæ conjungitur sit revera de jure divino, adeo ut illius solutionem Deus sibi reservaverit, ut dicitur in cap. *Inter corporalia*. « Si separatio fieret sine causa, utique non Deus sed « homo separaret, nec divina sed potius humana auctoritate « dissolveretur, quia Deus omnia justo judicio facit. Eatenus « igitur manet in Romano Pontifice Petri privilegium quate- « nus ex ipsius æquitate fertur judicium, » uti dicitur in cap. *Manet*, caus. XXIV, q. 1, cap. 5. Si 2°, indubitanter tenendum est ex causa communis utilitatis vel necessitatis Episcopum invitum absolvi posse a vinculo prioris Ecclesiæ. Ita omnes canonistæ. Deducitur ex primatu apostolico cujus officium est ut Papa provideat bono omnium Ecclesiarum; quamobrem si noverit Episcopum esse inutilem et fideles illius occasione scandalum pati, debet eum a sua sede removere etiam invitum. Utrum possit eumdem Episcopum invitum præficere alteri Ecclesiæ, non ita constat; negat Fagnan, quia, inquit, « ad validitatem matrimonii spiritualis, sicut et carnalis, « requiritur consensus. » Hæc ratio non videtur peremptoria, nec eo usque putamus urgendam comparationem utriusque conjugii. Papa posset jurisdictionem conferre invito, et illum cogere vi censurarum ut officium injunctum exequatur; verum ita non procedit si Episcopus in sua repugnantia obstinato animo persistiterit; quia finem intentum non assequeretur. Si 3°, præsumptio est pro superiore in his quæ jure proprio ipsi competunt; unde sequitur Episcopum translatum teneri obtemperare mandato S. Pontificis, etiamsi dubium videatur an hæc translatio fiat ex causa sufficienti necessitatis, seu utilitatis[1]. Hæc proinde parum referunt ad praxim, cum S. Sedes magna cum circumspectione procedat in regimine Ecclesiæ, in causis præsertim majoribus, quales sunt translationes Episcoporum.

[1] Fagnan, in cap. *Quanto*, DE TRANSLATIONE.—Reiffenstuel, in eumd. titulum.

197. — III° *Quid sit depositio juridica Episcopi et quæ regulæ in ea serventur?*

Depositio juridica est sententia qua Episcopus, convictus criminis, in pœnam delicti e sua sede dejicitur.

Nemo dubitat quin Episcopi possint privari sua sede per sententiam juridicam, si in quoddam gravius crimen inciderint; ad quem vero pertineat ferre hanc sententiam depositionis inquirendum est.

1° Jure *divino* potestas deponendi Episcopum pertinet ad S. Pontificem et ad concilium œcumenicum; quando quidem, præter unum S. Pontificem qui primatum in omnem Ecclesiam obtinet, cæteri Antistites æquales sunt auctoritate, nullus alteri præficitur, ut eum judicare queat. Ergo, si concilia provincialia quandoque habuerint jus animadvertendi in comprovincialem, hoc manifeste ipsis venit ab Ecclesia universali, vel a sanctionibus Apostolicæ Sedis.

2° Jure *canonico veteri*, Episcopi in concilio provinciæ congregati suum comprovincialem judicabant, reservata, in casu appellationis, sententia definitiva S. Pontifici. Canon VII concilii Sardicensis hæc statuit: « Placuit ut si Episcopus « accusatus fuerit et judicent Episcopi congregati regionis « ipsius, et de gradu suo eum ejecerint; si appellaverit qui « dejectus est et confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ « et voluerit se audiri; si justum putaverit ut renovetur judi- « cium vel discussionis examen, scribere his Episcopis digne- « tur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi « diligenter requirant omnia et juxta fidem veritatis defi- « niant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, « deprecatione sua moverit Episcopum Romanum ut de la- « tere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid « velit et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse qui « præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctorita- « tem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio; si vero cre- « diderit Episcopos sufficere ut negotio terminum impo-

« nant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit. »

Rem ita servari in Galliis ab antiquis temporibus probant capitularia regum Francorum. Legimus in cap. XXIX quartæ additionis ad capitularia : « Placuit ut accusatus vel judicatus « a comprovincialibus Episcopis licenter appellet et adeat « Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vica- « rios suos ejus negotium retractari procuret. Et dum iterato « judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius ejus loco « ponatur Episcopus ; quoniam quamquam comprovinciali- « bus Episcopi accusati causam scrutari liceat, non tamen « definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum « B. Petro, non alio ab ipso Domino dictum est : *Quæcumque « ligaveris*, etc... Ipsius dispositioni omnes majores causas « ecclesiasticas et Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum « eorumque successorum atque canonum auctoritas reser- « vavit [1]. »

3° Jure *recentiori* decursu temporum prævaluit in canonica disciplina, ut ne in prima quidem instantia Episcopus judicetur ab alio quam a R. Pontifice, et legem illam jamdiu vigentem sancitam esse voluit sua auctoritate concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. V : « Causæ criminales graviores « contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ deposi- « tione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum R. Ponti- « fice cognoscantur et terminentur. Quod si ejusmodi sit « causa quæ necessario extra curiam Romanam sit commit- « tenda, nemini prorsus committatur nisi Metropolitanis aut « Episcopis, a beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commis- « sio et specialis sit, et manu ipsius Sanctissimi signata, nec « unquam plus his tribuat quam ut solam facti instructionem « sumant, processumque conficiant quem statim ad R. Pon- « tificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia

[1] *Capitularia reg. Francorum*, tom. I, pag. 1199. (Ed. Bal.) V. Testimonia S. Julii et S. Leonis, apud Marcheti, *Critique de Fleury*, § 2, n. 11-15.

« definitiva... Minores vero causæ criminales Episcoporum « in cóncilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur, « vel a deputandis per concilium provinciale. »

Graves ortæ sunt in Galliis controversiæ eo de puncto; pluribus enim videbatur retinendam esse veterem disciplinam Sardicensem quæ judicia criminalia Episcoporum defert ad concilium provinciæ, salvo jure appellationis ad Sanctam Sedem [1]. Alii e contra propugnabant in Galliis, non secus ac in aliis regionibus, has causas criminales, reservari etiam in prima instantia, Sedi Apostolicæ, quod inter cæteros his verbis asserebat *Bossuet* : « Quant au jugement des Évêques, j'ai « toujours été convaincu que leur déposition était réservée « au Pape. Le chapitre *de Concubinariis* (Concordati Leonis X « cum Francisco I°) m'a toujours paru le supposer, et la « discipline en est si constante depuis six cents ans, qu'à « peine peut-on trouver des exemples du contraire durant « tant de siècles. » (*Lettre à M. Dirois.*)

Cum Sancta Sedes nihil omiserit, pro temporum adjunctis, ad procurandum observantiam decreti Tridentini, res pro voto cessit, illiusque auctoritati obtemperatum est; eo magis quod eamdem disciplinam vigentem in Galliis supponat articulus concordati ad quem alludebat *Bossuet* textu mox prolato. In hoc nimirum articulo 32 *de Concubinariis*, jubet Leo X ut *si ii quorum destitutio ad Sanctam Sedem spectat*, reperiantur propter concubinatum privatione digni, *statim cum processu inquisitionis deferantur* ad S. Pontificem. Jam vero quinam sunt quorum destitutio reservatur Sanctæ Sedi nisi Episcopi?

His addemus R. Pontificem jus habere causam judicandi in urbe Roma, et non in partibus, si duxerit opportunum.

198. — IV° *Quid sit privatio simplex; in quantum a depositione differat?*

[1] *Mémoires du Clergé*, tom. II, pag. 443-478.

Privatio simplex differt a depositione juridica in eo quod fiat, non in pœnam delicti per sententiam judicis, sed ob motivum boni publici, per actum supremæ potestatis administrativæ quam S. Pontifici competere jure divino omnes canonistæ tenent.

Exempla hujus privationis raro occurrunt in monumentis historicis, quia si ob qualemcumque causam Episcopus non valeat suam Ecclesiam regere, et tamen nolit aut nequeat dare demissionem spontaneam, Sancta Sedes dat coadjutorem, vel etiam vicarium apostolicum præficit regimini diœcesis, ne Episcopum nullius delicti gravis reum invitum privet sua sede. Ita S. Gregorius Magnus in cap. *Quamvis triste*, 14, caus. 7, quæst. 1, ubi statuit ut si Episcopus ægrotus expetierit alium sui loco ordinari, « alter qui dignus fuerit ordi-« netur solemniter, sic tamen ut quousque eumdem Episco-« pum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem « Ecclesia ministrentur. Si vero nullo tempore ad sanæ « mentis officium redit, persona fidelis est eligenda, quæ ad « regimen Ecclesiæ possit esse idonea... Quæ si Episcopo qui « nunc extat superstes extiterit, loco ejus debeat conse-« crari. »

Pius VII has traditiones secutus noluit privare Cardinalem Fesch suo titulo Ecclesiæ Lugdunensis. Sed idem Pius antea dederat memorabile exemplum supremæ potestatis apostolicæ in casibus extraordinariis, dum, facta nova circumscriptione provinciarum et diœceseon totius Galliæ, omnes simul Episcopos veterum Ecclesiarum hortatus est ad voluntariam cessionem suarum sedium, eos simul monendo quod si intra tempus determinatum non transmissent testimonium hujus renuntiationis, ipse ultro procederet, necessitate providendi bono communi coactus. Plures quidem spontanee cesserunt; alii e contra id non expedire arbitrati sunt, quos Pius VII exauctoravit auctoritate apostolica, datis litteris quibus novæ des erigebantur. Quin illud jure potuerit non ambigimus;

catholici enim omnes admittere debent cum Bossuet Papam « nihil non posse, in negotiis juris ecclesiastici, quando ne« cessitas postulaverit. »

199. — V° *Quæ sint causæ propter quas exercitium officii suspenditur, Episcopo suam sedem retinente?*

Causæ quæ inducunt suspensionem ab exercitio officii episcopalis, Episcopo suum titulum conservante, sunt : captivitas, dementia, et sententia excommunicationis vel suspensionis.

I. Captivitas Episcopi suspendit usum illius jurisdictionis quæ eo ipso ad capitulum devolvitur, ac si sedes vacaret. Ita statuit cap. *Si Episcopus*, 3, DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM, lib. I, in VI° : « Si Episcopus a paganis, aut schisma« ticis capiatur, non Archiepiscopus, sed capitulum, ac si « sedes per mortem vacaret, in spiritualibus et temporalibus « debebit ministrare, donec eum libertati restitui, vel per « Sedem Apost., super hoc per ipsum capitulum quamcito « commode fieri potest consulendam, aliud ordinari conti« gerit. »

Nonnulli canonistæ hunc textum interpretantur de sola servitute proprie dicta in quam redigeretur Episcopus, et rationem dispositionis juris dicunt esse quod servitute amittantur jura civilia ; unde concludunt sedem episcopalem hoc in casu haberi veluti vacantem. Verum, textus decretalium propter suam generalitatem intelligi potest de omni captivitate qua malitia seu paganorum, seu hæreticorum, vel schismaticorum, Episcopus sua libertate privatur, non solum si in servitutem redigatur, sed etiam si intrudatur in carcerem. Insuper, merito animadvertit Pirhing Episcopos captos ab infidelibus vel hæreticis non amittere jura civilia aut ecclesiastica; quapropter in tali statu possent per epistolas suis subditis præcipere, suamque Ecclesiam administrare, exemplo sancti Marcelli papæ et martyris qui, captus a paganis, Ecclesias quas præsens non poterat, per epistolas visitavit, atque

SS. Polycarpi, Ignatii, et aliorum plurimorum Pontificum. Igitur dicendum arbitramur genuinum sensum juris esse, Episcopo impedito, non valente consequenter per seipsum neque per suos vicarios generales diœcesim administrare, jurisdictionem devolvi ad capitulum, ac si sedes vacaret; quia disciplinæ generali consentaneum est ut defectum Episcopi capitulum suppleat, donec majori remedio provideatur per Sum. Pontificem. Hoc idem dicendum quoque putat Pirhing si Episcopus in loca remota discesserit diu abfuturus, et nullum vicarium, vel administratorem constituerit [1].

200.—II. Alia causa est dementia, dementia, inquam, perpetua; nam de morbo incidente qui aliquantisper aufert rationis usum non est difficultas. Porro, quando dementia declaratur, ambiguum est utrum jurisdictio devolvatur ad capitulum, vel maneat penes vicarium generalem, usquedum Sancta Sedes providerit.

Quæstio considerari potest sub duplici respectu, juris naturalis et juris canonici. Quibusdam visum est Episcopum amittere suam jurisdictionem eo ipso quod incidit in eum statum ut nunquam ea uti possit; ad quid enim inserviet bono publico, inquiunt, potestas jurisdictionalis quam nullo modo exercere valebit usque ad finem suæ vitæ? Hoc tamen non convincit; tum quia jura humana semel legitime acquisita conservantur, etiamsi qui illa habet non possit exercere per seipsum, modo exerceri possint ipsius nomine, delegatione facta; tum quia plerumque ignoratur an dementia sit perpetua.

Si ad jus canonicum attendatur, est cap. *Pastoralis*, 1, DE CLERICO ÆGROTANTE, lib. III, in VI°, in quo Bonifacius VIII sic habet : « Sancimus ut Episcopus senio aut valetudine corpo-« rali gravatus vel alias adeo impeditus, ut officium suum ne-

[1] Pirhing, in *Titul. X*, lib. I Decret., n[is] 16-20. — Reiff., eod. tit., n° 38.

« queat exercere, possit de sui consilio et assensu capituli, « unum vel duos, auctoritate apostolica, coadjutores assu- « mere, ad dictum officium exsequendum. Si vero Episcopus « demens fuerit, et quid velit aut nolit exprimere nesciat aut « non possit, tunc ejus capitulum vel duæ ejus partes, aucto- « ritate apostolica, unum aut duos coadjutores assumant « idoneos qui ejus officium exsequantur. Si autem Episcopus « senio aut incurabili morbo gravatus, ad sui officii execu- « tionem inutilis et coadjutorem habere noluerit, licet a capi- » tulo requisitus, tunc nihil a capitulo innovetur, sed hoc « casu, et etiam proximo, idem capitulum Episcopi et Eccle- « siæ suæ conditionem et statum, et facti circumstantias « universas, explicite referat ad notitiam dictæ Sedis, recepturi « humiliter et impleturi quod super hoc per Sedem ipsam « contigerit ordinari. »

In hoc textu Bonifacius VIII duplicem hypothesim effingit: vel Episcopus valetudine corporali aut dementia impeditus, potuit et voluit sibi adjungere viros idoneos ad suum officium exsequendum, vel non potuit, seu non voluit. Si 1°, hi quos elegerit Episcopus, ipsius nomine regent diœcesim; quod etiam de casu quo inciderit in amentiam intelligendum est, textus enim hunc casum indicat. Si 2°, capituli erit providere regimini Ecclesiæ, unum aut duos idoneos assumendo. Cæterum, in utroque casu necesse est, si dementia præsumatur perpetua, statum rerum quantocius manifestare Sanctæ Sedi.

Hinc concludimus perdurare jurisdictionem vicariorum Episcopi in dementiam lapsi, quoadusque aliter ordinatum fuerit a Sancta Sede. Plures canonistæ dicunt jurisdictionem devolvi ad capitulum; sed nobis videntur ratiocinari in hypothesi qua Episcopus nullum vicarium designaverit; perpendunt ad quem in tali casu pertineat regimen diœcesis, an ad Metropolitanum, an ad capitulum; et dubium resolvunt in favorem capituli, quia Metropolitanus non debet exercere jurisdictionem in suffraganeorum subditos, nisi in casibus

a jure determinatis. « Generaliter loquendo, ait Pirhing, in « omni casu quo Episcopus suum officium exercere non « potest, nec alteri committere, ut si fiat mutus, vel furio-« sus, capitulum supplet illius vices in administratione, do-« nec aliud a Papa ordinatum fuerit. » (Loco citato.)

201. — III. Tertia causa est sententia excommunicationis aut suspensionis. Quamdiu censura non est denuntiata, Episcopus suum officium valide exequitur; quando autem denuntiata est, illico suspenditur jurisdictio, et vicarii generales nihil amplius possunt.

Ad quem igitur devolvetur jurisdictio? Non ad Metropolitanum, cum id non sit expressum in jure, ut notatur in cap. *Romana*, 1, DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA, lib. I, in VI°. In eo omnes consentiunt.

Nec etiam ad capitulum. Est quidem in favorem capituli quod deputatur a jure quando sedes vacat, et sedes vacare moraliter censetur ex quo jurisdictio Episcopi fuerit suspensa per censuram. Insuper plures sentiunt jurisdictionem residere habitualiter in Ecclesia cathedrali, id est in Episcopo et capitulo, ut exponit Card. de Luca, discurs. XXXI in conc. Tridentinum, n^is 1, 2, 3; unde sequeretur quod, impedito capite, « jure consolidationis, vel ex jure non decrescendi, « universa jurisdictio, seu totum jus cathedraticum, tam in « habitu quam in exercitio, remanet penes capitulum. »

Sed hæc non sufficiunt, et multa suadent capitulum non posse sibi vindicare jus administrandi diœcesim, Episcopo excommunicato, vel suspenso. 1° Auctoritas DD. inter quos citare est Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Leurenium, et præsertim doctum Fagnan, qui, quæstione relata ad S. Congregationem, et ipse consultus quid sibi juris esse videretur, respondit in hoc casu non esse locum electioni vicarii capitularis. 2° Praxis diuturna, quæ est legum interpres optima. Testatur Fagnan, multisque exemplis probat, Episcopo excommunicato, capitulum non administrare, sed a Sancta Sede

constitui vicarios apostolicos. 3° Jurisdictio non competit capitulis jure divino, sed concessione Ecclesiæ, lege scilicet canonica; jus autem statuit generaliter pro casu quo sedes vacat morte naturali, vel Episcopus impeditur sive captivitate, sive valetudine corporali, non vero pro casu illo extraordinario de quo nunc agimus : ergo capitulum assumere nequit regimen diœcesis[1].

De concilio provinciali major est difficultas. Ex decreto superius (nº 197) allato concilii Tridentini, dubitandum non est quin concilium provinciale valeat ferre sententiam suspensionis ad tempus contra Episcopum : at dum illum suspendit ab officio, potestne providere regimini diœcesis per delegationem vicarii generalis quoadusque reus fuerit absolutus a censura?

Hanc delegationem non excedere limites potestatis concilii duo probare videntur, nempe ipsum decretum Tridentinum, et gesta in synodo Ebrodunensi, approbata a Benedicto XIII. Patres Tridentini conservatam voluere quoad causas criminales minores Episcoporum, jurisdictionem veterem conciliorum provincialium quæ olim omnes causas, in prima instantia, complectebatur. At vero concilia provincialia quæ pœnas tum depositionis, tum suspensionis ferebant in comprovinciales, simul providebant regimini Ecclesiæ Episcopi rei, ne destituta rectore maneret; ergo præsumendum est id etiam nunc posse concilium provinciale. Quod ad gesta synodi Ebrodunensis attinet, certum est hanc synodum, habitam an. 1727, tulisse sententiam suspensionis ab omni officio et jurisdictione episcopali in D. Soanen Ep. Senecensem, donec satisfecerit, et simul eadem sententia elegisse et constituisse vicarium generalem in tota diœcesi, pro tempore quo permansura erat censura. Hæc ea de re notanda sunt : 1° Patres

[1] Pirhing, DE SUPPLENDA, etc., nis 13 et 14. Leurenius, in eumdem tit., quæst. 449.— Fagnan, in cap. *Quia diversitatem*, DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, nis 16-34 (in lib. III Decret.).

concilii litem ordinaverunt, non tanquam delegati a Sede Apostolica, sed uti judices ordinarii, vi disciplinæ generalis a conc. Tridentino constitutæ pro causis minoribus criminalibus Episcoporum; siquidem nec in processu prævio, nec in ipsa sententia, allegata fuit delegatio apostolica, ne insinuata quidem. 2° Ne prætergrederentur limites decreti Tridentini et ut procedere valerent jure proprio, iidem Patres caverunt ne induceretur causa formalis hæresis, nec ferretur sententia privationis; ipsis idcirco satis fuit pœna suspensionis [1]: 3° Benedictus XIII ad quem, more solito, acta concilii delata sunt ut ea sua auctoritate confirmaret, impense collaudavit zelum et prudentiam Patrum synodi, suæque auctoritatis robur et subsidium adjecit, nihil insinuando unde quis concludere potuerit jus canonicum violatum ullo modo fuisse per sententiam suspensionis, et per constitutionem vicarii generalis in diœcesi Senecensi.

Hæc quidem sententia nobis probabilissima est; cum tamen dici utcumque posset Benedictum XIII tolerasse in eo casu aliquam infractionem canonum ratione habita temporum, ad majus bonum obtinendum; et quod deerat supplevisse assentiendo his omnibus quæ gesta fuerant; id saltem concludimus ex dictis, quod ad praxim sufficit, nimirum concilium provinciale sententiam suspensionis ferendo, posse simul providere regimini diœcesis per constitutionem vicarii ad tempus, donec ipsa Sancta Sedes vicarium in hoc officio confirmet, approbando acta concilii, vel alio modo provideat.

[1] Archiepiscopus Ebrodun. Petrus de Tensin scribebat Romam tempore quo processus incipiebat : « Notre concile ne fera rien qui puisse déplaire « aux canonistes de Rome. Nous n'irons, par rapport à M. de Sénez, ni « jusqu'à la déposition, ni jusqu'à la privation du bénéfice.» (*Histoire de la condamn. de M. l'évêque de Sénez*, chap. IX.)

ARTICULUS IX. — DE REGIMINE DIŒCESIS, SEDE VACANTE.

Tria præsertim inquiruntur : 1° cui demandetur sede vacante administratio diœcesis; 2° quæ sint jura administratoris ; 3° quandonam illa administratio cesset.

202. — 1° *Quomodo provideatur regimini diœcesis, sede episcopali vacante?*

Distinctione opus est inter Ecclesias quæ habent capitulum canonicorum cathedrali annexum, et Ecclesias quæ non habent. In hoc secundo casu sunt regulæ consignatæ in Constitutione Benedicti XIV *Quam ex sublimi* (an. 1755). Cum hæc locum non habeant apud nos, notare satis sit vicarios apostolicos et antistites residentiales quibus datus non fuerit coadjutor cum futura successione, eligere vicarium generalem qui, sede vacante, Ecclesiam regat auctoritate apostolica. Si hanc cautionem neglexerint, parochi, et illorum loco cæteri sacerdotes vicariatus, conveniunt de electione vicarii qui administret, quoadusque S. Pontifex aliquid statuere potuerit.

Cæteris in Ecclesiis quæ habent capitulum, observatur decretum concilii Tridentini : « Capitulum sede vacante officialem seu vicarium infra octo dies post mortem Episcopi « constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, « qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel « alias quantum fieri potest idoneus. Si secus factum fuerit, « ad Metropolitanum deputatio ejusdem devolvatur. Et si « ipsa Ecclesia metropolitana fuerit... antiquior Episcopus « ex suffraganeis vicarium constituere possit. » Sess. XXIV, cap. XVI.

Multa hic observanda veniunt ad intelligentiam decreti. Hæc præcipue :

I. Intra octo primos dies a sedis vacatione, capitulum administrare potest diœcesim; administratio pertinet ad omnes

canonicos collective, id est capitulariter agentes[1]. Ratio est quod capitulum, cui jure communi competit jurisdictio, tamdiu eam per seipsum exercere valet, quamdiu non obligatur ad illam delegandam : porro jura illud non adstringunt ad deputationem vicarii intra octo primos dies.

II. Necesse est ut ultima saltem die vicarius eligatur. Concilium id statuit quia regimen collectivum pluribus et quandoque gravibus incommodis obnoxium est. Negotia non aguntur eadem unitate spiritus, atque celeritate, quam si unus solus gubernacula teneat.

Ad præcavendum negligentiam capituli, concilium statuit deputationem vicarii devolvi ad Metropolitanum, vel ad Episcopum antiquiorem, in casu quo elapso octiduo capitulum electionem non consummaverit. Non consentiunt canonistæ utrum effectus hujus devolutionis sit privare capitulum jure eligendi, adeo ut electio facta post hos dies sit nulla etiamsi Metropolitanus non adhuc providerit; an hæc devolutio rem tantummodo cumulative deferat ad Metropolitanum cum capitulo, ea conditione ut alterutrius actus teneat qui prius deputaverit vicarium. Plures dicunt jus deputandi vicarium dari Metropolitano *cumulative*, non *privative*, quod probant : 1° ex natura hujus devolutionis, quæ pro objecto non habet beneficium, ac proinde non sequitur regulas consuetas et rigorosas devolutionis beneficiorum; 2° ex fine concilii quod præsertim intendit providere quam cito regimini diœcesis per vicarium; unde si capitulum prævenerit Metropolitanum, non est cur invalida præsumatur deliberatio capitularis[2]. Cæteri canonistæ generaliter dicunt per devolutionem ad superiorem amitti jura inferiorum, adeo ut nullæ sint nominationes, seu provisiones factæ ab illis, nisi superior eas saltem tacite ap-

[1] Barbosa, *de Off. Episcop.*, allegat. LIV, n° 165. — Ferraris, v° *Capitulum*, art. 3.

[2] Cf. Barbosa, *de Off. Episcop.*, alleg. LIV, n° 164. — Garcias, *de Beneficiis*, part. V, cap. VII, n° 7.

probet. Hanc opinionem magis fundatam diximus supra, ubi de Metropolitanorum officio (nº 157).

Alia quæstio movetur inter canonistas, utrum scilicet casu quo capitulum elegerit aliquem non idoneum, deputatio vicarii capitularis devolvatur ad Metropolitanum, perinde ac si nominatio vicarii peracta non fuerit intra octiduum, de quo dissentiunt auctores. Alii, inter quos unum præ cæteris citabimus card. de Luca, affirmant : « quoniam collatore ne- « gligente suam facultatem exercere, vel eam male exer- « cente, tunc pro ea vice ipse privatur tali facultate, quæ « devolvitur ad superiorem in pœnam negligentiæ non con- « ferendi, vel non eligendi, vel in pœnam culpæ male eli- « gendi. » (Card. de Luca, *de Canonicis*, discurs. XXIV, nis 7-10.) Suam sententiam confirmant ex adductis decisionibus S. Congregationis Concilii Tridentini, et comparatione facta inter capitulum et Patronum qui scienter præsentat indignum. Quum vero, ex jure recepto, Patronus ille suo jure hac vice privetur, concludunt idem dicendum esse de capitulo, si clericum non idoneum elegerit in vicarium capitularem.

Alii, inter quos Pignatelli, negant; quia « devolutio hujus « modi est pœna imposita principaliter ob negligentiam in « gerendo actu, quæ non debet extendi ad casum quo actus « quidem gestus est, sed nulliter, quum minus sit peccare « in qualitate quam in substantia... et quia regulariter con- « ceditur aliquid fieri per secundum actum, quando per pri- « mum non valuit, nec fuit satisfactum menti disponentis. » Ita citatus canonista Pignatelli (tom. VIII, consult. XXXIV, nis 13-21), qui et ipse multas decisiones S. Congregationis affert, quibus S. Congregatio censuerit archiepiscopum debere constituere capitulo terminum octo dierum ad eligendum novum vicarium, dotibus jure requisitis instructum, et eo non electo omnem potestatem in archiepiscopum transferri. Dubium in solvenda quæstione oritur ex textu concilii supra allato, ubi constituto quod capitulum debeat intra octo dies

eligere vicarium, qui certas dotes habeat, additur : *si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio ejusdem devolvatur*. Hæc debentne referri solummodo ad partem præcipuam legis, quod nempe electio fiat intra octiduum, vel insuper ad adjuncta, quod eligendus habeat has seu alias dotes? Quum in hoc decreto derogetur juri veteri capitulorum, existimamus textum concilii sumendum esse sensu strictiori, et dubia solvenda in partem favorabiliorem capitulis. Quamobrem, casu quo vicarius designatus non habet dotes requisitas, Metropolitanus debet constituere capitulo terminum octo dierum ad eligendum novum vicarium, nisi forte capitulum scienter elegerit indignum, quo casu diceremus cum cardin. de Luca deputationem devolvi ad Metropolitanum.

III. Electio vicarii capitularis fit convocatis omnibus qui convenire possunt et jus habent suffragii. Nihil refert utrum suffragia dentur scrutinio secreto, etsi anteponendus videatur ille modus, qui majorem libertatem electoribus relinquit. Qui majoritatem absolutam obtinuerit, ipso jure fit vicarius capitularis, et suscipit regimen diœcesis, quin opus sit ulla institutione canonica.

203. — II° *Utrum capitulum plures simul vicarios eligere possit?*

Concilium Tridentinum loquitur de deputatione vicarii in singulari ; dum e contra eodem decreto statuit capitulum, ubi fructuum percipiendorum munus ipsi incumbit, debere œconomum unum aut plures nominare qui rerum ecclesiasticarum curam gerant. Hinc ortum est dubium an capitulum possit plures vicarios deputare.

Dubium ea de quæstione exortum sensu affirmativo solverunt canonistæ non pauci, ex quibus citabimus Barbosa, Schmalzgrueber, Wiestner, Fermosini, qui eodem modo ratiocinati sunt de jure capituli ac de jure Episcoporum quibus communiter conceditur ut plures vicarios generales habere valeat, tametsi in decretalibus agatur de vicario, seu officiali

in singulari [1]. Alii canonistæ communius dicunt unum solum vicarium eligi debere, secluso casu legitimæ consuetudinis; quod probant 1° ex textu concilii Tridentini de uno vicario, non de pluribus statuentis; 2° ex mente concilii quæ fuit providere unitati regiminis et faciliori expeditioni negotiorum; 3° auctoritate S. Congregationis, quæ sæpius respondit ad interrogata unum tantummodo eligendum esse vicarium, addito tamen « non esse sublatam consuetudinem duos aut « plures eligendi, præsertim immemorabilem. » (1592, 21 april. — 1639, 19 mart.) In variis decisionibus quæ passim apud canonistas referuntur S. Congregatio loquitur de *consuetudine præscripta*, et frequenter etiam de consuetudine *præsertim immemorabili;* nullibi vero declarat non aliam consuetudinem suffragari posse præter immemorabilem. Ex datis decisionibus Garcias concludit quod « ubi consuetum « est per Episcopos teneri duos aut plures vicarios, capitu- « lum sede vacante idem facere poterit, et ita esse videtur de « mente concilii. » (*De Beneficiis*, part. V^{a}, cap. VII, n° 37.)

In Ecclesiis Galliarum prævaluit olim consuetudo ut capitula pro suo prudenti arbitrio, attentis circumstantiis, unum aut plures vicarios constituerent, cujus praxis ratio fuit, tum interpretatio a canonistis Gallis data concilio Tridentino cujus decretum intellexerunt eodem modo quo plures canonistæ exterarum nationum quos supra citavimus, tum praxis Episcoporum plures vicarios sibi associandi, tum insuper plurium diœceseon amplitudo quæ talis erat ut moraliter impossibile videretur vicarium, si solus esset cum jurisdictione ordinaria, tantæ administrationis onus sustinere.

Eadem consuetudo constans permansit a tempore Concordati usque ad hodierna tempora quin ulla reclamatio inter-

[1] Barbosa, *de Officio Episcopi*, allegat. LIV, n° 167; — Schmalzgrueber, in tit. DE OFFICIO VICARII, n° 16; — Wiestner, ibid., n° 24; — Fermosini, tract. *de Capitulo sede vacante*, quæst. IX, n. 28, 29; — et alii quos citat Leurenius, tract. *de Vicario*, quæst. 547.

cesserit ex parte S. Sedis. Nedum reclamaret tacite seu implicite, approbare visa fuit. Etenim 1°, quando vicarii capitulares litteras direxerunt ad S. Pontificem indulta postulaturi, aut ortas difficultates super certis negotiis referentes, rescripta receperunt ab eadem Sede quorum hæc ordinaria fuit nscriptio: *Vicariis a capitulo Ecclesiæ cathedralis N., sede episcopali vacante, canonice electis.* Hæc autem inscriptionis forma quæ non præjudicat juri communi, si forte vitia occulta, S. Sedi ignota, electionem nullam reddiderint, innuit saltem canonicam esse deputationem plurium vicariorum capitularium; si enim jus canonicum repugnaret quin capitula Ecclesiarum Galliæ plures simul vicarios eligerent, qua ratione rescriptum fuisset ad eosdem vicarios manifeste præter jus electos: *Vicariis capitularibus canonice electis?* 2° Pluries ministri S. Sedis eo modo ad vicarios capitulares scripserunt qui nullum dubium ea de re relinquere videbatur. Sic, ut unum exemplum afferamus, Card. Pacca rescribens die 19 Aug. an. 1814 ad vicarios capitulares Ecclesiæ Nannetensis super variis propositis quæstionibus, dixit: « Quanto « alla nomina di vicarj fatta dal capitolo nella loro persona, « *e indubitata;* che monsignor Duvoisin fu canonicamente « istituto in virtù di bulle apostoliche, ed essendo rimaste « vacante codesta sede per la di lui morte, il capitolo si è « giustamente servito del dritto che gli accordano, e ha « soddisfatto al dovere che gli ìmpongono i sagri canoni, « prescrivendo il Tridentino, sess. XXIV, de Ref., cap. VI...; « ed in consequenza *avendo legittimamente eletto secondo « l'uso delle chiese di Francia piu vicarj, debbono intito- « larsi vicarj capitolari*, e continuare l'amministrazione della « dìocesi fino a tanto che il novo vescovo, dopo avere ot- « tenute dalla S. Sede le bolle della sua canonica istitu- « sione entri al possesso di codesta chiesa vacante. Tanto mi « accade di dover significare alle signorie vostre, in risposta, « per comando di Sua Santità, nel atto che le dichiaro i

« sensi della sincera stima con cui mi confermo delle signorie « vostre illustrissime... Roma 27 agosto 1814.—Card. Pacca.» Animadvertendum card. Pacca, dum litteris, jussu Pii VII scriptis, declarabat quod capitulum *legitime elegerit plures vicarios juxta usum Ecclesiarum Galliæ*, satis aperte significasse opus non fuisse nova ab anno initi concordati consuetudine, per multos annos continuata atque præscripta; cum hæc scriberet anno 1814, et pro Ecclesia Nannetensi cujus Sedes Episcopalis prima vice vacabat a nova rerum ordinatione. Hæc igitur ad veterem usum referebat, ob eam verisimiliter rationem quod hujusmodi consuetudo ex iis erat quæ cum per totam regionem Galliæ invaluissent, independentes erant a nova diœceseon circumscriptione, et novo statui diœceseon consentiebant, non secus ac veteri. 3° Anno 1843 Episcopus Diniensis statuta capitularia cum assensu capituli Ecclesiæ cathedralis edidit, quæ et approbationi S. Sedis subjecit. His statutis supponitur liberum esse capitulo, *attenta consuetudine et diœcesis latitudine* plures vicarios eligere sede vacante, si necessarium visum fuerit, ea tantum lege ut paucissimos eligeret ad mentem concilii. S. Pontifex Gregorius XVI hæc statuta præconio apostolico cohonestari voluit, decreto scilicet quo laudatur sollicitudo pastoralis ac studium Episcopi in conficiendo statuta, sacris canonibus, quantum datum erat, conformia. 4° Demum, plura concilia recens celebrata in Galliis, nempe Aquense, Auscitanum, Avenionense, Burdigalense, Bituricense, Remense, Senonense, Tolosanum, Turonense, expressis verbis declaraverunt capitulum posse deputare plures vicarios, *uti mos est in Galliis... secundum morem in Galliis receptum... ex diuturna consuetudine.* Unum solum citare sufficiat provinciæ Remensis :
« Quoniam apud Galliarum Ecclesias, propter nimiam diœceseon extensionem, Episcopus duos, Archiepiscopus tres « habeat vicarios generales a gubernio stipendium recipientes; « ex diuturna consuetudine capitulum potest aut eosdem

« eligere sub vicariorum capitularium nomine, aut alios ipsis « adjungere, vel etiam substituere. Numerus autem eorum « vicariorum non progrediatur ultra modum ne recedatur a « mente concilii Tridentini. » Hæc concilia examini atque revisioni S. Congregationis prius subjecta, ex more solito, de ejusdem Congregationis auctoritate publicata sunt in suis respective provinciis, quin ullam mutationem in eo quod ad præsens caput attinet, S. Congregatio indixerit aut innuerit. Probe novimus, quod et suo loco notabitur (n° 228), recognitionem factam, et datam facultatem a S. Congregatione, non esse approbationem formalem et proprie dictam singulorum decretorum; verumtamen si attendatur ex una parte ad finem hujus præviæ recognitionis, si altera ex parte animo recolatur multa in iisdem conciliis notata fuisse resecanda, alia immutanda, quæ non erant certe majoris momenti ac constitutio vicariorum ad regimen diœceseon sede episcopali vacante; tandem si consideretur numerus conciliorum quæ eodem modo disciplinam provinciarum explicaverunt, ad quod non potuit S. Congregatio non attendere, illico concludetur capitula debuisse reputare se nihil contra disciplinam canonicam in suis regionibus vigentem agere, deputando duo aut plures vicarios pro regimine diœcesis, sède vacante.

Fertur Cardinalem præfectum S. Congregationis hæc annotasse in suis animadversionibus in relationem status diœcesis quem Em. Cardinalis Archiepiscopus Remensis Romam miserat : « Quod innuis, sede vacante, tres vicarios capitu« lares eligi solere, animadverterunt Eminentissimi Patres « capitula cathedralium infra octo dies post obitum Episcopi « unum duntaxat vicarium capitularem, non autem duo aut « plures deputare debere. Monebis itaque capitulum ut, « quando vacatio ceciderit, huic disciplinæ adhæreat. »

Absit ut velimus retinere, vel una die, disciplinam quam Sancta Sedes immutare præceperit; quod vero id præceptum sit generaliter Ecclesiis Galliæ, ex citatis animadversionibus

non apparet; nec aliunde probabile est Sanctam Sedem hocce modo indirecto, nullo decreto intercedente, voluisse ut aboleretur disciplina expresse sancita decretis tot conciliorum quorum solemnem promulgationem fieri in provinciis annuit, post peractam seriam eorumdem decretorum recognitionem. Merito igitur conjicimus Em. Cardinalem Præfectum S. Congregationis, in hunc finem ea de re adductum ut declararet quid præscriptum sit jure communi, respondisse ad mentem Eminentissimorum Patrum, abstrahendo a consuetudinibus locorum, unum solum vicarium, non plures eligi oportere. Nulla proinde est inter Card. Præfectum et Card. Pacca ne species quidem contradictionis, dum alter respondit ex jure communi capitulum debere unum solummodo eligere, dum alter responderat ex mandato Pii VII, capitulum legitime elegisse plures vicaros juxta usum Ecclesiarum Franciæ. « La nomina di vicarj è indubitata... il capitolo avendo legittamente eletto secondo l'uso delle chiese di Francia piu vicarj... » Hæc est ratio, cur nonnulla capitula, licet non ignoraverint quod in folliculis publicis insertum fuerat de animadversionibus factis in relationem status Ecclesiæ Remensis, existimaverint posse tuto sequi veterem disciplinam suorum conciliorum decretis sancitam, dum alia aliter ordinandam duxerunt administrationem Ecclesiæ sede vacante[1].

204. — Quando plures vicarii electi sunt, habent singuli jurisdictionem in omnem diœcesim, in solidum, eadem ratione ac vicarii generales Episcopi, adeo ut necesse non sit ad

[1] Nonnulla capitula recenter elegerunt unum vicarium generalem cui alterum in auxiliarem dederunt ea lege ut eadem jura utrique essent, auxiliaris vero indigeret assensu præcipui vicarii ad certos actus regiminis, puta ad nominationem, seu revocationem rectoris Ecclesiæ succursalis. Existimabant ea ratione diœcesim regi ex præscripto juris communis, consultum fore variis multiplicibusque necessitatibus diœcesis, et provisum denique ut a gubernio civili uterque pro vicario capitulari haberetur. Id optimo quidem jure fecerunt, si habuerunt indultum apostolicum; sin aliter, scopum intentum non attigerunt; valde enim dubium est ex dicendis infra (n° 207) quod vicarius capitularis teneatur sibi assumere in auxiliarem illum quem capitu-

valorem actus, ut quod ab uno geritur aliorum expresso consensu firmetur. Cæterum unitas servanda in regimine diœcesis exposcit ut cuncta quæ ad disciplinam generalem diœcesis attinent, non secus ac graviora negotia, communi deliberatione componantur, quod hucusque constanter in usu habuerunt, ita ut Ecclesiæ nullum reipsa detrimentum passæ sint, seu in regiminis unitate, seu in prompta negotiorum expeditione, ex pluralitate vicariorum capitularium.

Addere liceat pluralitatem vicariorum capitularium, nedum nocumentum attulerit Ecclesiis Galliæ, utilem fuisse sub duplici respectu. Primo quidem multum contulit ad removendum innovationes in regimine diœcesis, sede vacante ; cum enim capitula in usu habeant seligere vicarios defuncti Episcopi quibus communiter alterum e suo gremio adjungunt, nihil mutatur in regimine, sed cuncta eadem ratione perstant; fovetur concordia inter administratores diœcesis et capitulum; et vitantur commotiones animorum, donec novus titularis sedis episcopalis advenerit... Præterea, si gubernium civile quandoque tentaverit, sede vacante, nominationes promovere, aut aliquid inducere in diœcesim, quod minus consentiret regulis canonicis, aut expedire non videretur ad bonum sacræ disciplinæ, graviora impedimenta incurrit ex parte plurium vicariorum qui communi consilio moras afferebant, quam si unus solus vicarius regiminis habenas habuisset... Tandem si venerint tempora difficiliora in quibus canonici non possent facile convenire in cœtum, et

lum designaverit : incerta proinde erit conditio hujus prætensi vicarii; dubium etiam erit, quod ad gubernium attinet, an velit auxiliarem habere pro vicario capitulari, illi attribuere pensionem solitam ex ærario publico, illius gesta quæ cum ordine civili conjunguntur, acceptare. Nobis igitur videtur hæc capitula, sub obtentu servandi jus commune, a jure communi, simul et a disciplina in Ecclesiis Galliæ a tempore immemorabili stabilita, recessisse, et novitatem in regimine diœcesis induxisse, quam sola auctoritas S. Sedis probare valet. Magis alienum esset a regula nominare, una simul cum vero vicario, unum aut duos qui titulum vicariorum, ut ita dicam, mere civilem habeant, sine vera jurisdictione in diœcesim.

alter ex vicariis decesserit, provisum erit regimini diœcesis, donec unus superstes erit ex deputatis a capitulo ad officium vicariatus... Quid in futurum adveniet, ignoramus; sed omnia hæc sunt certe seria attentione consideranda canonistis antequam moliantur, scriptis etiam publicis, provocare mutationem disciplinæ localis, quæ per longum tempus invaluit. Satius et multum consultius nobis visum est explicare quibus rationibus hæc disciplina fuerit inducta in nostris regionibus et quid in bonum profecerit; eadem observantia colere capitula quæ plures aut unum vicarium nominant, prout opportunum judicaverint, dummodo stent intra limites juris; quia utramque rationem providendi regimini diœcesis legitimam reputamus, donec Sancta Sedes aliquid ea de re in contrarium decreverit. Ad S. Pontificem solum pertinet definire an jus commune prævalere debeat veteribus consuetudinibus locorum, aut ratio habenda sit earumdem consuetudinum; ipsius est ponderare commoda et incommoda utriusque praxis pro locorum et temporum conditione; ipsius tandem regulam statuere cui omnes incunctanter obsequemur.

205. — III° *Quinam eligi possint in vicarios capitulares?*

Conditiones ex parte eligendi in vicarium capitularem sunt: ætas et idoneitas.

I. Circa ætatem nihil præfinierunt canones. Doctores supponunt sufficere ætatem 25 annorum, et statum clericalem cui initiatus sit saltem per primam tonsuram, ut supra diximus de Vicario generali Episcopi.

II. Idoneitas est scientia juncta cum prudentia et bonis moribus. Conc. Tridentinum dicit: « Capitulum constituere « teneatur vicarium... qui saltem in jure canonico sit doctor « vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. » Hæc ultima verba duobus dubiis locum dederunt : Cur dicitur *saltem* doctor in jure canonico ? Quonam sensu additur : vel *alias* idoneus ?

Quoad primum, existimamus hunc esse sensum concilii

quod optandum sit vicarium decorari simul laurea duplicis doctoratus in theologia et jure canonico; verum, si unus ex gradibus deficiat; desideratur *saltem* graduatus in jure, quia scientia juris canonici magis necessaria reputatur ad regimen Ecclesiæ. « Viri theologi, ait Fermosini, etsi litteratissimi sint, non satis jurisprudentiæ praxim et theoriam callent, et quia proinde multoties ex capite, pro arbitrio, sententias proferunt, solent a veritate et justitiæ tramite deviare. » (*De Capitulo sede vacante*, quæst. IX, nº 18.)

Quoad secundum, plures interpretati sunt textum concilii eo sensu ut prudenti arbitrio capituli dimittatur eligere vel graduatum, vel non graduatum, modo tamen, in hoc casu, certo sibi constet de illius idoneitate. Rationem suæ interpretationis dant quod dictio illa *vel alias* sit alternativa et disjunctiva quoad effectum [1]. « Usus invaluit, ait Fermosini, loco « allegato, in nostris cathedralibus Hispaniæ, ut aliquando « eligantur de gremio capituli qui non sunt doctores, et hoc « credo sustineri posse, si alias eligatur prudens et idoneus. » Aliter concilium interpretata est S. Congregatio : improbavit nimirum et sæpius irritam declaravit deputationem vicarii capitularis non doctoris, omissis doctoribus seu licentiatis [2], etiamsi unus duntaxat adfuerit de gremio capituli laurea doctoratus insignitus.

Verumtamen, cum hæc qualitas doctoratus non sufficiat, utpote quæ non certam reddat probitatem, prudentiam, idoneitatem ad curam animarum, nihil certe magis adversaretur menti concilii quam electio doctoris non idonei, vel quoad mores, vel quoad prudentiam, omisso altero, qui licet doctoratu destitutus, præstat majori prudentia. Cæteris igitur paribus anteponatur doctor; sed ille semper præ aliis deputetur ad regimen diœcesis, qui, omnibus attentis, magis idoneus reputatur.

[1] Barbosa, *Dictionarium*, nº 415.
[2] *Thesaurus resolutionum S. Cong.*, tom. XXXVII, pag. 238 et seq.

In Gallia gradus academici requirebantur pro officio vicarii generalis Episcopi; idem servari debuit pro vicariis capitularibus. A tempore autem Concordati, cum perpauci fuerint apud nos presbyteri laureati, ob destructas universitates in perturbatione generali rerum, necessitas fuit non attendendi ad hanc qualitatem.

III. Alia demum est difficultas : utrum scilicet capitulum eligere debeat vicarium e suo gremio, vel æque possit pro arbitrio extraneum assumere.

Multi canonistæ tenent eligendum esse membrum capituli, si unum idoneum reperiatur; quod probant tum ex variis responsis S. Congregationis quæ leguntur in *Thesauro resolutionum* (tom. XXXIII, pag. 56); tum ea ratione quod cum capitulo sit interdictum regere collective diœcesim sede vacante, sed debeat constituere vicarium, subauditum censetur, hunc vicarium e capituli gremio assumendum esse, ut ab uno sui membro capitulum repræsentetur, et sic quantum fieri potest retineatur vetusta traditio, juxta quam Ecclesiæ viduatæ suo pastore regebantur a presbyteratu Cathedralis.

Hæc suadent quidem conveniens esse ut, cæteris paribus eligatur capitularis, sed non probant id omnino requiri. 1° Concilium Tridentinum nihil ea de re statuit, nec verbo quidem insinuavit capitulum non debere aliter providere regimini diœcesis quam per unum vicarium e suo gremio assumptum. 2° Nullum adducitur decretum more solito legum promulgatum quo præscribatur eligendum fore vicarium e gremio capituli. Quamobrem responsiones datæ a S. Congregatione vel id solummodo innuunt quod magis expedire videatur, non vero imponunt obligationem strictam; vel datæ sunt conformiter ad disciplinam usu receptam in quibusdam Ecclesiis, et cæteras non afficiunt quæ easdem consuetudines non habent (n° 107). 3° Consuetudo contraria invaluit in multis regionibus ut nimirum capitula fruantur libertate eligendi alios quam canonicos Ecclesiæ cathedralis. Hanc con-

suetudinem testatur Card. de Luca, atque eam utilem existimat ad conciliandam auctoritatem vicario capitulari, et præcavendum factiones, si partes sint divisæ in capitulo. (*Discursu* XXXI, n° 20, *in conc. Trid.*) Eamdem consuetudinem vigere in Galliis, a tempore immemorabili omnes norunt. Ergo capitula possunt assumere extraneum ad officium vicarii.

206. — IV° *Quænam sint facultates capituli, et vicarii capitularis sede vacante?*

Capitulum habet jurisdictionem tum voluntariam, tum contentiosam quæ Episcopis propria est, his solum exceptis quæ a jure reservantur.

I. Sunt canonistæ qui putant capitulum succedere Episcopo quoad illa solum quæ reperiuntur in jure concessa. Alii dicunt capitulum succedere Episcopo quoad actus necessarios justitiæ, seu ad exercitium jurisdictionis contentiosæ, non vero quoad actus jurisdictionis voluntariæ quos non requirit necessitas præsens regiminis. Communior sententia est omnem jurisdictionem et administrationem transire in capitulum, demptis tantummodo specialiter reservatis [1]. Hanc sententiam, auctoritate majori fundatam, eo libentius admittimus quod habet in sui favorem praxim generalem, et textus juris qui modo generali dicunt jurisdictionem episcopalem pertinere ad capitulum sede vacante. Dicitur in cap. *Episcopali*, DE MAJORITATE, lib. I, in VI° : « Episcopali sede « vacante, potest capitulum, *seu is ad quem episcopalis juris-* « *dictio noscitur pertinere*, iis quibus posset Episcopus si « viveret, ab excommunicationis sententia absolutionis bene- « ficium impertiri. » Eadem reperiuntur in cap. *Cum nullus*, 3, DE TEMPORIBUS ORDIN., in VI°. Eodem etiam sensu dicitur capitulum in spiritualibus et temporalibus administrare, dum vacat Ecclesia cathedralis. (Cap. *Ecclesiæ*, 4, DE SUPPLENDA NEGLIG. PRÆLATORUM, lib. I. in VI°.)

[1] Cf. Reiffenstuel, in tit. NE SEDE VACANTE, lib. III, n° 21 et seq.

Hinc concludendum videtur jurisdictionem capitularem ad eam etiam partem extendi quæ Episcopo competebat vi privilegii vel delegationis, dummodo facultates delegatæ sint privilegium concessum sedi, non personæ. Privilegia personalia morte personæ extinguuntur; jurisdictio e contra ea conditione delegata ut in perpetuum annectatur muneri episcopali censetur extensio quædam et pars jurisdictionis episcopalis quæ in capitulum transit. Ipsa motiva quæ superiorem induxerunt ad delegandum has facultates Episcopo, eum moverunt simul ad extendendum suam delegationem tempore vacantiæ sedis, cum eadem sit necessitas regiminis [1].

II. Causæ quas jus canonicum reservavit sunt : 1ª Alienationes et generatim quæ afferunt præjudicium Ecclesiæ. Is est sensus tituli Decretalium : NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR, lib. III. Videas cap. *Si quæ*, 42, caus. XII, q. 2. Si quod igitur negotium occurrat quod præjudicium generet, diminuendo jura vel bona Ecclesiæ, seu novum onus imponendo, res in suspenso manet donec adsit titularis qui commodis suæ Ecclesiæ provideat.

2ª Concessio litterarum dimissoriarum quibus impertitur alicui facultas suscipiendi ordines ab Episcopo extraneo. « Non liceat capitulis Ecclesiarum, dixit concilium Trid., in« fra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras « dimissorias... alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti vel « recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere [2]; si « secus fiat, capitulum subjaceat interdicto : et sic ordinati, « si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privile« gio clericali gaudeant; in majoribus vero, ab executione

[1] Barbosa, *Jus eccl. universum*, lib. III, cap. XXXII, nº 107; de Luca, discursu XXXI, in Conc. Trid., nº 36-37. Contrariam opinionem tuetur Fagnan, in cap. *His quæ*, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, nº 54.

[2] *Arctatus* dicitur qui provisus de beneficio, non potest illius possessionem obtinere, vel illud semel obtentum retinere, nisi recipiat, intra tempus a jure præfixum, ordinem eidem beneficio correspondentem.

« ordinum, ad beneplacitum futuri præsulis, sint ipso jure « suspensi. » (Sess. VII, cap. X.) Hæc intelligenda videntur etiam pro prima tonsura, licet non sit ordo proprie dictus.

Movetur difficultas quoad aliam speciem litterarum dimissoriarum, quibus nempe datur facultas transeundi in aliam diœcesim. Non pauci arbitrantur has litteras concedi non posse a capitulo, quia dimissio clerici e diœcesi æquiparatur alienationi; futurus titularis privatur clerico; ipsi proinde præjudicium infertur, quod supra fieri prohibitum diximus; quinimo alienatio personæ major est, ait Fagnan, quam alienatio rei. Alii plures, ut videre est apud Leurenium et Fermosini, aliter opinantur; quia in materiis juris, et ubi agitur præsertim de restrictione jurisdictionis, non valet argumentum ab uno ad aliud. Canones statuunt de alienatione rerum, non personarum; et quamvis aliquando diœcesis detrimentum gravius pati possit ex amissione cujusdam clerici, generatim tamen non ita exinde præjudicatur Episcopo quam alienatione bonorum episcopatus [1]. Hæc opinio est satis fundata ut eam capitulum sequi valeat tuta conscientia, quando urget aliqua ratio gravis; caute autem in hoc procedendum est ne præjudicium afferatur diœcesi.

3ª Collatio beneficiorum quæ, sede plena, ad solum Episcopum pertinet. Ita fert cap. *Illa*, 2, Ne sede vacante, ubi dicitur : « Nusquam invenitur cautum in jure, quod capi« tulum, sede vacante, fungatur vice Episcopi in collationibus « præbendarum. » Hoc de omnibus beneficiis quorum collatio reservatur Episcopo intelligi supponit Bonifacius VIII, excepto tamen casu quo clericus præsentatur a patrono. Cap. *Etsi*, 1, de Institutionibus, in VI°.

Capitulum potest tantummodo deputare œconomum ad curandum de administratione bonorum, et vicarium ad regi-

[1] Leurenius, *de Potestate capituli*, tract. III, cap. II, q. 507; Fermosini, *de Capitulo sede vacante*, q. 22, n° 8, 9. — Confer Fagnan, in cap. *Iis quæ, de* Majoritate et Obedientia, lib. I.

men parochiæ, donec a futuro Episcopo de novo titulari fuerit provisum. In Ecclesiis quæ regulis cancellariæ subduntur res aliter ordinatur; tunc enim collatio omnium beneficiorum quæ vacante sede episcopali vacaverint, reservantur Sum. Pontifici [1].

Olim in Galliis capitula conferebant beneficia curata, nec non vicariatus perpetuos; et beneficia alia quorum collatio ad Episcopum pertinebat, ne exceptis quidem iis quibus cura animarum annexa erat, conferebantur a principe sæculari, uti infra dicemus. A tempore autem concordati, an. 1801, ad præsentem ætatem, consueverunt capitula, et consequenter vicarii capitulares, reservare futuro titulari canonicatus vacantes et parochias proprie dictas, excepto fortassis casu in quo sedes episcopalis per plures annos vacaverit [2].

III. His tribus exceptis, capitulum succedit omnibus quæ sunt jurisdictionis episcopalis. Potest utique vicarius capitularis condere leges, inquirere de moribus et sententias ferre; concedere dispensationes a legibus, sicut ipsemet Episcopus; visitare diœcesim; cogere synodum. A duobus tamen ultimis abstinere regulariter debet si non adhuc effluxerit annus ex quo facta est visitatio, aut habita synodus, vel si brevi instituendus sit Episcopus; quia hæc majori cum fructu fient a prælato quam a vicario capitulari. Potest etiam capitulum permittere Episcopis extraneis pontificalia exercere in diœcesi; nam communiter admissum est apud canonistas, ea quæ sunt ordinis episcopalis devolvi ad capitulum, eo sensu quod illorum exercitium committere valeat his qui charactere hujus ordinis sunt insigniti [3].

[1] Vid. apud Fagnan in cap. *Illam*, NE SEDE VACANTE, instructionem datam a S. Congreg. pro collatione parochialis beneficii per concursum, in iis regionibus ubi servantur regulæ cancellariæ.

[2] Cf. Ducasse, *Traité des droits des chapitres*, sect. IV. — Durand de Maillane, v° *Siége vacant;* — Gohard, *Traité des bénéfices*, tom. I, pag. 421, 423; — *Conférences d'Angers sur les bénéfices*, conf. VI, quest. 3.

[3] Leurenius, *de Potestate capituli*, tract. III, q. 466, 509.

Controvertitur utrum concedere valeat indulgentias. Dantur rationes in favorem utriusque partis, a quibus referendis abstinemus. Quæstio nihil fere ad praxim refert, cum non consueverint vicarii capitulares hac potestate uti, nec opportunum sit ut ea utantur.

207. — V° *Utrum capitulum possit quædam sibi reservare, dum constituit vicarium, et vicarium mutare, alium ei substituendo?*

I. Olim plures canonistæ docuerunt capitulum posse limitare facultates vicarii, nonnulla sibi reservando; hodie longe communior opinio est id fieri non posse, sed jurisdictionem integram transire in vicarium capitularem. Prob. 1° ex decreto concilii Tridentini, quod noluit regimen diœcesis committi capitulo, elapsis octo prioribus diebus. Si capitulo liceat sibi nonnulla regiminis diœcesis reservare, partemque jurisdictionis quæ sibi placuerit retinere, diœcesim administrabit quoad plura, eo magis quod nihil in jure reperiatur unde determinetur quousque has limitationes extendere valeat. 2° Ex decisionibus S. Congregationis, quæ sæpius respondit « non posse capitulum in deputatione vicarii dare « jurisdictionem limitatam, neque in hoc attendi debere « ad consuetudinem provinciæ... vicarium posse uti omni « jurisdictione quam jus commune sibi attribuit, non obstante qualicumque restrictione a capitulo apposita[1]... » Aliud quidem diversum responsum prius dederat, ut videre est in *Thesauro resol.* loco citato, sed, ait secretarius in relatione causæ : « Perpendendum est decisionem « hanc prodiisse eo tempore quo nondum plene invaluerat opinio, quod, pro salubriori regimine Ecclesiarum, « præstaret universam jurisdictionem in vicarium capitularem « transferri. » 3° Ex doctrina canonistarum, qui inter extraneos a multo jam tempore sunt ea de re unanimes. Multos eodem sensu opinari inter Gallos testatur *Gohard :* « Il se trouve

[1] Ferrar., v° *Capitul.*, § 8, n° 58 et seq.; *Thesaurus resol.*, t. VII, p. 350.

« (inquit) bien des docteurs, tant étrangers que français, qui « estiment que le chapitre ne peut pas restreindre les pou- « voirs de ses grands vicaires, en se réservant telle partie de « l'administration qu'il lui plaît. » (T. I, p. 409.)

Hinc concludimus capitulum non posse eligere consiliarium, coadjutorem, promotorem, secretarium, aliosve ministros, quibus vicarii capitulares uti teneantur; hoc enim esset restrictio apposita jurisdictioni quam integram habere debent. Potest tamen constituere unum, vel plures œconomos, ad bonorum episcopatus administrationem, ubi officium illud curandi de bonorum regimine ipsi incumbit.

208. — II. Alia pars quæstionis est valde affinis priori, et iisdem difficultatibus locum dedit. S. Congregatio respondit, anno 1594, « vicarium constitui ad tempus et ad nutum re- « vocari posse. » Multi theologi hanc doctrinam confirmare nixi sunt argumentis deductis ex natura omnis jurisdictionis delegatæ, quæ ad nutum mandantis revocari potest, et ex analogia inter capitulum et Episcopum, qui suos vicarios revocat pro arbitrio.

Quæstione de novo ad Sanctam Sedem delata, S. Congregatio Concilii abstinuit a proferenda sua sententia, opportunum arbitrata ut subjiceretur examini alterius Congregationis quæ præponitur *negotiis Episcoporum*. Hæc decidit vicarium nullatenus revocari posse, nisi ob causam bene visam Congregationi, quam decisionem Congregatio Concilii suam fecit; et ab illo tempore omnes causas ortas inter capitula et vicarios eodem sensu judicavit[1]. Ratio hujus sententiæ potissimum desumitur ex scopo decreti Tridentini. Concilium voluit omnem administrationem transferri ad vicarium capitularem, adeo ut vicarius non dependeat in hoc regimine a capitulo, et suæ administrationis rationem reddat non ipsi capitulo sed

[1] Fagnan, cap. *His quæ*, *de* Majoritate, n° 69; Barbosa, *de Canonicis*, cap. xliii, n° 47; — *Thesaurus resol.*, tom. VII, pag. 550; — *l'Ami de la Religion*, tom. CXXXIX, pag. 886.

futuro Episcopo; atqui, si vicarius sit ad nutum revocabilis, non erit independens a capitulo, quandoquidem, casu quo orietur dissensio inter utrumque in iis quæ administrationem spectant, vicarius tenebitur sensum capituli amplecti, nisi malit revocari, quemadmodum vicarius Episcopi qui a suo prælato dissentit. « S'il se soumet aux volontés du chapitre « (ait D. *d'Astros*), il n'est plus indépendant; ce n'est plus « lui, c'est le chapitre qui administre, et la loi du concile de « Trente manque son effet. S'il veut résister, le chapitre le « révoque, parce qu'il lui plaît de le révoquer, et en choisit « un plus soumis. En un mot, être indépendant du chapitre « et être révocable au gré du chapitre sont deux choses ma- « nifestement incompatibles. » (*Du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés*, p. 83.)

Nihil in contrarium probat analogia allata inter capitulum et Episcopum; nam essentiale est discrimen inter vicarium episcopalem et capitularem. Cum Episcopus suo jure valeat regere diœcesim immediate per seipsum, potest utique revocare suos vicarios; imo nullum habere vicarium generalem, si maluerit. Alia autem est conditio capituli cui interdicitur a jure administratio diœcesis; tenetur habere vicarium cui integra committitur, eodem jure communi, potestas quæ primitus capitulo inerat.

Hinc sequitur capitulum non posse vicarium judicare et punire si in suo munere deliquisse illi videatur. Si graves querelas in illum habet, debet, pro natura rerum, aut rem deferre via appellationis ad Metropolitanum, aut statum rerum exponere Congregationi Episcoporum; et interea abstinebit a revocando vicarium, donec *causa bene visa fuerit* S. Congregationi.

209. — VI° *Quandonam exspiret jurisdictio vicarii capitularis?*

I. Jurisdictio vicarii capitularis cessat revocatione facta a S. Congregatione, et voluntaria renuntiatione a capitulo ac-

ceptata. Nihil obstare nobis videtur quominus vicarius dimittat, spontanea renuntiatione, suum officium; nec ullam legem novimus qua præscribatur hanc dimissionem transmitti ad Sanctam Sedem; ergo acceptari potest a capitulo, quod tunc alterum vicarium deputabit loco prioris. Quod si plures ab initio deputaverit, ambigitur an uno renuntiante vel mortuo, alterum deputare valeat. Si qui superest vicarius, sufficiens solus non est ad sustinendum onus administrationis, videretur capitulum posse novum vicarium substituere loco alterius qui officio vel vita cessit; dum enim prima vice usum est jure suo, deputando, v. g. duos vicarios juxta pristinam consuetudinem suæ Ecclesiæ, censetur sibi retinuisse libertatem restituendi hunc numerum integrum, si forte alteruter ex duobus recesserit. Satius est tamen ut a nominatione alterius vicarii abstineat; quia disputari posset de existentia, aut de legitimitate hujus conditionis quam dicimus fuisse tacite appositam in prima electione vicariorum; porro valde expedit ut removeatur omne dubium in re tanti momenti.

II. Jurisdictio vicarii capitularis exspirat quando Episcopus, ad sedem episcopalem canonice promotus, litteras apostolicas suæ institutionis ostendit. Est ea de re constitutio Bonifacii VIII, quæ sic se habet : « Præsenti, perpetuo valitura constitutione sancimus, ut Episcopi et alii prælati superiores, « qui ad Sanctam Sedem promoventur... ad commissas eis « Ecclesias, absque litteris dictæ Sedis, hujusmodi, eorum « promotionem, confirmationem... continentibus, accedere, « vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere « non præsumant; nullique eos absque dictarum litterarum « ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant. Quod « si forsan contra præsumptum fuerit, quod per Episcopos, « prælatos... actum fuerit irritum habeatur. Capitula vero... « et alii quicumque, eos absque hujusmodi dictæ Sedis litteris, recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi donec super hoc

« ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere. » C. *Injunctæ*, 1, DE ELECTIONE, lib. I Extrav. comm.

Non declaratur in hac constitutione necessarium esse ut electus suæ sedis possessionem ceperit, antequam ullum actum jurisdictionis faciat, sed solummodo requiri ostensionem litterarum apostolicarum. At usu servatur, hocque omnino consentaneum est principiis, ut provisus nullo modo exerceat jurisdictionem ante initam possessionem sedis; ne simul in eadem Ecclesia sit duplex administratio independens, una promoti, altera capituli quod sua jura integra servat donec sibi ostensæ sint litteræ apostolicæ.

SECTIO V^a

DE EPISCOPIS TITULARIBUS DE ADMINISTRATORIBUS ECCLESIARUM ET COADJUTORIBUS, ET DE PRÆLATIS JURISDICTIONEM QUASI-EPISCOPALEM HABENTIBUS.

Absolvemus canonicas quæstiones de majoribus Prælatis pauca adjiciendo de Episcopis titularibus, de coadjutoribus, seu auxiliaribus Episcoporum, et de Prælatis obtinentibus jurisdictionem quasi-episcopalem, quæ prætermittere eo minus expedit, quod locum teneant inter cæteros Episcopos, et sub quodam respectu iisdem juribus potiantur.

ARTICULUS I. — DE EPISCOPIS TITULARIBUS[1].

210. — I° *Quinam veniant sub nomine Episcoporum titularium, et quæ sit ratio institutionis horum Præsulum?*

I. Episcopi titulares, qui vulgo appellantur *Episcopi in partibus*, hi sunt quos Sancta Sedes assumpsit ad titulum Ecclesiæ existentis in regionibus infidelium, carentis clero et populo christiano.

Duo hæc notanda ut accurata notio Episcopi titularis ha-

[1] Andreucci, dissert. *de Episcopo titulari;* — Fagnan, *de Privilegiis*, lib. V Decr., cap. *Episcopalia*, n^is 34-61; — Thomassin, *Vetus et Nova Disciplina*, part. I, cap. XXVIII.

beatur : unum, quod sit assumptus ad titulum Ecclesiæ certæ ac determinatæ cui proinde fœdere spirituali conjungitur, et in quam sua institutione potestatem jurisdictionis saltem habitualem accipit; alterum, quod illa Ecclesia olim in cathedralem erecta, nunc caret clero et populo christiano; sita est autem in ditione infidelium, sive paganorum, sive Saracenorum.

Exinde concludas : 1° Episcopos titulares non posse ad aliam Ecclesiam transferri, nisi S. Pontifex prius illos absolverit a vinculo prioris Ecclesiæ cujus titulum habent; 2° canones statuentes de Episcopis præsertim quoad ordinem et dignitatem episcopalem, suam habere applicationem in Episcopos titulares, nisi sit ratio præsumendi legislatorem noluisse eos suo decreto comprehendere quod ex objecto legis facile dignosci potest.

II. Nullum vestigium in monumentis priorum sæculorum reperitur institutionis Episcoporum titularium, non enim cum his comparandi sunt Episcopi illi vagi, nullæ Ecclesiæ adscripti, de quibus identidem actum fuit; nec chorepiscopi, etiam charactere episcopali insigniti, qui tanquam vicarii Episcoporum in oppidanis Ecclesiis partes agebant, quæ nunc vicario foraneo, seu archipresbytero rurali committuntur[1]. « Videntur, ait Andreucci, initium habuisse sub tempus quo « orientales regiones magna ex parte in infidelium venerunt « potestatem, id est sub finem sæculi decimi tertii. » Ea tempestate Sancta Apostolica Sedes Ecclesiis ibidem constitutis, quantum possibilitas dabatur, providit, et sicubi Episcopo opus erat ad curam fidelium vel ad infidelium conversionem ordinando, eum assumebat ipsi collato titulo alicujus Ecclesiæ in partibus infidelium, donec certam sedem ipse sibi constituisset in iis ad quas mittebatur nationibus. Forte etiam dici potest aliam fuisse occasionem ejusdem institutionis, quod nempe quamdiu spes aliqua affulserit recuperandi

[1] Cf. Selvagio, *Antiquit. christian. Institutiones*, lib. I, cap. xv.

urbes episcopales, Pontifices Romani consueverint illarum titulum præsulibus conferre, præsertim quando non pauci adhuc christiani et quidam clerici illic degerent. Processu deinde temporis, tametsi spes illa recuperandi evanuerit, et religio christiana fuerit abolita iis in locis, Ecclesia tamen Romana perstitit ad earumdem Ecclesiarum titulum Episcopos pro temporum et negotiorum opportunitate ordinare. (Andreucci, part. I, cap. I, n. 9, 10.)

III. Quævis origo huic institutioni assignetur, convenienter servatur usus promovendi, cum sapienti quidem moderamine, Episcopos titulares. Multum enim expedit esse Episcopos qui sine propriarum diœceseon onere, gravia munera obire possint ad nutum S. Pontificis, tum in urbe Roma, si auctoritative præsint negotiis Episcoporum, aliisque curis sollicitudinis apostolicæ; tum in provinciis, si coadjutores, seu temporarii, seu perpetui cum futura successione dentur Episcopis qui amplissimas diœceses tenent, aut qui præ infirmitate corporis impares sunt sustinendo ponderi regiminis suæ Ecclesiæ. Si vero ad hos fines creentur Episcopi, non minus conveniens est ut ad titulum Ecclesiarum veterum in partibus infidelium promoveantur : omnes quippe viri sapientes bonum arbitrantur retinere cum debito honore memoriam harum Ecclesiarum quæ tot sanctorum Antistitum virtutibus olim nobilitatæ sunt. Nec dicatur fictitias esse in statu præsenti has Ecclesias, cum in regionibus ubi constituuntur neque ullus supersit clerus neque populus christianus, unde nec ulla est materia jurisdictionis quæ in notione episcopatus continetur. Nam ipsimet infideles aliquatenus subduntur jurisdictioni spirituali, eo sensu quod vocantur ad fidem; unde S. Pontifex potest his populis constituere Episcopos ad annuntiandum Evangelium, si opportunum judicaverit; quanto magis servare et cui voluerit conferre titulos canonice olim erectos?

211. — II° *Quæ sint jura Episcoporum titularium?*

Jura Episcoporum titularium considerari possunt sub triplici respectu, scilicet : ordinis, jurisdictionis, et dignitatis seu præeminentiæ.

I. Ratione *ordinis*, Episcopi titulares possunt valide exercere omnes actus ordinis episcopalis, ne exceptis quidem actibus quos Ecclesia huic ordini lege canonica annexuit; non possunt vero licite, nisi de licentia Ordinarii.

Prima pars certissima est quoad omnes actus qui jure divino ordini episcopali annexi sunt : hanc etiam certam habent communiter doctores quoad actus cæteros, uti sunt, v. g., collatio tonsuræ, Ecclesiarum consecratio, benedictiones episcopales. Quamvis enim Ecclesia possit hos actus irritare quando indebite fiunt, nihil tamen convincit quod reapse illos velit irritare; quapropter non iterantur quæ Episcopus in hac materia præter fas gessit.

Secunda pars sequitur ex constantissima disciplina, quam præsertim sanxit concilium Tridentinum, sess. VI, cap. V; in quo sub pœna suspensionis ab exercitio ordinum, omnibus Episcopis interdixit, « ne cujusvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci « expressa licentia, » præsumant. Insuper sess. XIV, cap. II, hæc statuit : « Nemo Episcoporum qui titulares vocantur, « etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto... vigore « cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se « venientes pro tempore concessi, alterius subditum etiam « prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris di- « missoriis, ad aliquos sacros aut minores ordines, vel pri- « mam tonsuram, promovere, vel ordinare valeat. » Igitur nullibi, sine licentia Ordinarii, exercere possunt pontificalia, v. g. : missas solemniter celebrare cum baculo et vestibus pontificiis, Ecclesias consecrare, dare solemnes benedictiones more Episcoporum, conferre sacramentum confirmationis.

II. Episcopi titulares habent jurisdictionem, ut aiunt, habitualem seu radicalem in suam Ecclesiam, incompletam vero, defectu materiæ in quam illam exercere valeant. Habent quidem illam jurisdictionem radicalem quæ cuilibet Episcopo, jure divino, virtute ordinationis competit : deest vero materia, non sunt subjecti; non ea quidem ratione quod plerumque nulli sint christiani, sed præsertim quoniam S. Pontifex sibi privative reservat curam actualem hujus Ecclesiæ quam committit vicario apostolico in cujus districtus ambitu continetur. « Cæterum, ait Andreucci, simul ac in « suam civitatem ad quam sunt ordinati admitterentur, et « delegatus apostolicus ab ejus gubernatione removeretur, « possent absque ulla alia concessione Pontificis, et facta « mutatione ex parte ipsorum Episcoporum, christianos fide- « les judicare. (Part. II, cap. III, n° 106.)

Hinc concludendum est Episcopum titularem non posse audire in confessione christianos in sua Ecclesia commorantes, nec sacerdotem deputare ad prædicandum Evangelium fidelibus seu infidelibus qui ibidem reperiuntur, aliosve actus jurisdictionis facere; imo nec suos familiares in foro interiori a peccatis absolvere, siquidem caret jurisdictione proxima.

Existimat Andreucci Episcopum posse valide, non licite, assistere matrimonio sui subditi, quia est Episcopus hujus incolæ, et idcirco per illius præsentiam satisfit legi Tridentinæ. Assistere matrimonio non reputatur actus jurisdictionis.

Episcopi titulares possunt convocari ad concilium generale, et casu quo convocentur habent suffragium decisivum, quandoquidem sunt ordine et dignitate veri Episcopi et assumpti a S. Pontifice in partem sollicitudinis Ecclesiæ universalis. Verumtamen nulla necessitas cogit, nec consuetum est ut reipsa convocentur. In concilio Tridentino, quamvis tunc temporis plures essent ejusmodi Præsules, nullus eorum

interfuit nomine proprio, ac solo titulo sui Episcopatus. — Possunt etiam invitari ad concilium provinciale, in quo tamen votum decisivum non habent, quia jurisdictione carent in provinciam, nisi Episcopi provinciæ hoc votum illis attribui sponte voluerint.

III. Ratione *dignitatis*, hæc sunt jura Episcoporum titularium : 1° possunt ubivis terrarum deferre vestitum prælatitium sui ordinis, et annulum quod signum est unionis cum sua Ecclesia gerere, atque uti in sacris functionibus ornamentis et insignibus episcopalibus, quando de licentia Ordinarii exercent pontificalia. 2° Servant tum Romæ, tum extra urbem Romam, quando plures simul Episcopi conveniunt, locum quem sibi assignat ordo promotionis in eadem linea; quamobrem Archiepiscopus titularis antiquior præcedit omnibus Archiepiscopis et Episcopis residentialibus qui recentiores sunt; item pari jure Episcopus titularis antiquior præcedit Episcopis residentialibus recentioribus. Supponimus tamen illum non concurrere cum Episcopo diœcesano cui alii etiam Archiepiscopi et Patriarchæ locum cedere debent : abstrahimus insuper a casu quo invitati sunt ad concilium provinciæ, ubi sedent post Episcopos suffraganeos, quia rationi consonum videtur ut Præsules qui jurisdictione carent, locum cedant Episcopis qui, una cum suo Metropolitano, jus dicunt in provinciam statutis synodalibus. 3° Gaudent privilegio canonis *Quia periculosum*, 4, DE SENT. EXCOM., lib. V, in VI°, quo cavetur ne Episcopi incidant in suspensionem vel interdictum a jure vel ab homine, nisi eorum specialis mentio habeatur. Habent etiam privilegium oratorii privati, et altaris portatilis, more aliorum Episcoporum, et sub iisdem conditionibus per decreta apostolica præfixis.

212. — III° *Quæ sint obligationes Episcoporum titularium?*

Episcopi titulares, eadem lege qua cæteri Episcopi, tenentur : 1° intra tres menses a die confirmationis consecrationem

suscipere, nisi excuset aliqua moralis impossibilitas (Conc. Trid., sess. XXIII, cap. II); 2° emittere professionem fidei cum juramento cujus formula traditur in Pontificali Romano. Sunt quidem in hoc juramento nonnulla quæ non afficiunt illos; uti, v. g., quæ ad residentiam et curam gregis referuntur : sed juramenta præstantur cum subaudita restrictione quam jus vel consuetudo alias induxit. 3° Juxta quosdam, debent animum habere se eo conferendi ubi est sua Ecclesia, si civitas veniret in potestatem Principum christianorum; quod concludunt ex lege generali residentiæ, et litteris apostolicis quibus Pontifex ait : *Tibi quod donec dicta Ecclesia ab infidelibus detinebitur ad illam accedere, et apud eam personaliter residere, minime tenearis, apostolica auctoritate indulgemus.* (Andreucci, part. IV, § 1, n. 195, 196.) 4° Utrum teneantur visitare *limina apostolorum*, non constat. Affirmandum censuit Benedictus XIV (*de Synodo*, lib. XIII, cap. VI, n° 5), qui tamen aliam opinionem amplecti visus est in alia parte ejusdem operis. (Lib. II, cap. VII, n° 2.) Ratio sententiæ affirmantis est, quod præter relationem status diœcesis quod est tamen objectum præcipuum legis Sixti V, sunt actus venerationis erga Sanctorum Apostolorum cineres, et submissionis debitæ Romano Pontifici, qui eadem lege continentur.

213. — IV° *Quæ sint jura et obligationes Episcoporum titularium qui in vicarios apostolicos, administratores, seu coadjutores assumuntur?*

1° Vicarii et administratores apostolici quibus cura diœcesis demandatur, sede vacante, eamdem jurisdictionem habent qua jure communi potiuntur Episcopi residentiales; his tantum exceptis quæ a S. Pontifice, decretis S. Congregationis Episcoporum, et regulis S. Congregationis Rituum, excepta sunt.

2° Coadjutores, qui et *Auxiliares* vel *Suffraganei* quandoque nuncupantur, alii dantur Episcopis qui omnino impe-

diuntur suas diœceses per seipsos regere, alii vero dantur Episcopis qui non sunt inhabiles regere diœcesim sed impediuntur ob infirmitatem, ætatem provectiorem, aut negotia.

In priori casu, coadjutores habent plenam facultatem ea omnia gerendi in spiritualibus et temporalibus quæ complectitur et requirit officium episcopale, dum Episcopus retinet tantummodo suum titulum, et habitu jurisdictionem. Ita aliquando ordinatur, quando Episcopus non potest residere in sua diœcesi, ut olim Card. Fesch, arch. Lugdunensis, et etiam quando canonice fuit interdictus ab officio episcopali, non vero e sua sede dejectus.

In secundo casu, coadjutor non debet se immiscere in exercitium pontificalium, neque jurisdictionalium quibus ipse Episcopus potest et vult fungi, neque negotia expedire quibus idem Episcopus ex causa rationabili contradicit. Ratio est quod, ex hypothesi, Episcopus retinet habitu simul et actu jurisdictionem in suam diœcesim; coadjutor non in alium finem ipsi datus fuit nisi ut eum adjuvet; ergo jure potest ea omnia sibi reservare quæ per seipsum exequi valet, et etiam alienum Episcopum identidem ad quosdam actus pontificales deputare, modo id non fiat cum injuria coadjutoris.

3° Officium administratoris et vicarii apostolici est amovibile ad nutum S. Pontificis; quod vero ad coadjutores attinet, distinguere oportet an coadjutoria sit temporalis, an perpetua cum futura succesione. Coadjutoria temporalis revocatur ad nutum S. Pontificis, et prætcrea coadjutor nullum jus amplius retinet mortuo coadjuto Episcopo. E contra coadjutoria perpetua cum futura successione non revocatur, nisi propter canonicas causas, ut supra diximus de officio episcopali. Coadjutor accepit vi sui tituli jus ad beneficium et officium, quod, eveniente obitu coadjuti, ipso facto transit in jus in re, quin requiratur nova collatio seu nova institutio.

Dimittit illico titulum Episcopatus in *partibus infidelium* quem acceperat, et præfert titulum Ecclesiæ cujus fit pastor ordinarius[1].

Quis honor tribui debeat Episcopis titularibus, administratoribus, suffraganeis, seu coadjutoribus, quando adsistunt choro, et quando celebrant pontificaliter, non est hic dicendi locus. Hæc decretis S. Congregationis rituum præfinita exponunt scriptores liturgici in suis commentariis libri *Cæremonialis Episcoporum.*

ARTICULUS II. — DE PRÆLATIS JURISDICTIONEM QUASI-EPISCOPALEM HABENTIBUS[2].

214. — I° *Qui sint prælati inferiores Episcopis et quotuplicis speciei distinguantur?*

I. Prælati generatim dicuntur qui aliis cum honore et jurisdictione præficiuntur; prælatura enim est gradus honorificus in Ecclesia cum jurisdictione in subditos. Hanc tamen denominationem in sensu strictiori in præsenti sumemus. « Licet, ait Fagnan, late sumpto vocabulo, quilibet clericus « habens curam animarum dicatur prælatus, ut probat cap. « *Tua*, 4, DE CLERICO ÆGROT., et minus late prælatorum appel- « latione intelligantur etiam alii habentes majorem prærogativam sine jurisdictione, ut Plebani, Decani, Archipresbyteri, « et consimiles; stricte inferiores Episcopo non dicuntur « prælati nisi habeant ordinariam jurisdictionem fori con-

[1] Fagnan, in cap. *Ex parte*, tit. DE CLERICO ÆGROTANTE, lib. III Decret.; — Ferraris, v° *Episcopus*, art. VII, et v° *Coadjutor;* — Decreta authentica S. Congreg. Rituum. Vid. præsertim n°s 3932 et 3140, ed. recentioris.

[2] Cf. Card. Petra, Comm. in const. IV Calixti III, tom. V, p 47; — Bened. XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. XI; const. *Apostolicæ servitutis*, n° 76, an. 17‹›3; *Inter multa*, n° 33, an. 1747; — Berardi, dissert. V, cap. III.

« tentiosi. » (Fagnan, in cap. *Relatum*, 4, DE CLERICIS NON RESID., et cap. *Cum ab Ecclesiarum*, 3, DE OFF. ORDIN., lib. I Decret.)

II. Horum prælatorum tres species assignantur : 1ª eorum est qui certo generi personarum alicujus Ecclesiæ seu monasterii præsunt, cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi. Hujus generis sunt quidam præpositi sæculares, seu abbates, seu decani, qui, una cum sua Ecclesia ejusque Ecclesiæ clericis et administris quibus præficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici. 2ª Species est prælatorum habentium jurisdictionem ecclesiasticam, etiam fori externi, in clerum et populum certi loci intra fines diœcesis consistentis, a qua undique circumscribitur. 3ª Species est prælatorum qui habent jurisdictionem ecclesiasticam utriusque fori, in clerum et populum alicujus loci a diœcesi cujuscumque Episcopi separati. Hujus generis prælati nobilissimi sunt inter inferiores; proprio et singulari nomine appellantur *nullius*, scilicet nullius diœcesis, et veris locorum Ordinariis annumerantur.

III. Canonistæ animadvertunt tribus modis contingere potuisse, ut aliquis locus nullius sit diœcesis, scilicet origine, privilegio et præscriptione. *Origine* quidem, si forte in diœceseon et provinciarum divisione quædam loca remanserint omnino extra limites cujusque diœcesis Episcopis assignatæ, et hæc fuerint immediate subjecta Apostolicæ Sedi, donec constructis ibi ecclesiis seu monasteriis, SS. Pontifices deputarent presbyteros, seu abbates qui illis præessent, et loco Episcoporum in clerum et populum jurisdictionem exercerent. Rem ita unquam evenisse parum probabile est; sed conjicere licet certa fuisse loca deserta olim a suis prælatis quando ea pagani aut hæretici occupaverunt, et illic deinde restitutas paulatim Ecclesias a viris religiosis qui, adepta administratione a S. Sede, omnia sensim in statum pristinum restituerunt. « Verum, adnotat sapienter Berardi, si id recipiatur,

« dicemus diœcesim illam *nullius* ex apostolico privilegio po-« tius quam ex origine sua talem dici. » Itaque privilegio, et legitima præscriptione, acquiritur prælatura quæ nullius sit diœcesis.

Privilegio apostolico, si S. Pontifex supprimendo unum episcopatum, vel ab illo episcopatu certum territorium separando, illic constituit inferiorem prælatum cum jurisdictione quasi-episcopali in clerum et populum : insuper *præscriptione* acquiritur status *nullius*, si prælatus inferior per diuturnum et immemorabile tempus exercuerit in certa parte diœcesis jurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et populum, privative ad Episcopum.

215. — II° *Quæ sint jura prælatorum Episcopis inferiorum?*

I. Prælati qui certum territorium regunt in diœcesi Episcopi constitutum, et hi qui proprie dicuntur *Nullius*, habent jurisdictionem quasi-episcopalem, adeo ut, iis exceptis quæ ordinis episcopalis sunt, omnia fere quæ ad jurisdictionem episcopalem pertinent peragere valeant. Diximus *omnia fere :* et merito hanc ob causam canonistæ hanc jurisdictionem *quasi*-episcopalem appellant, quoniam aliqua sunt sat gravis momenti quæ non possunt agere hi prælati, vi jurisdictionis suo titulo annexæ, nisi speciale obtinuerint privilegium a Sancta Sede. Scilicet non possunt 1° convocare synodum, nec indicere concursum ad parochiales Ecclesias vacantes; 2° concedere clericis litteras dimissorias, ordinationis causa; 3° indulgentias dare, nec absolvere a censuris et irregularitatibus de quibus agitur in cap. VI, sess. XXIV, conc. Trid. Præterea, qui habent suum territorium in una diœcesi, nequeunt Episcopum alienum advocare causa exercendi pontificalia, nec certos casus in foro pœnitentiæ sibi reservare, nec confessarios approbare pro sæcularibus, nec dare facultatem concionandi.

II. Quæ non subsunt jurisdictioni prælatorum, de quibus

modo, reservantur Episcopo diœcesis intra cujus fines locus constituitur, vel Episcopo viciniori si agatur de prælatura *nullius:* vicinior autem ille intelligitur cujus Ecclesia cathedralis proximior est abbatiali, seu collegiatæ quæ est *nullius*, a viis ordinariis distantiam locorum dimetiendo.

Eadem regula servatur quoad visitationem; nam et prælaturæ etiam *nullius* subduntur visitationi Episcopi, saltem tanquam delegati Sedis Apostolicæ. Quis autem ordo præscribatur in hac visitatione, quæve sint loca et Ecclesiæ quas Episcopi visitare debeant, quando concurrunt cum prælatis regularibus, non est hic nobis dicendum, quia non sunt in nostris regionibus hujusmodi jurisdictiones. Hæc exponit Fagnan in cap. *Nullus Episcopus*, DE PAROCHIANIS ALIENIS, lib. III Decret., ubi multa congessit de proposita quæstione.

216.— Sunt alii Ecclesiæ Romanæ officiales qui etiam titulo Prælatorum decorantur, et in varias classes distinguuntur. De auditoribus Rotæ et de Protonotariis diximus supra (n^is 118, 123); de cæteris Prælatis, quales sunt camerarii sive participantes, sive supranumerarii, etc... nihil in præsenti notabimus, quia nulla jurisdictione, qua tales, potiuntur in Ecclesia. Quæ insignia præferre possint; an aliqua præcedentia illis tribuenda sit in cæteros clericos quando processionibus aut conventibus Ecclesiasticis intersunt; quinam ex ipsis, et sub quibus conditionibus ac restrictionibus, valeant uti Pontificalibus, pendet a prærogativis quas a S. Sede obtinuerunt, et exponendum habent scriptores rerum liturgicarum ex variis decretis S. Congregationis Rituum. (Decret. 27 sept. an. 1659, multa ea de re determinavit ut nonnulli abusus abolerentur et induceretur uniformitas.)

SECTIO VI

DE SYNODIS EPISCOPORUM.

Cum in præcedentibus dixerimus de jurisdictione Episcoporum in suas diœceses, et de hierarchia inter ipsos constituta, remanet ut agamus de synodis quibus hi primi pastores jurisdictionem exercent extra limites diœcesis singulis assignatæ, tum in provinciam, tum in omnem regionem suæ gentis, tum etiam in universalem Ecclesiam.

ARTICULUS I. — DE SYNODIS GENERALIBUS.

217. — Synodus generalis, seu quod idem sonat, concilium œcumenicum, est conventus quo omnes Episcopi Ecclesiæ universalis convocantur auctoritate legitima, ad tractandum de negotiis fidei, morum et disciplinæ. Celeberrima habentur in antiquitate concilia œcumenica, « a quibus tot « effluxere sanctissimæ constitutiones quæ sunt, ait Card. « Petra, pars præcipua juris canonici[1]. » Multa apud theologos habentur de conciliis generalibus; in præsenti sufficiet exponere 1° quo jure convocentur; 2° quæ sit illorum auctoritas; 3° an debeant confirmari a S. Pontifice.

[1] Card. Petra, tom. II, Commentarium in const. IX Alexand. III, n° 1.

218. — I° *Cujus sit convocare concilium generale et eidem præsidere?*

I. Certum est omnibus catholicis ad S. Pontificem solum pertinere convocationem concilii generalis, excepto casu schismatis in quo dubius foret Papa.

Ratio deducitur ex primatu S. Petri, ad quem devolvuntur causæ majores Ecclesiæ catholicæ. Hinc in tota retro antiquitate constanter observatum videmus nullum concilium habitum esse uti generale sine assensu Romani Episcopi. In concilio Chalcedonensi Dioscorus fuit condemnatus quia concilium convocare ausus erat absque Rom. Episcopo, *quod nunquam licuit, nunquam factum est,* ut dicitur in I^a actione.

Omnes Episcopi convocantur, licet necessarium non sit ad œcumenicitatem concilii omnes convenire, quemadmodum explicatur in tractatu theologico *de Ecclesia.*

II. Jus præsidendi consectarium est juris convocandi, iisdemque principiis innititur. Sive præsens sit S. Pontifex, sive absens, semper habet præsidentiam qua funguntur ipsius loco legati quos auctoritate apostolica mittit. Sic, in concilio Nicæno Osius Cordubensis sedit ante Patriarchas Ecclesiarum orientalium, quia S. Sylvestrum repræsentabat. S. Cyrillus eodem modo vices egit S. Cœlestini in concilio Ephesino; et in aliis conciliis, legati Sanctæ Sedis, etsi simplices presbyteri vel etiam diaconi, primum locum pari jure occupaverunt sine ulla contradictione.

Tempore schismatis quando incertum est quis jure occupet Sedem Apostolicam, ob dubium grave de valore electionis, alium ordinem observare necessitas cogit.

219. — II° *Quæ sit auctoritas synodi generalis?*

Summa est auctoritas synodi œcumenicæ apud omnes catholicos, quibus semper dogma fidei fuit concilium œcumenicum infallibilitate potiri in docendo, et suprema jurisdictione ad tractandum omnia negotia fori ecclesiastici.

Prob. 1° ex divina Christi institutione et promissis. *Euntes docete omnes gentes... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi : Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo...* Hæc verba, in sensu obvio, promittunt Episcopis, cum assistentia usque ad finem mundi adfutura supernaturaliter, auctoritatem jurisdictionalem, et infallibilitatem; Episcopis, inquam, non singulis, sed collective sumptis, atque suo Capiti indivise unitis, quales erant Apostoli cum Petro : atqui in concilio œcumenico, Episcopi non singuli, sed collective una cum suo Capite S. Pontifice, decreta fidei vel disciplinæ condunt; ergo est in eorum consessu, in illorum utique decretis, summa auctoritas.

Prob. 2° auctoritate Ecclesiæ universalis in concilio generali representatæ. Traditio SS. Patrum confirmat interpretationem verborum Christi quam protulimus; tenet enim episcopatum unum esse, et summa potestate in doctrina et regimine donatum.

« Episcopatus unus est, cujus pars a singulis in solidum « tenetur, » ait S. Cyprianus, cujus verba auctores catholici frequenter usurparunt, et relata legimus in capite juris *Loquitur Dominus*, 18, caus. 24, q. 1. Alibi scribens ad Stephanum Papam contra Martianum Arelatensem, idem S. Doctor ait : « Etsi pastores multi simus, unum tamen gregem « pascimus, et oves universas quas Christus suo sanguine « quæsivit, colligere et fovere debemus. » (*De Unitate Ecclesiæ*, epist. LXVII.)

S. Irenæus : « Hanc prædicationem, hanc fidem, Ecclesia « in universum orbem dispersa diligenter custodit, quasi « unam inhabitans domum... et consonanter hæc prædicat et « docet et tradit, quasi unum os possidens. » (*Adversus Hæreses*, lib. I, cap. x.)

S. Augustinus : « Nobis tutum est... id fiducia securæ vo« cis asserere quod in gubernatione Domini nostri J. C.,

« universalis Ecclesiæ consensione roboratum est... Communis est nobis omnibus qui fungimur episcopatus officio, « quamvis ipse præemineas celsiore fastigio, specula pasto- « ralis. » (Lib. VII, *de Baptismo*. — Ad Bonifacium Papam, contra duas epist. Pelagianorum, lib. I.)

S. Cœlestinus, in Epistola ad concilium Ephesinum, cunctos Episcopos admonet, illis omnibus in communi Christum dedisse officium prædicationis fidei. Verba alias citavimus (nº 159). Eodem sensu Nicolaus II scripsit ad Episcopos Galliarum : « Cum una sit et unica Sponso suo Ecclesia... « Pater et Episcopus et Pontifex Dominus noster J. C... sub- « iturus ad cœlos, hanc Apostolis commendavit ac per eos « tanquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis « scilicet quos Pastores et Episcopos, et Pontifices super « ipsam constituit, ejus providentiæ curam indulsit, quatenus « pro patribus nati filii, ac pro eis constituti principes in « omnem terram, imitatores eorum essemus sicut et ipsi « Christi. » (*Bullarium mag.*, tom. I, pag. 199.)

Ita cæteri Patres qui tam frequenter invocant contra hæreticos et schismaticos sui temporis, auctoritatem universalis Ecclesiæ, columnæ et firmamenti veritatis ; Ecclesiam autem dicunt non multitudinem fidelium quæ non habet auctoritatem docendi, sed corpus pastorum.

Ecclesia universalis, hoc sensu sumpta, repræsentatur in conciliis œcumenicis ; in ipsis docet ac regit omnes fideles ; ad hæc siquidem concilia convocantur omnes Episcopi orbis catholici, et licet non omnes reipsa præsentes sint, nonnullis casu impeditis, sat tamen numerosi conveniunt, ut corpus pastorum merito censeantur repræsentare, et testimonium reddere valeant fidei omnium Ecclesiarum. Martinus V, in constitutione *Inter cunctas*, jubet ut quando hæreticus vel de hæresi suspectus revertitur ad unitatem, interrogetur circa plures articulos et inter cæteros : « Utrum « credat, teneat, et asserat quod quodlibet concilium gene-

« rale *universalem Ecclesiam repræsentet.* Item utrum « credat quod illud quod... concilium *universalem Ecclesiam repræsentans* approbavit et approbat in favorem « fidei, et ad salutem animarum, hoc est ab universis Christi « fidelibus approbandum et credendum[1]. »

Prob. 3° ex praxi ipsorum conciliorum, et sensu communi fidelium. Modus ipse quo synodi generales negotia pertractant atque causas definiunt, probat quæ omnium animis insita sit idea auctoritatis corporis pastoralis.

A primo concilio Hierosolimitano, ubi omnes Apostoli dixerunt : *Visum est Spiritui sancto et nobis*, ad synodum Tridentinam quæ dixit : *Sancta synodus, a Spiritu sancto edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat et docet...* omnia concilia deliberaverunt, et causas, tum fidei tum disciplinæ cum summa auctoritate ordinaverunt, præcepta condendo pro universali Ecclesia.

SS. Pontifices hæc præcepta, quæ a conciliis prodierant, ubi sui prædecessores una cum Episcopis consentientes causas definierant, veneratione maxime digna duxerunt. « Nullum audemus, ait S. Leo Magnus, de rebus definitis in « concilio Nicæno et Chalcedonensi inire tractatum, quasi « dubia vel infirma sint quæ tanta, per Spiritum sanctum, « fixit auctoritas. » Epist. LXXVIII. S. Gregorius Magnus : « Sicut sancti Evangelii libros quatuor, sic quatuor concilia, « suscipere et venerari me fateor, quintum quoque concilium « veneror. » Cap. *Sicut*, dist. IX.

Quonam autem sensu reverentiæ christiani susceperint definitiones conciliorum, inutile est dicere; omnes quippe norunt illos qui horum conciliorum auctoritatem summam agnoscere renuerunt uti rebelles in Deum vel etiam hæreticos habitos fuisse.

Hæc est causa cur SS. Patres tanti fecerunt concilia œcumenica, et ea pluries convocaverunt SS. Pontifices ad provi-

[1] Labb. *Collect. concil.*, tom. XII, col. 268.

dendum majoribus necessitatibus Ecclesiæ. Concilia dici quidem non debent absolute necessaria; nam inest Sanctæ Apostolicæ Sedi potestas sufficiens ea ordinandi quæ requirit temporum opportunitas; sed maxime prosunt. Unde Paulus III, omnium catholicorum votis annuens in convocando synodum Tridentinam, dixit in bulla convocationis, se « in « tanta hæresum, dissensionum, bellorumque tempestate, « tantisque excitatis fluctibus » animum adjecisse ad habendum concilium generale; « animo repetentes, inquit, « majores nostros sapientia admirabili et sanctitate præditos, « sæpe in summis reipublicæ christianæ periculis, remedium « optimum, atque opportunissimum concilia œcumenica, et « conventus generales Episcoporum, adhibuisse. »

Hinc concludendum Episcopos non esse in conciliis œcumenicis meros consiliarios Papæ, vel ab ipso simpliciter delegatos precaria commissione ad tractandum negotia, sed vere judices jure divino. « Episcopi, ait Card. Soglia, in « conciliis non sunt consiliarii, non consultores, sed veri « judices; atque adeo præclare a Bellarmino dictum de « conciliis Ecclesiæ, consessum Episcoporum esse verum « consessum judicum. » (*Institutiones juris publici; Prænotiones*, § 35.)

220. — III° *Utrum concilium generale indigeat confirmatione data a S. Pontifice?*

Decreta concilii generalis confirmari debent a S. Pontifice ut valeant. Necessarium quippe est ad rationem decreti concilii œcumenici ut prodeat a corpore pastorum repræsentante Ecclesiam universalem; nisi autem accesserit consensus Rom. Pontificis, non vere repræsentatur corpus pastorum; deest hujus corporis moralis caput. Insuper, cum Christus commiserit successori Petri curam et regimen Ecclesiæ universalis, contrarium omnino est huic divinæ institutioni quod lex aliqua Ecclesiæ imponatur, vel aliquid in sua disciplina immutetur, non assentiente Rom. Pontifice.

Hæc doctrina apud omnes doctores catholicos absque ulla ambiguitate recepta, innitur constanti traditione Patrum, adeo ut Pelagius II dicere potuerit Joanni Constantinopolitano : « Cum generalem synodum convocandi auctoritas Aposto- « licæ Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, et nulla « unquam synodus rata legatur quæ apostolica auctoritate « non fuerit suffulta... » Et Damasus, epist. XII, ad Episcopos Dardaniæ : « Prima sedes unamquamque synodum sua « auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, « pro suo scilicet principatu [1]. »

Habemus in concilio Chalcedonensi exemplum memoratu dignum hujus necessitatis assensus Sanctæ Sedis ut valeat decretum concilii. Relatum est supra (n° 126) quomodo decretum quod Patres Chalcedonenses condiderunt in favorem Ecclesiæ Constantinopolitanæ vi caruerit, deficiente approbatione expetita.

Ea occasione abs re non erit animadvertere nihil esse in hac dissensione inter Leonem et Patres concilii, quod quempiam offendere debeat. In materia disciplinari, quæ sub vario respectu sua habere potest commoda et pericula, mirum non est quod alii alia sentiant, et quod S. Pontifex abnuerit confirmare prærogativas quibus Patres concilii sedem Constantinopolitanam decorari utile existimaverant. Voluntati Pontificis accesserunt Episcopi orientales; ab incœptis, tunc saltem, destiterunt et concordia pastorum nullum inde detrimentum pertulit. In causis autem fidei pertimescenda non est dissensio inter S. Pontificem et Patres concilii generalis; quam ne quidem possibilem arbitramur, si maxima pars Episcoporum præsens adsit concilio, et utrinque, tum Papa, tum cæteri pastores, vera libertate gaudeant.

« Consensio inter caput et corpus nunquam ex promissio- « nibus Christi deesse poterit, » ait Muzzarelli; qui alio loco

[1] Labb., *Collect. concilior.*, tom. IV, col. 1199.

addit: « Numquid in aliquo œcumenico concilio inspexisti ca-
« put divulsum a corpore, aut monstruosum illud chimericum
« certamen capitis ex una parte, et membrorum ex altera?
« Unus semper corporis et capitis nutus, unus assensus fuit,
« tum extra concilium, tum in concilio[1].» Christus uni Petro promisit se pro eo rogaturum ne *deficiat fides* ejus, et deinceps omnibus Apostolis promisit se cum illis adfuturum omnibus diebus, cum illis, inquam, docentibus omnes gentes. Hinc concludere debemus S. Pontificem habere privilegium personale infallibilitatis, dum uti successor Petri fidem Ecclesiæ annuntiat; et moralem unanimitatem Episcoporum eodem privilegio infallibilitatis gaudere in docendo fidem. Si quis supponere velit dissensionem in fide inter Papam et maximam partem pastorum, subvertit divina promissa et notionem veræ Ecclesiæ. Ubinam, quæso, erit unitas et centrum Ecclesiæ, si Papa deviaret a fide? Ubinam vero catholicitas, si solus Papa, vel uno die, veram fidem teneat, aliis pene omnibus in errorem prolapsis?

Supposuimus concilium esse liberum; quod enim per vim agitur, irritum est ipso jure; « quæ regula, ait Muzzarelli,
« tenenda est pari jure in decretis SS. Pontificum, si quando
« ad ea per vim compulsos et adactos devenisse constabit[2]. »

221. — IV° *Quæ consectaria deducantur ex doctrina proposita?*

Ex doctrina proposita in solutione quæstionum præcedentium sequitur 1° dogma esse fidei catholicæ concilium œcumenicum supremam habere potestatem in Ecclesia, tum in definiendo causas fidei, tum in condendo canones disciplinares.

Sequitur 2° Papam esse superiorem concilio generali Episcoporum, quatenus illud convocat, ei præsidet illudque

[1] *De Auctoritate R. Pontificis*, tom. I, cap. IV, p. 61; tom. II, cap. XIII, p. 314. (Edit. Gandavi.)

[2] *De Auctoritate R. Pont.*, tom. I, cap. IV, p. 51.

regit ac moderatur, tanquam caput Ecclesiæ et omnium Episcoporum pater. Ab illius decretis dispensare jure proprio potest, vel ea etiam abrogare, si ad majus bonum Ecclesiæ expedire judicaverit. Tandem nulli licet appellare a Papa ad concilium; quod multoties sub gravissimis pœnis prohibitum fuit. Hæc cuncta jura complectitur primatus Sedis Apostolicæ, et eadem jura certam reddunt superioritatem S. Pontificis in concilium. In concilio Lateranensi sub Leone X, declaratum est, sess. x : « Solum R. Pontificem tanquam « auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum « judicandorum, transferendorum, et dissolvendorum, ple- « num jus et potestatem habere. »

Sequitur 3° concilium generale Episcoporum summum esse remedium Ecclesiæ in extremis periculis quibus tempore schismatis exposita foret. Talem Episcoporum conventum, quantumvis numerosus sit, dicere non possumus concilium vere et proprie œcumenicum; siquidem, mortuo vel dubio Pontifice, concilium orbatur capite corporis pastoralis; verumtamen valet consulere necessitatibus Ecclesiæ, procurando certam electionem Pontificis.

Ratio est quod ex dictis supra (n° 219) Episcopi habent jure divino in solidum sollicitudinem Ecclesiæ universalis, quam quidem sollicitudinem non gerunt in ordine consueto rerum, nisi sub duce S. Pontifice, ita exigente regula hierarchiæ divinitus constituta; sed Sancta Sede a dubio Pontifice occupata, valent illam gerere per seipsos in communi, quando aliter non datur medium procurandi salutem Ecclesiæ.

Hoc confirmatur decretis concilii Constantiensis, in sensu quo illa approbavit Martinus V. Casu igitur schismatis quo duo vel plures contendunt de pontificatu, et est dubium grave circa valorem electionis, concilium potest illos omnes deponere, ut nova fiat electio. Fagnan vero sapienter animadvertit non inde constitui veram superioritatem concilii in Papam, quia licet, in rei veritate, unus sit legitimus Pontifex, cum

tamen non appareat quisnam ille sit ex contendentibus, idem est respectu Ecclesiæ ac si nullus esset Pontifex, et omnes repelluntur ab occupata dignitate.

Theologi idem dicunt de casu quo concilium sententiam ferret in personam privatam Pontificis, qui *deprehenderetur devius a fide*, ut dicitur in cap. *Si Papa*, 6, dist. XL. Talem casum chimericum reputamus, de quo tamen fuse disserunt theologi et canonistæ. Multi asserunt eo in casu Papam desinere esse caput et membrum Ecclesiæ et nihil aliud restare propter ordinem juris, et ad irrefragabilem certitudinem ejus dejectionis, nisi sententiam declaratoriam ipsius Ecclesiæ. Ita ratiocinatur Bellarminus; unde concludit concilium non posse verum Pontificem deponere, licet ejus errorem possit declarare. Alii e contra sustinent Papam hæreticum, licet amiserit fidem, non desinere esse membrum Ecclesiæ, propter characterem Baptismi, et proinde non esse jure divino depositum a pontificatu. Ita præ cæteris Cajetanus: « Qua « in re, ait Suarez, Cajetanus se mire vexat ne cogatur ad- « mittere Ecclesiam vel concilium stare super Papam etiam « in casu schismatis: tandem concludit esse super Papam « ut privatam personam, sed non ut Papam. »

Hæc solutio non satisfacit Suarez, qui et ipse aliam excogitavit. « Quando, inquit, Ecclesia Papam deponeret hæreti- « cum, non ipsa tanquam superior id præstaret, sed ex « concessione Christi Domini declararet eum esse hæreticum, « atque adeo prorsus indignum Pontificis dignitate; tuncque « ipso facto immediate a Christo deponeretur, depositusque « maneret inferior et posset puniri. Quamvis enim Ecclesia « nihil possit per modum superioris et habentis jurisdictio- « nem in illum, naturali tamen jure suæ defensionis potest « illum coercere, si forte aliquod nocumentum machinetur « in Ecclesiam, aut congregationem concilii generalis impe- « dire conetur[1]. »

[1] Cf Fagnan, in cap. *Significasti*, 4. DE ELECTIONE, lib. I, n[is] 64-70; —

An magis satisfaciat hæc solutio, aliis judicium sit. Graves certe rationes obstant quominus asseratur jurisdictionem amitti ipso facto, jure divino, ob hæresim, ut suo loco dicetur ubi *de Delictis et Pœnis*.

Quidquid sit, dicatur sententia concilii decretoria vel simpliciter declaratoria, agnoscitur ab omnibus concilium esse supremum remedium in his periculis, quæ certo avertet Deus a societate christiana.

ARTICULUS II. — DE SYNODIS NATIONALIBUS.

222. — Synodi nationales dicuntur quæ a Patriarchis vel Primatibus celebrantur, convocatis totius nationis Episcopis. Dictæ sunt quandoque concilia plenaria, non simpliciter quidem, sed relative ad nationem. Celebriora sunt in antiquitate *concilia plenaria* Ecclesiæ Africanæ.

Synodi nationales, ut rite convocentur, supponunt diversas Ecclesias nationis subdi jurisdictioni alicujus sedis patriarchalis, seu primatialis, alioquin necesse est ut interveniat auctoritas Summi Pontificis. Nullum est concilium hierarchice constitutum quod non habeat præsulem jure canonico præditum auctoritate convocandi omnes Episcopos qui convenire debent, et eorum consessui præsidendi.

Hinc est quod in Ecclesiis nostris nullum concilium nationale celebrari possit, sine interventu Sanctæ Apostolicæ Sedis quæ convocationi assensum præstet, et præsidem ipsa constituat aliquem delegatum ad id officium; nam cum nullus sit Primas qui habeat jurisdictionem in alias Ecclesias, singulæ provinciæ sunt a se invicem independentes.

Bellarminum, *de Rom. Pontifice*, lib. II, cap. xxx, et lib. IV, cap. II; — Muzzarelli, *de Auctoritate Rom. Pont.*, cap. xvii, § 1. — Suarez, disput. x, *de S. Pontifice*, sect. vi.

Comitia cleri Gallicani quæ olim singulis decenniis habebantur, non erant concilia nationalia, sed conventus, ut ita dicam, civiles ad negotiorum temporalium tractationem, quamvis Episcopi, data opportuna occasione, multa sæpe gesserint in ordine spirituali. Scopus præcipuus comitiorum erat providere dispensationi quorumdam reddituum bonorum quæ pro causa cleri impendebantur, et præstationi *donorum gratuitorum* quæ Ecclesia Gallicana regibus exsolvebat ad subveniendum necessitatibus publicis regni.

Comitia cleri convocabantur auctoritate regis; hi soli jus habebant conveniendi, inter Episcopos et clericos secundi ordinis, qui a sua provincia deputabantur, et omnibus sive Episcopis, sive clericis deputatis par erat jus suffragium ferendi; quæ cuncta non concordant cum regulis canonicis de convocatione et celebratione conciliorum. Clerus Gallicanus, in suis conventibus generalibus congregatus, nunquam sibi vindicavit auctoritatem legislativam more conciliorum. Multas nihilominus fecit ordinationes, quæ non parum inservierunt ad servandam unitatem disciplinæ per Gallias; illæ quippe ordinationes, seu regulæ, transmissæ a conventu ad singulos Episcopos, plerumque ab illis acceptabantur, qui pro sua quisque diœcesi ea promulgabant. Conventus Melodunensis plures regulas proposuit quæ sunt magni momenti ad disciplinam canonicam instaurandam, et pro seminariorum recto regimine. Insuper clerus in suis comitiis non raro libros contra mores aut fidem, et propositiones hæreticas aut scandalosas proscripsit[1].

ARTICULUS III. — DE SYNODIS PROVINCIALIBUS.

223. — Synodi provinciales sunt concilia ad quæ Metropolitanus convocat omnes Episcopos suæ provinciæ.

[1] Cf. Lefranc de Pompignan, *Défense des actes de l'Assemblée du Clergé de France de l'année* 1765, part. I, chap. XIV.

Hæc statuit concilium Tridentinum : « Metropolitani per « seipsos, seu illis legitime impeditis, coepiscopus antiquior, « quolibet saltem triennio... non prætermittat synodum in « sua provincia cogere, quo Episcopi omnes et alii qui de « jure vel consuetudine interesse debent... convenire omnino « teneantur. » Sess. XXIV, cap. II. De hocce decreto, et de celebratione synodorum plures quæstiones occurrunt, scilicet 1° an decretum stricte adhuc urgeat ad celebrationem synodi singulis trienniis; 2° quinam ad synodum debeant convocari; 3° quæ sit synodi auctoritas; 4° utrum decreta synodi debeant necessario subjici judicio S. Sedis antequam publicentur.

224. — 1° *Utrum Metropolitanus teneatur convocare concilium suæ provinciæ quolibet triennio?*

Metropolitanus debet convocare synodum quando illud expedire noverit necessitatibus suæ provinciæ : sed est ratio dubitandi, utrum teneatur convocare quolibet triennio. Dubium inde oritur quod ab ipsis initiis ad nostram usque ætatem, lex Tridentina nullibi fuerit observata, adeo ut non sine gravi fundamento diceretur fuisse per consuetudinem aliquatenus temperatam [1].

Non solum apud Gallos, Germanos, Hispanos, sed et in Italia, ne exceptis quidem ditionibus Ecclesiæ Romanæ, nulla est provincia ubi prætermissa non fuerit triennalis convocatio conciliorum provincialium, et perpauca admodum habita sunt per tria sæcula, si excipias provinciam Mediolanensem tempore S. Caroli, et Beneventanam sub Card. Ursini, qui « hujusmodi concilia, in Italia *fere obsoleta*, ait Card. Petra, « frequenti celebratione instauravit in sub provincia. » « Pro- « vincialis synodus, inquit Gavantus, fere nunquam hodie « celebratur. » Giraldi ait : « Hodie convocatio provincialis

[1] Fagnan, in cap. *Sicut olim*, lib. V Decret. — C. Petra, t. I, in const. Honorii II.

« concilii fere ubique obsolevit. In Germania quidem, id non « servari de facto notorium est... In Italia etiam, teste Card. « Luca, nimium rara est, adeo ut in hac re præsens Trid. de- « cretum pene ab aula discessisse videatur. » Eodem sensu recentior canonista paucis abhinc annis scribebat de decreto Tridentino : « Hoc caput quoad Italiam ab aula recessisse « videtur; rarus, et pene abolitus dignoscitur horum con- « ciliorum usus[1]. »

Quæ fuerit causa hujus prætermissionis, non est facile dictu; nec eadem ubique allegari potest. Præcipuas causas reputamus : 1° dissensiones sæpe ortas inter Metropolitanos, Episcopos, et capitula; 2° negligentiam Episcoporum, de qua non semel olim conquesta sunt concilia generalia, temporibus anteactis; 3° interventum frequentiorem Congregationum Romanarum in multis negotiis diœceseon; unde minus urgere visa est necessitas synodorum provincialium ad servandam disciplinam.

Quid igitur? Lex fuitne penitus abrogata? Absit quod ita sentiamus de saluberrimo illo instituto, quod tanta cura commendarunt canones ad instaurationem disciplinæ et totius cleri profectum. Lex non fuit abrogata; dicemus tamen illam *contraria consuetudine nonnihil emolliri et temperari*, quod fieri potuisse quoad synodum diœcesanam, non abnuit Benedictus XIV (n° 179). Dimittitur prudentiæ Metropolitani, cum suis coepiscopis, ut convocet concilium, ad mentem Ecclesiæ et ex præscripto decreti Tridentini, quando hanc convocationem expedire ad bonum provinciæ videtur.

Loco Metropolitani, si impeditus sit, jus indicendi concilium devolvitur, non ad coadjutorem, sed ad antiquiorem ordinatione inter Episcopos provinciæ.

[1] *Praxis conciliorum*, part. II, in annot. § 3.— Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, p. Iª, sect. 748. — C. Luca, *Discursus* in conc. Trid. xxx. — Ferrari. *Summa Inst. canonicarum*, lib. I, tit. xiv (Genuæ, an. 1847).

225. — II° *Quinam convocari debeant ad concilium provinciale et habeant jus ferendi suffragium?*

I. Omnes Episcopi provinciæ convocari debent, ac tenentur, legitimo cessante impedimento, venire ad concilium, vel procuratores delegare, si non possint personaliter adesse.

Convocari debent capitula cathedralia, ut per suos delegatos adsint deliberationibus concilii. Prob. 1° ex praxi constanti qua jus illud tribuitur capitulis; 2° ex cap. *Et si*, 10, DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATO... (lib. III), ubi Innocentius III respondet ad querimonias capituli canonicorum provinciæ Senonensis, capitula debere ad concilia convocari, et eorum nuntios ad tractatum admitti, maxime super his quæ ad capitula contingere dignoscantur. Cum capitula sint senatus Episcoporum pro regimine Ecclesiæ suæ, opportunum judicatum fuit ea admitti in cœtibus episcopalibus, ubi agitur de regimine diœceseon. Insuper multa ibidem negotia tractantur de cultu publico, qui capitulo cathedralis potissimum commendatur.

Præterea communiter invitantur abbates et priores conventuales. Illos tamen nec jus habere ad hanc convocationem, nec venire teneri putamus, si sint exempti a jurisdictione Ordinariorum, nec aliunde habeant in clerum et plebem jurisdictionem quasi-episcopalem. 1° Nullum citatur documentum juris canonici quo jus ad hanc convocationem abbatibus concedatur. 2° Plerique canonistæ non agunt de illo jure, nec illud supponunt. 3° Litteræ indictionis et convocationis quæ abbates annumerant inter eos qui jure vel consuetudine interesse tenentur, non debent intelligi de jure, seu prærogativa inhærente conditioni prælatorum regularium, sed de obligatione pro casu quo convocati fuerint, sensu supra exposito. 4° Non est cur necessario convocentur, cum nec habeant jurisdictionem episcopalem, ex hypothesi; nec sint consiliarii Episcoporum, in regimine Ecclesiarum provinciæ. Quod si forte aliquid a concilio statuatur quod adversetur privilegiis regularium, viam habent recursus ad

Sanctam Sedem, sicut alii omnes clerici beneficiarii quorum jura violata forent. 5° Concilium Turonensis provinciæ habitum an. 1849 statuit in suo decreto VI *de Concilio provinciali :* « Juxta morem pristinum invitabuntur, *prout Metropolitanus cum suis suffraganeis expedire judicaverit,* abbates monasteriorum in provincia existentium, necnon et alii viri scientia... commendabiles. » Hoc supponit nullam esse necessitatem canonicam convocandi abbates quales sunt apud nos.

Tandem mos est ut invitentur theologi, canonistæ, et alii quorum officium necessarium est Patribus concilii.

II. Qui invitantur ad concilium provinciale non idcirco habent omnes jus in eo suffragandi, sed ii soli quibus hoc a jure vel a consuetudine tribuitur.

Hi sunt : 1° omnes Episcopi provinciæ præsentes, et insuper procuratores absentum, si Patres consentiant; 2° abbates sive regulares, sive commendatarii, habentes jurisdictionem quasi-episcopalem in aliquam partem plebis et cleri provinciæ; 3° probabiliter vicarii capitulares, sede episcopali vacante.

Certum est vicarios capitulares plerumque fuisse admissos cum suffragio decisivo, in conciliis provincialibus Galliæ[1]. Multi canonistæ magni nominis supponunt hoc illis competere jure communi. Ita præ aliis Card. Petra, *Comm.* in constitutionem Honorii II, n° 351; Ferraris, v° *Concilium,* art. II, n° 15; Barbosa, in conc. Trid., sess. XXIV, cap. II, n° 11. Hoc maxime convenit, siquidem vicarius capitularis episcopali jurisdictione potitur et diœcesim repræsentat. Si plures sedes episcopales provinciæ simul vacarent, et vicarii capitulares non haberent suffragium decisivum, contingere posset minorem partem Episcoporum provinciæ legem imponere omnibus diœcesibus ejusdem provinciæ, quod certe non consonat menti canonum.

[1] Labbe, *Coll. conc.*, t. XV, col. 864, 1428.

Concilium Burdigalense condemnavit, an. 1624, opinionem illorum qui asserebant *præter Episcopos, quosdam etiam habere vocem decisivam in concilio provinciali*, sed hæc condemnatio attingit tantummodo novatores qui enitebantur presbyteris jura tribuere in divina Ecclesiæ constitutione quæ ipsis non competunt; et non debet sumi modo absoluto, alioquin nec abbates habentes populum possent sibi vindicare suffragium decisivum.

Hi sunt igitur omnes qui suffragium habent decisivum : causæ autem definiuntur pluralitate votorum. Si suffragia in duas partes æquales dividantur, res in suspenso manent, et non fertur decretum, quia præses, id est Metropolitanus, non habet vocem præponderantem, uti non semel declaratum fuit.

226. — III° *Quæ sit auctoritas concilii provincialis?*

Decretum Tridentinum fert : « ...concilia provincialia pro « moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis « componendis aliisque causis, ex sacris canonibus permissis, « renoventur. » Hæc ad causas fidei, ad res disciplinares atque ad judicia referuntur.

1° Plerumque non pertractantur causæ fidei in synodis provincialibus; si tamen suboriantur hæreses, vel opiniones contra bonos mores, synodus potest sententias contra doctrinam catholicam gliscentes condemnare; ita tamen ut judicium ab ea prolatum nonnisi accedente solemni Sedis Apostolicæ confirmatione reponendum sit inter dogmata fidei. Ea ratione plures olim hæreses profligatæ sunt a conciliis provincialibus; v. g. concilium Carthaginense et Millevitanum damnaverunt falsa dogmata Pelagii contra gratiam Christi; concilium Arausicanum damnavit semipelagianismum. Quæ autem hæc concilia decreverunt, firma substiterunt postquam Romanus Pontifex ea rata habuerit et confirmaverit.

In iis quæ liberis scholarum catholicarum disputatio-

nibus dimittuntur, nihil definire debet nec potest synodus provincialis.

2° Potest concilium condere decreta disciplinam respicientia, quod sufficienter indicant verba mox allata conc. Trid.; mores siquidem moderantur, et corriguntur abusus per leges disciplinares; unde synodus Parisiensis, an. 1849 habita, hæc declaravit : « Docemus secundum Ecclesiæ ca-« tholicæ instituta, Episcopis in concilio provinciali legitime « congregatis, jus et potestatem competere ferendi pro sua « provincia leges, dummodo generalibus Ecclesiæ canonibus « et Sanctæ Sedis constitutionibus non adversentur. » (Tit. I, cap. VI.)

3° Tandem synodi provinciales habent auctoritatem judicialem, qua pronuntiant de querelis contra laicos, clericos, et ipsos Episcopos ac Metropolitanum subortis. Concilium Trid. statuit ad hoc tribunal deferendas esse causas minores criminales Episcoporum.

227. — IV° *Utrum decreta concilii provincialis debeant submitti revisioni Sanctæ Sedis antequam promulgentur, et quis sit effectus hujus revisionis?*

I. Metropolitani frequenter ab antiquis temporibus transmiserunt ad Sanctam Sedem decreta suorum conciliorum ab eaque confirmationem expetierunt. Alii id egerunt ob suam filialem reverentiam erga Sanctam Sedem; alii quia de causis fidei tractaverant quæ ad cathedram Petri semper referri necesse fuit; alii demum spe removendi auctoritate apostolica difficultates quæ executionem decretorum forte impediissent. Cæterum, « nec lege, nec more tenebantur, ait P. Tho-« massinus, a Papa expectare confirmationem conciliorum « provinciæ [1]. » Nunc vero extat lex communis qua omnibus Metropolitanis injungitur, antequam suæ provinciæ concilii decreta promulgent, ea ad sacram Concilii Congregationem

[1] *Discipl. Eccl.*, tom. II, part. II, lib. III, cap. LVII, n° 2.

transmittere; ut corrigatur si quid fortasse in iisdem, aut nimis rigidum, aut minus canonibus vel sanæ doctrinæ congruum, deprehendatur. Hanc disciplinam statuit Sixtus V, const. *Immensa*, in qua inter alia quæ ad convocationem seu celebrationem synodorum attinent, decrevit : « Provincialium vero, « ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet « (Cong. Conc.), eaque singula expendet et recognoscet. »

Neminem movere potest quod Sancta Sedes hoc testimonium subjectionis expostulaverit; præter quod enim Metropolitanorum jurisdictio ex primatus apostolici concessione profecta, intra angustiores limites coerceri potuit, promulgatio decretorum quæ totam insimul provinciam attingunt, non sine gravi ratione reposita est inter causas graviores quæ absolvi non debent inconsulto S. Pontifice. Aliunde, ut quid onerosam Ecclesiis reputaremus disciplinam quæ majorem securitatem omnibus affert?...

228. — II. Decreta conciliorum provincialium non submittuntur recognitioni Sanctæ Sedis ut postea confirmationem ab ea reportent, sed ut emendentur si forte reformatione eguerint; aliquando tamen, ita petentibus Metropolitanis, per litteras apostolicas confirmantur. Hæc igitur duo : simplex recognitio et confirmatio decretorum, confundi non debent. Vel sola intervenit Congregatio declarando nihil obstare quominus decreta promulgentur, vel summus Pontifex concilium positive approbat atque confirmat.

In priori casu, est simplex recognitio, quæ non inducit jus novum nihilque addit decretis synodi, præter gravem præsumptionem nihil his decretis contineri quod fidei, moribus, seu disciplinæ adversetur. Re quidem vera Sixtus V Congregationi concilii puram revisionem demandavit, tum in signum reverentiæ debitæ in Pastorem universalem Ecclesiæ, ut ante publicationem certior reddatur; tum majoris cautionis causa, ut si quid forte minus conveniens in actis synodalibus insertum sit, corrigatur.

In altero casu est vera confirmatio quæ majorem auctoritatem decretis inducit, eaque venerabiliora fidelibus reddit. Canonistæ distinguunt duplicem confirmationem : aliam in *forma communi*, quando superior, nulla vel non exacta causæ cognitione præmissa, adeoque de negotio non plene sed confuse instructus, actum ab inferiore gestum confirmat in eo statu in quo antea fuit, sub expressa, aut tacita conditione, *si canonibus et apostolicis constitutionibus non adversetur;* aliam in *forma speciali*, quando superior actum ab inferiore gestum confirmat, pensatis et examinatis totius negotii circumstantiis, adeoque cum perfecta ejus notitia. Signa confirmationis in forma speciali hæc sunt : si in litteris confirmatoriis hæc aut similia adjiciantur : *ex certa scientia... ex plenitudine potestatis... non obstantibus contrariis quibuscumque*, etc... aut si « aliis verbis rescripti confirmatorii, « vel ex narratis in illo constet superiorem cum plena cogni« tione dispositionem confirmasse, quia non interest quomodo « mentem suam exprimat, cum tacite et expresse sit eadem « vis. » (Schmalzgrueber, in tit. DE CONFIRMATIONE UTILI ET INUTILI, lib. II, n° 6.) Confirmatio in forma speciali novum jus tribuit actui confirmato, eumque, si forte invalidus esset, validum efficit, supplendo defectus qui in eo intervenerunt et suppleri possunt ac solent a confirmante; dum confirmatio in forma communi, licet actum valide et legitime factum corroboret et acceptiorem reddat, nullam vim habet, nec effectum producit respectu actus invalidi quem in sua nullitate relinquit.

Hinc sequitur plurimum quidem valere decretum alicujus synodi provincialis, ad probandam thesim in causa seu doctrinali seu disciplinari, ex quo sacra Congregatio hujus synodi decreta promulgari permiserit; dici tamen non debet causam finitam esse auctoritate apostolica, nec amplius licitum aliter sentire vel ordinare quam his decretis declaratum aut statutum fuerit. Hac ratione utimur decretis conciliorum

provincialium in nostris *Lectionibus canonicis*. Quo plures sunt synodi quæ eodem modo, eodemque sensu statuerint, eo gravius argumentum deducimus ex illorum decretis; quia præsumendum non est S. Congregationem quæ hæc decreta accurate recensuit, et quæ nonnulla ex earumdem synodorum mutanda notavit, nihil de iis decretis insinuasse si disciplinam canonicam offenderent. Igitur non solum licitum est ea servare tuta conscientia in provinciis pro quibus lata sunt, usquedum S. Sedes aliud præscripserit, quod nemo in dubium revocabit; sed adduci etiam possunt in confirmationem eorum quæ in simili omnino rerum statu, a cæteris Ecclesiis observantur. Major vero est auctoritas decretorum synodi provincialis quando datur confirmatio in forma speciali, uti datam communiter supponimus, si post accuratam revisionem S. Cong. Concilii, S. Pontifex positive approbet atque sua auctoritate confirmet; ipsis siquidem confirmatio confert robur ac validitatem qua forte ob defectum juris carerent. Hæc tamen approbatio, licet data sit motu proprio, ex certa scientia, et etiam ex plenitudine potestatis, non derogare censetur juri alteri quæsito, nisi id exprimatur. (N° 57.)

Nota. Regulariter fit simplex revisio a S. Congregatione; adeo ut nullum sit ex conciliis provincialibus nuper in nostris partibus celebratis, quod Sancta Sedes confirmaverit.

SECTIO VII

DE PAROCHIS

Postquam exposuimus quem ordinem Christus instituit ad regimen Ecclesiæ universalis et diœceseon, juvat perpendere qua ratione ab Ecclesia provisum fuerit regimini spirituali fidelium qui per parœcias distribuuntur. Dicendum itaque nobis erit : 1° de statu et de diversis speciebus parœciarum ; 2° de nominatione et institutione parochorum ; 3° de illorum juribus et obligationibus ; 4° de vicariis parochialibus ; 5° demum de superioribus communitatum et de eleemosynariis qui aliquid habent jurisdictionis parochialis [1].

ARTICULUS I. — DE NATURA ET DIVERSIS SPECIEBUS PARŒCIARUM.

229. — I° *Quid sit parœcia, quid parochus ?*

I. Concilium Tridentinum sufficienter indicat quid sit parœcia, in hoc decreto XIIIᵃ sessionis XXIVᵃ cujus verba sunt attente ponderanda : « In iis civitatibus et locis ubi parochia-

[1] V. Titulum XXIX DE PAROCHIS ET ALIENIS PAROCHIANIS, lib. III Decretalium. — Cf. Barbosa, *de Parochis*. — M. Lupi, *de Parochis ante annum millesimum*, 1 vol. in-4°, an. 1788. — L. Nardi, *dei Parochi*, 2 vol in-4° an. 1830. — J. Cornaro, *dei Parochi libri sette*.

« les Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores « proprium populum quem regant, sed promiscue sacramenta « postulantibus administrant, mandat sancta synodus Episco- « pis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut « distincto populo in certas propriasque parochias, unicui- « que suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, « qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta « suscipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exe- « gerit, provideant. »

Hinc concludimus parœciam esse portionem aliquam diœcesis constantem ex fidelibus intra certos fines commorantibus, quæ suum peculiarem sacerdotem habet a quo recipere debeat auxilia ad uniuscujusque salutem attinentia. Jus parochiale consistit in mutua atque reciproca necessitate quoad administrationem et receptionem sacramentorum, adeo ut parochus teneatur vi sui officii sacramenta administrare suis fidelibus, et vicissim fideles a suo presbytero sacramenta recipere debeant [1].

Hæc paucis elucidare convenit.

1° *Portio diœcesis...* Communiter non consistit parœcia ubi non est diœcesis canonice formata per erectionem sedis episcopalis : hoc in casu formatur Congregatio fidelium sub regimine presbyteri, ut fit in pluribus districtibus quos regunt vicarii apostolici, seu Episcopi *in partibus infidelium*.

2° *Constans ex fidelibus intra certos fines commorantibus...* Nisi ob peculiares rationes Episcopus recedendum duxerit, ad mentem concilii, ab ordine consueto, non attenditur, constituendo parœciam, ad personas et familias, sed ad loci limites, ut cœtus fidelium facilius adunetur sub manu sui pastoris, quod maxime prodest ad bonum regimen animarum.

[1] Ecclesiæ Parochiales dicebantur olim *Baptismales*, et *Baptisteria*. quia in illis solummodo conferebatur baptismus, extra casum necessitatis. Frequentius autem, a sæculis antiquioribus dictæ sunt simpliciter *Parochiæ*. Lupus, dissert. II, cap. IX.

3° *Habens peculiarem sacerdotem*, qui sit proprius et ordinarius illius presbyter, uti indicant verba decreti Tridentini, *suum peculiarem parochum assignent;* hæc enim unicum pastorem eidem ecclesiæ præfici declarant. Idem statuerant olim plures textus juris veteris et Decretalium, ex quibus citare sufficiat cap. *Sicut*, 4, quæst. 2, caus. XXI; et cap. *Cum non ignores*, 15, DE PRÆBENDIS, lib. III, cujus sensus obvius est unam ecclesiam uni sacerdoti committendam fore, ac cavendum ne unus sacerdos plures simul ecclesias habeat.

4° *A quo recipere debeat auxilia*... Scilicet instructionem et sacramenta. Parochianis jus tribuitur hæc media salutis a suo peculiari presbytero requirendi; quinimo ad illum recurrere tenentur, sensu infra exponendo, et cum limitationibus jure aut consuetudine inductis. Multiplici proinde ratione parœciæ discriminantur a confraternitatibus, quæ etsi committuntur curæ unius presbyteri, hunc tamen non habent uti pastorem ordinarium qui jure proprio regat, sed tanquam delegatum ab Episcopo vel a parocho; nec ad illum recurrere tenentur ad susceptionem sacramentorum.

II. Data definitione parœciæ illico concluditur quid sit Parochus : est nimirum presbyter ille peculiaris, qui sub regimine Episcopi, habet jure proprio officium docendi, pascendi et regendi plebem sibi commissam. Vox *Parochus* derivatur a græco παροικέω (latine, *incolo*) quia præficitur regimini spirituali incolarum loci. Dicitur etiam *Plebanus* a plebe quam regit; *Curatus* a cura gregis; *Rector* a regimine parœciæ. Usu consueto cohonestatur insuper titulo *Pastoris* parœciæ, quia plebem pascit pabulo doctrinæ christianæ atque sacramentorum. Olim soli Episcopi pastores nuncupabantur, aut saltem raris in monumentis attributa videtur parochis illa denominatio : hac tamen utitur Pontificale Romanum, juxta cujus præscriptum Episcopus in ultima allocutione ad synodum qui ex Parochis præcipue coalescit, sic habet : *Nos pastores vestri sumus; vos autem pastores anima-*

rum vobis commissarum (*Ordo ad Synodum*). Eadem denominatione Episcopos simul ac parochos designat concilium Tridentinum in cap. XII, sess. XXV, dum « Hortatur omnes « et singulos pro christiana charitate debitoque erga *pastores* « suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Episcopis et pa- « rochis... large subvenire ad Dei laudem, atque ad pastorum « suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non « graventur. » Nulli igitur mirum videatur, si theologi, etiam sanioris doctrinæ, parochis tribuant titulum pastoris, quod et fecerunt plura concilia provincialia recens habita in Galliis, in provinciis fœderatis Americæ, et in aliis regionibus, quæ parochos hortantur ut munus obeant *boni pastoris*, utque affectu paterno suscipiant vicarios quos in adjutorium *pastoralis officii* habuerint; ipsos denique *pastores* dicunt, titulo singulari quo ab aliis sibi adjunctis sacerdotibus distinguantur [1]. Si sæculo ultimo elapso quidam novatores hoc titulo abuti conati sunt ad vindicandum parochis jura quæ illis non competunt, nullum hodierna die apparet periculum ne sub hac appellatione lateat error; quamobrem nec affectare decet titulum pastoris, quia affectatio illa tituli olim inusitati aliquid suspectum forsan haberet, nec illum studiose rejicere, veluti male sonantem, ac fidei catholicæ non convenientem.

230. — II° *Quotuplicis speciei distinguantur parœciæ?*

Duplicis speciei sunt : aliæ proprie dictæ quæ dantur in titulum, canonica institutione; aliæ improprie dictæ, quæ per delegationem ad beneplacitum superioris rectori amovibili committuntur, et quæ vocantur communiter apud nos *ecclesiæ succursales* [2].

[1] His verbis usa sunt concilia provinciarum Tolosanæ, Bituricensis, Lugdunensis, Albiensis; item duo concilia I et IV provinciæ Baltimorensis, mox proferenda (n° 231).

[2] *Succursales* olim dicebantur capellæ vicariales. « La Succursale, *ait* « Durand de Maillane, est une église dans laquelle on fait le service parois-

Jure communi Parochi sunt inamovibiles, quandoquidem ea est a pluribus sæculis conditio officiorum ecclesiasticorum, ut clerici suo titulo non possint privari nisi sponte cedant, vel juridice deponantur; unde dicitur in cap. *Presbyteri*, DE CAPELLIS MONACHORUM, in VI°, presbyteros sæculares qui ad curam populi per monachos in eorum ecclesiis præsentantur Episcopis et instituuntur, « cum debeant esse per« petui, ab eisdem ecclesiis non posse, nisi per Episcopos, et « ex causa rationabili, amoveri. » Concilium Tridentinum præscripsit ad mentem horum canonum, ut, distincto populo per parochias, singulæ parochiæ haberent suum peculiarem *perpetuumque* presbyterum.

Hæc perpetuitas, seu, aliis terminis, inamovibilitas sacerdotis, est conditio communis officii parochialis; et idcirco parœcias proprie dictas illas diximus quæ in titulum conferuntur : non est tamen in traditionibus inauditum nec a jure reprobatum, ut ecclesiæ cum cura animarum committantur rectoribus amovibilibus ad nutum superioris, quales sunt ecclesiæ succursales in hodierno statu Galliarum.

231. — *Utrum jure canonico vetitum sit institui ecclesias succursales cum officio parochiali, ad nutum amovibili, et cur hujusmodi ecclesiæ constitutæ sunt in Galliis?*

1° Plures olim ecclesiæ commissæ sunt rectoribus delegatione revocabili, non solum sacerdotibus regularibus, sed etiam sæcularibus. Re quidem vera, regulares qui præficiuntur regimini ecclesiæ parochialis possunt a suo Prælato amoveri, ita requirente disciplina ordinum religiosorum, ut servetur bonum obedientiæ; quapropter Innocentius III animadvertit regulas judiciales servari solitas erga parochos sæculares quando suo beneficio privandi sunt, lo-

« sial pour la commodité des habitants trop éloignés de la paroisse. On a « employé le mot de succursale, parce que cette nouvelle église est d'un « grand secours pour la paroisse, ou plutôt pour les habitants.» *Dictionnaire du Droit canonique*, v° *Succursale*.

eum non habere in causis regularium : « Hunc tamen ordi-
« nem, inquit, circa personas regulares non credimus usque-
« quaque servandum, quia cum causa requirit, possunt
« facilius et liberius a suis administrationibus amoveri [1]. »
Quoad vero presbyteros sæculares, idem servatum sæpe in nonnullis regionibus multa monumenta probant. Sanchez testatur in Hispania plures fuisse rectores amovibiles, ita ut Episcopi quarumdam diœceseon reputarentur soli parochi in sua diœcesi, et regerent ecclesias per delegatos. Legimus in *Thesauro resolutionum* S. Congregationis, Episcopos cujusdam diœcesis in Italia eumdem modum adhibuisse usque ad annum 1841 ; parœcias nimirum regebant per sacerdotes amovibiles, qui parochi substituti dicebantur. Eumdem morem in quibusdam diœcesibus Galliarum viguisse olim indubium est [2]. Præterea, erant in permultis regionibus ecclesiæ parochiales unitæ capitulis quæ curam *habitualem* sibi reservando, administrationem vicariis amovibilibus committebant : porro, hi vicarii omne officium parochiale, dempto solo nomine *parochi* et privilegio inamovibilitatis, obtinebant. Concilium Tridentinum non improbavit hunc statum ecclesiarum, sed tantummodo Episcopis facultatem tributam esse voluit providendi per vicarios *etiam perpetuos* ut consuleretur illarum regimini, si id magis expedire visum fuerit. Porro, quamvis communius Episcopi expedire judicaverint substituendos esse parochos, aut vicarios perpetuos vicariis amovibilibus, non defuerunt viri graves qui, re attente pensata, existimaverunt retinendum esse usum pristinum, ne turbarentur mores populi, et etiam ut removere-

[1] Labbe, *Collect. conc.*, tom. XI, col. 159; conc. Later. IV, can. VIII, *de Institutionibus*.

[2] Sanchez, *de Matrimonio*, lib. III, disp. XXXI, n° 14.— *Thesaurus resol* S. Cong. Conc., tom. CI, pag. 270. — *Concilium Avenionense*, an. 1725, tit. XXX. — Edictum Ludovici XIV, 29 januarii 1686.

tur necessitas nominandi parochos per concursum, juxta formam præscriptam a concilio Tridentino [1].

2° Non reprobatur a jure regimen ecclesiæ succursalis per rectorem amovibilem. Concilium Tridentinum, posteaquam Episcopis mandavit ut distincto populo in parochias, unicuique peculiarem perpetuumque sacerdotem assignent, subjungit : *aut utiliori alio modo, prout qualitas loci exegerit, provideant.* Ergo non requirit absolute ut erigant parœcias cum pastore perpetuo, sed assentitur ut alio modo qui utilior visus sit, provideant. Num exinde liberum non erit Episcopis, pro suo prudenti arbitrio, constituere ecclesias cum cura animarum sub regimine presbyteri ad nutum amovibilis? « Concilium, ait Pignatelli, non præcise arctat « Episcopos ad institutionem parochi perpetui, adeo ut non « possint alio modo utiliori providere ; loquitur enim alterna- « tive in hæc verba : *aut alio utiliori modo;* per quam alter- « nativam *aut* dat electionem Episcopis. » Suum assertum pluribus argumentis decisionibusque confirmat, ac tandem concludit : « Constat igitur nullo modo repugnare, attenta « conc. Trid. dispositione, quominus animarum cura per « curatos, aut vicarios amovibiles exerceatur. » (Tom. IX, *Consultat.* CXLIII, n° 3, 21.) Qui hoc modo deputatur, non habet titulum proprie dictum, sed nudum officii pastoralis exercitium, quod cæteroquin, Episcopo ita disponente, easdem fere prærogativas confert, exceptis inamovibilitate ac titulo parochiali.

Libertate a concilio Tridentino data usi sunt Episcopi in provinciis fœderatis Americæ. Unum tantummodo beneficium parochiale in his regionibus erectum esse noscitur, nempe in civitate Neo-Aurelia; aliæ omnes ecclesiæ, quas *missiones* seu *congregationes* vocant, eodem fere modo ac nostræ suc-

[1] Card. de Luca, *de Parochis,* discurs. XVIII, n° 2. — *Thesaurus resol.* S. Cong. 9 sept. 1848. *Caus. Narnien.*

cursales constitutæ sunt. « Statuimus et decernimus, dixere « Patres primi concilii Baltimorensis (an. 1829), unumquem- « que Præsulem debere designare in locis, in quibus plures « forsan sacerdotes requirantur, unum singulorum locorum « Pastorem cui adjutor unus vel plures in suo munere assi- « gnari poterunt, prout Præsuli visum fuerit. » In concilio autem quarto (an. 1840) statuitur : « Firmare volentes quæ « in canone 4° primi concilii declarata fuere de unico pastore « in singulis congregationibus designando, declaramus pa- « stori soli ita designato competere administrationem eccle- « siæ seu congregationis, atque aliis sacerdotibus in mini- « sterii adjutorium adjunctis non licere aliquid aggredi « præter Pastoris voluntatem. » Porro, utrumque concilium simul decernit facultatem Præsulibus competere, in his fœderatis provinciis, sacerdotes in quamlibet suarum diœce- seon partem ad sacrum ministerium *deputandi*, eosque *inde, prout in Domino judicaverint, revocandi*, salvo jure illorum qui parochialia obtinerent beneficia. (Can. 1 et 4 conc. Balti- morensis I et IV.)

3° Episcopi Galliæ gravissimis rationibus adducti sunt ad constituendum ecclesias succursales, quales hodiedum exstant. 1° Ex concordato, circumscriptio parochiarum effectum suum sortiri non debebat antequam accessisset consensus gubernii civilis; gubernium autem tunc temporis statuerat unicam fore per singulos districtus (*justices de paix*), parochiam cum jure inamovibilitatis[1]; ergo Episcopis reliquum erat, ut unum solum parochum constituerent per districtum qui in suo ambitu plures civitates et oppida continebat, quod valde damnosum fuisset; aut presbyteros, cum cura anima- rum, ad nutum amovibili, præficerent ecclesiis intra fines

[1] Lex *organica* non obstabat quominus duæ aut plures parochiæ institui possent per singulos districtus, cum assensu gubernii (art. 60); sed gubernium volebat unam tantum constitui, ne multiplicarentur tituli inamovibiles. — Villefroy, *Traité de l'administration du culte catholique*, art. *Cure*.

districtus exstantibus. 2° Temporibus perturbationem rerum Gallicarum proxime subsecutis, opportunum nullatenus fuit instituere rectores inamovibiles in singulis ecclesiis; siquidem ex presbyteris quos Episcopi deputare cogebantur ad curam animarum, alii erant recens a schismate ad unitatem regressi, alii instituti olim fuerant in ordinibus religiosis sine ullo experimento regiminis parochiarum, alii ordinibus initiati, ob temporum necessitates, antequam in sacra disciplina sufficienter informati, ne de cæteris plurimis dicamus : num his sacerdotibus Episcopi officium perpetuum, cum titulo utique irrevocabili, prudenter commisissent? Ergo provida ratione Antistites nostri consuluerunt regimini suarum diœceseon per institutionem ecclesiarum succursalium. Si forte videatur Episcopos limites Decreti Card. Legati excessisse, quia nimirum in hocce decreto, sicuti et in bulla *Christi Domini* mandatum ipsis erat de erectione et circumscriptione *parœciarum* quæ sufficere possent necessitati fidelium, non vero de erectione ecclesiarum succursalium quarum alia certe est conditio; dicemus, illos statum ecclesiarum hocce modo ordinavisse pro majori bono, ad mentem concilii Trid., et ex præsumpto consensu Sanctæ Sedis; hanc disciplinam apud nos longa possessione fuisse firmatam atque constabilitam; quin etiam eidem postea accessisse expressum consensum S. Pontificis; quapropter nullus jam superest locus dubitandi de illius legitimitate.

Graves rationes hucusque obstant quominus immutetur status succursalium; idcirco Gregorius XVI ad interrogata quorumdam Episcoporum respondit servandam esse disciplinam constitutam donec Sancta Sedes aliter statuerit. Synodus provinciæ Remensis, habita an. 1849, cum decretum condidisset, non quidem ad immutandum statum generalem succursalium, sed de augendo numero parochorum inamovibilium, S. Congregatio ab hujus decreti executione supersedendum duxit.

232. — Hinc concludendum videtur rectores ecclesiarum succursalium habere jurisdictionem ordinariam, nec alia ratione distingui a Parochis quam amovibilitate ab officio. Illud etenim officium confert jurisdictionem ordinariam quod agnoscitur a jure aut consuetudine, tanquam conferens certas facultates nomine proprio exercendas, non alieno; porro tale est officium succursalistarum. Agnoscitur quidem a jure, vi saltem consuetudinis inducto; omnes quippe a tempore concordati habuerunt succursalistam ut proprium sacerdotem quoad sacramentorum dispensationem et regimen ecclesiæ ipsi demandatæ. Illud præterea officium agnoscitur tanquam conferens facultates proprio nomine, non alieno exercendas; nam succursalista est independens a parocho titulari, suo nomine munere fungitur; quin etiam Parochus nullam functionem exercere potest in iisdem ecclesiis absque licentia rectoris. Sancta Sedes de illa ordinatione parochiarum consulta, respondit nihil immutandum, nisi ipsamet deinceps aliter statuerit; ergo nihil deest, nostro quidem sensu, quominus rectores succursalium potiantur jurisdictione ordinaria.

233. — III° *Utrum jure divino, vel ecclesiastico, parochi sint instituti?*

Facultas Parisiensis olim tenebat parochos esse in Ecclesia Prælatos minores ex primaria Christi institutione, quod sic exposuit *Bossuet :* « Mens Facultatis non est institutum « a Christo ut parochi sint eo ritu quem nunc Ecclesia servat, « in parœcias distributi; id enim pertinet ad illam limitationem « quam a Papa esse et ab Ecclesia, ipsa Facultas docuit; sed « omnino a Christo esse id quod ad primariam hujus ordinis « institutionem pertinet, scilicet ut ille sit in Ecclesia neces- « sarius; et secundo loco sub Episcopis jurisdictionem exer- « ceat, quam cum exercet, non ab alio quam a Christo, secun- « dum canones et præscripta Episcoporum, exercendam acci- « piat. » (*Defensio cler. Gall.*, lib. VIII, cap. XIV.)

Quo melius appareat status quæstionis, prænotare oportet in quo Theologi consentiant, et de quo inter se disputent. Omnes admittunt 1° Christum instituisse, cum episcopatu, secundum ordinem sacerdotum, qui habent functiones presbyteratui annexas; 2° parochos non esse, juxta præsentem ecclesiarum disciplinam, mere vicarios Episcopi, sed pastores ordinarios et immediatos; 3° demum jurisdictionem illam qua pastores ordinarii constituuntur, non impedire quominus Episcopus sit etiam pastor ordinarius et immediatus omnium diœcesanorum. Si qui olim aliter opinati sint, deseruntur, quia falsum erroneumque fuit illorum systema.

Hæc cum ita sint, controversia movetur utrum Christus ordinem sacerdotalem instituerit ut essent sacerdotes cum jurisdictione pastorali ordinaria in gregem sibi commissum, secundum modum quem Ecclesia determinaverit; an e contra Christus nihil ea de re statuerit, dimissa Ecclesiæ omnimoda libertate ordinandi, pro sua sapientia, ut sacerdotes curam animarum habeant, uti simplices delegati Episcopi titulo vicario in partem sollicitudinis vocati, vel uti pastores ordinarii. Si prius dicatur, parochi erunt jure divino; si posterius, erunt jure humano.

Theologi Facultatis Parisiensis partem primam sustinuerunt, quia juxta illos 1° institutio parochiarum est moraliter necessaria ad regimen ecclesiarum; 2° constanter viguit ex quo Ecclesia obtinuit hanc extensionem quam Christus promiserat. Multiplicatis scilicet per civitates et vicos fidelibus, moraliter necessarium fuit constitui secundi ordinis sacerdotes qui haberent pastoralem jurisdictionem in portionem gregis, sub auctoritate Episcopi, cum officio docendi, et sacramenta administrandi : male, inquiunt, provideretur his necessitatibus per commissiones temporales. Quod vero officium pastorale fuerit hac ratione ordinatum probare contendunt. Fatentur non apparere in prioribus sæculis parochias constitutas, quia pauci erant fideles in vicis, unde unus

Episcopus custodiæ gregis sufficiebat cum suo presbyterio et diaconis; sed crescente numero fidelium erectæ sunt parochiæ cum suo peculiari presbytero; unde concilium Sardicense statuit quod « licentia non est danda ordinandi « Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui « sufficit unus presbyter, quia necesse non est ibi Episcopum « fieri, ne vilescat nomen Episcopi et auctoritas. » Can. VI. Ab eo tempore Episcopi consueverunt præficere in agris, in pagis et minoribus urbibus, sacerdotem qui curam haberet animarum, et licet diverso modo instituti fuerint parochi, et limitatæ parochiæ, hæc institutio ubique obtinuit. Igitur, concludunt illi, etsi ab initio non extiterit ordo pastorum secundi ordinis, nihilominus præsumendum est Christum voluisse hunc ordinem cum pastorali jurisdictione constitui, quando id postulaverit necessitas. « Ut gradus aliquis sit « divinæ institutionis, ait *Collet*, necesse non est ut a Christo « cuipiam de facto collatus sit; alioquin humana esset insti- « tutio diaconorum; sed neque necessum est ut ab Apostolis « cuipiam collatus sit, alioquin si nulla extitisset occasio dia- « conos instituendi, nisi post Apostolorum mortem, diaco- « nalis ordo esset ritus mere ecclesiasticus. Ergo ut parochi « de jure divino censeantur, satis est ut exstiterit lex divina « de eisdem constituendis cum id exigeret Ecclesiæ uti- « litas; proinque citior aut tardior eorum constitutio nihil « probat[1]. »

Alii Theologi propugnant sententiam contrariam, quæ est communis apud canonistas, et fundatur : 1° ipsamet aucto- ritate tot Doctorum diversarum scholarum qui in idem con- sentiunt; 2° novitate sententiæ Parisiensium quæ inaudita fuisse videtur ante sæculum decimum quintum; licet enim multi veteres locuti fuerint cum magna laude de presbyteris,

[1] Collet, tr. *de Ordine*, part. II, cap. V. — Conf. d'Angers, *sur les États*, IVe Conf., 1re quest. *sur la Hiérarchie*, IIIe Conf. — Habert, *de Ordine*. — Cornaro, lib. VI.

quos sanctus Thomas vocat « minores principes Ecclesiæ, qui « tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi » (IIIæ, quæst. LXVII, art. 2 ad 2), quod de parochis proprie intelligendum venit; non dicunt tamen horum presbyterorum ordinem fuisse divina ordinatione constitutum. Quando dixerunt Parochos esse discipulorum Christi successores, id non nisi lato sensu intelligebant. 3° Officium parochorum est plebem edocere doctrinam christianam, administrare sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis, atque tandem regimini parœciæ providere : porro ex dictis in discursu de Episcopis, juxta veterum Patrum traditionem, hæc eadem ita sunt divina ordinatione propria Episcoporum in sua diœcesi, ut nullus alius sacerdos baptizare valeat, nec absolvere, nec sacrum facere, seu divinam Eucharistiam celebrare, nisi jussu Episcopi. Hoc testantur Epistolæ S. Ignatii Martyris, scripta S. Augustini, liber *Constitutionum apostolicarum*[1]; « unde venit, ait S. Hieronymus (*Dialogus contra Luciferia-« nos*) ut sine Episcopi jussione, neque presbyter, nec dia-« conus jus habeant baptizandi. » Ergo simplices presbyteri, quocumque titulo advocentur in ministerium sacrum prædicationis, sacramentorum dispensationis, et regiminis, jure humano id consequuntur ut vicem Episcopi suppleant atque in illius locum administrent.

234. — Hanc secundam sententiam, quæ sicut Doctorum auctoritate, ita rationum momentis fulcitur præ alia, ultro amplectimur. Ut vero ostendatur quam parvi referat ad praxim controversia de origine officii parochorum, notare sufficit triplicem veluti fontem esse jurisdictionis parochialis, et hanc jurisdictionem remanere in omni gradu subordinatam et dependentem. 1° Parochus a Christo habet, quatenus presbyter, potestatem radicalem offerendi sacrificium, sa-

[1] Cf. la Luzerne, *Droits des Évêques*, diss. II, chap. II et III. — Devoti, lib. I, tit. III, sect. X, n° 87. — L. Nardi, tom. I, cap XII.

cramenta administrandi fidelibus, docendi, etc.; hæc in ipsa sacra ordinatione collata sunt. 2° Ex jure communi habet prærogativas quas canones titulo parochiali annexas fore statuerunt, et quas immutare Episcopus non potest. Episcopus non potest efficere ut parochus rite institutus, et nulla censura legitime impeditus, non sit pastor ordinarius cum jure munia pastoralia obeundi; nec etiam potest adeo imminuere, reservationibus et aliis limitationibus, illius jurisdictionem, ut fere inanis remaneat, ut notat Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. V, cap. IV, n° 3. 3° Ab ipso Episcopo habet suum titulum seu institutionem quæ illum talis in particulari parochiæ pastorem constituit.

Admissa hac origine jurisdictionis pastoralis, et subordinatione debita auctoritati episcopali, providetur simul unitati regiminis, et dignitati instituti parochialis, quod etsi jure canonico, non divino, innitatur, est tamen summi momenti ad sapientem administrationem Ecclesiarum et bonum spirituale fidelium. Felices certe existimanus Ecclesias in quibus istud saluberrimum institutum in tota sua integritate permanet.

ARTICULUS II. — DE NOMINATIONE PAROCHORUM [1].

235. — I° *Cuinam competat jus nominandi et instituendi parochos?*

Collatio beneficiorum parochialium lege communi pertinet ad Episcopum, salvo jure S. Pontificis cui per regulas Cancellariæ reservantur plura beneficia, et salvis insuper prærogativis patronorum, quando parochiæ sub patronatu constituuntur.

Reservationes in favorem S. Pontificis pro beneficiis paro-

[1] De erectione atque divisione parochiarum tractabitur in IIIa parte, ubi *de Beneficiis*.

chialibus apud nos non subsistunt, quandoquidem art. x Concordati fert : *Episcopi ad parœcias nominabunt, nec personas eligent nisi gubernio acceptas*, quod sensu obvio verborum et ad mentem contrahentium significat Episcopis dimitti collationem omnium parochiarum, exclusa quavis reservatione. Ita servatum fuit a tempore Concordati. Nullum aliunde superest in Galliis vestigium patronatus in materia beneficiali, si excipias capitulum Sancti Dionysii recens canonice erectum; quamobrem sub utroque respectu Episcopus liberam habet collationem beneficiorum parochialium, servatis servandis in electione parochorum.

236. — II° *Quid jure præscriptum sit circa nominationem parochorum?*

I. Episcopis opus semper fuit magna cum maturitate procedere in promovendo clericos ad officia publica, quibus præsertim annexa est cura animarum. A primæva ætate mos invaluit ut nec ad sacras ordinationes, nec ad officium quodcumque gravis momenti aliquem promoverent aliter quam collatis consiliis suorum fratrum, sacerdotum nempe quibus presbyterium formabatur : unde sæculis subsequentibus, capitulo cathedrali in locum veteris presbyterii suffecto, Alexander III Patriarcham Hierosolymitanum monebat ne « sine consilio fratrum suorum canonicorum, Abbates, et « Abbatissas, et alias ecclesiasticas personas institueret. » (Cap. *Novit*, 4, DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATO SINE..., lib. III Decret.) Concilium Tridentinum provisum voluit, ad mentem hujus disciplinæ, prudenti nominationi parochorum, instituto prævio concursu quo de qualitatibus promovendorum accurata fieret inquisitio. Hæc igitur præscripsit :

« Cum parochialis ecclesiæ vacatio contigerit... Episcopus « intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram « deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen « aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina de-

« ferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus et « sufficientia, fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut « Synodo provinciali, pro regionis more, videbitur magis « expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent « examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui de- « scripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito « a vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non pau- « cioribus quam tribus; quorum votis, si pares aut singula- « res fuerint, accedere possit Episcopus, vel vicarius, quibus « magis videbitur... Peracto deinde examine renuntientur « quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, « doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam « gubernandam opportunis. Ex hisque Episcopus eum eligat « quem cæteris magis idoneum judicaverit; atque illi et non « alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat ad quem spectabit eam « conferre. » (Decret., sess. XXIV, cap. XVIII.) SS. Pontifices et præsertim Bened. XIV, Const. *Cum illud*, 1742, multa sanxerunt ad promovendam accuratam observantiam hujus decreti; quæ simul cum variis dispositionibus concilio statutis, summatim referemus.

1° Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ parochialis, deputat statim, si opus fuerit, vicarium, cum congrua fructuum assignatione, ad parœciæ onera sustinenda donec de novo rectore provisum sit.

2° Edicto intimatur concursus et præfigitur terminus decem, vel ad summum viginti dierum, intra quem cancellario Episcopi, vel alteri ad id deputato, concurrentium nomina et qualitates communicabuntur. Licitum cuique est clericum quem aptum præsumit, etiamsi extraneum, proponere, modo id fiat intra tempus præfixum quo transacto non admittuntur novi candidati.

3° Die ad concursum constituto, omnes concurrentes simul idem conclave ingrediuntur, e quo egredi non licebit donec confecerint intra tempus assignatum, exhibuerintque res-

ponsa casuum propositorum, scripta latine, sua manu subscripta, et oratiunculam idiomate vernaculo super textu Evangelii ipsis æque tradito.

4° Examen concurrentium instituitur, tum super doctrina, tum super moribus, prudentia, experientia sacri ministerii, aliisque omnibus dotibus necessariis ad exercendum curam animarum. Judices autem horum sunt examinatores synodales ad minus tres numero, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, poterit Episcopus accedere quibus magis videbitur. Si anno decurrente quidam ex designatis examinatoribus in synodo mortui sint, vel e diœcesi se subduxerint, adeo ut non supersit integer numerus senarius examinatorum, Episcopus poterit alios in mortuorum vel absentium locum substituere, cum approbatione capituli, sed ad annum duntaxat a postrema Synodo ad aliam quæ post annum habenda esset defluentem. Anno expleto cessat officium examinatorum subrogatorum; quapropter tenetur Episcopus, vel novam synodum cogere, vel facultatem postulare a S. Congregatione Concilii novos examinatores extra synodum deputandi [1].

5° Episcopus non tenetur illum eligere inter concurrentes quem examinatores digniorem existimaverint, sed quem ipse digniorem præ cæteris judicat ex his qui renuntiati sunt idonei ad officium parochiale. Si Episcopus, ob causam gravem sibi notam quam sine incommodo revelare nequit, nullum elegerit ex iis quos examinatores idoneos judicaverunt, alterique officium contulerit, hanc causam, datis secreto litteris, judici apud quem appellatum fuerit, vel Præfecto S. Congregationis aperiet, et multum defertur Prælati judicio, utpote Pastoris qui veluti in specula constitutus oves suas melius cognoscere debet. (*Cum illud*, § 14, 16.)

6° Conceditur illi qui inter concurrentes officium non obtinuit, appellare ad superiorem, a mala relatione examinatorum,

[1] Bened. XIV, *de Synodo*, lib. IV, cap. VII, n[is] 7-9

vel a violatis regulis concursus, vel demum ab irrationabili judicio Episcopi; at his conditionibus : 1° ut appellatio interponatur intra decem dies a die collationis; 2° ut judex ad quem fit appellatio pronuntiet juxta acta concursus ad idipsum transmittenda clausa et obsignata, nullo admisso novo documento scientiæ cujuscumque generis post concursum confecto; 3° ut interveniente sententia judicis conformi præelectioni factæ ab Ordinario, non possit ulterius provocari. Si vero sententia sit contraria, alter ab ordinario electus appellare potest, retenta interim parochialis beneficii possessione. (*De Synodo*, lib. IV, cap. VII.)

257. — II. Lex Tridentina concursus quasdam patitur exceptiones, alias jure expressas, alias in communi jurisprudentia admissas. Nimirum : 1° non fit concursus pro parochiis manualibus, quales sunt apud nos ecclesiæ succursales; ipsa amovibilitas ad nutum male conveniret cum jure per concursum quæsito; 2° omitti etiam potest in casu quo adeo exigui sunt reditus ut non ferant totius operam examinis, item cum nemo est qui se examini subjici curet, vel tandem pertimescit Episcopus rixas et tumultus ob partium dissidia; 3° quando parochia constituitur sub patronatu laicorum, non fit concursus; attamen clericus præsentatus a patrono debet idoneus judicari ad munus per examinatores synodales; 4° demum in casu dubio an jure requiratur concursus, pronuntiare licet practice in favorem Episcopi; nam « secluso conciliari « decreto, ait Card. de Luca, attentaque dispositione juris « communis, etiam in parochialibus Episcopus habet liberum « arbitrium eligendi eum quem reputet idoneum, absque « ista forma vel restrictione ad approbandos vel reprobandos « ab examinatoribus;... hinc proinde dictum decretum con« ciliare remanet a jure exorbitans, et correctorium, adimens « Episcopis facultatem alias competentem; quo posito intrat « propositio quam in materia interpretationis statutorum et « legum receptam et quotidianam habemus, ut in dubio capi

« debeat ille intellectus per quem minus corrigatur jus com-
« mune, minusque præjudicetur tertio. » (*De Parochis*, discurs. I, nº 25.)

238. — III. Decretum de concursu promulgaverunt plura concilia provincialia in nostris partibus celebrata paulo post concilium Tridentinum, sæculo decimo sexto, præsertim Remense, Burdigalense, Tolosanum... Nihilominus tamen hæc disciplina, vel ab initio fuit in praxi neglecta, vel saltem non diu in plerisque provinciis Galliarum viguit. Canonistæ qui de usibus Galliæ scripserunt, et jurisperiti qui causas judiciales de re beneficiaria memorant, quasdam tantummodo citant regiones in quibus servabatur concursus, uti Britanniam minorem, Lotharingiam, regionem Atrebatensem, et alias nonnullas sub ditione regum recentius per bella et fœdera constitutas : alibi, passim parochialia beneficia conferebantur more olim solito, qui a tempore Concordati ad præsentem ætatem in nostris ecclesiis perseveravit.

239 — IV. Cur non prævaluerit disciplina concursus ignoramus; conjicere tamen licet causam fuisse 1° prætermissionem synodorum annualium in quibus designari oportet examinatores concursus; 2° oppositionem patronorum ecclesiasticorum et laicorum qui inde sua jura imminui et coarctatam facultatem præsentandi conquesti sunt; 3° institutionem seminariorum, quibus recte constitutis Episcopi statum cleri diœcesani et singulorum idoneitatem melius cognoscunt ut ad beneficia parochialia secure possint promovere digniores; 4° objectas difficultates a pluribus Episcopis. Plures scilicet a concursu deterruerunt incommoda quæ inde nasci visa fuerunt, præsertim periculum fovendi ambitionem in clero, et bono parochiarum præjudicandi per concessum jus appellationis ab ordinario ad judicem superiorem. Nullum est institutum, quantumvis sanctum ac salubre, quod humana fragilitate quibusdam incommodis obnoxium non sit : ab initio, et per diuturnum tempus, appellationes eo modo admittebantur,

quo non leve præjudicium inferebatur parochiis et ipsi dignitati Episcoporum, uti exponit Benedictus XIV, qui testatur « Episcoporum querelas in hoc rerum genere ipsum olim « sæpe congregationi Concilii repræsentare, pro secretarii « munere quod gerebat, omnino necessarium duxisse. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. IX, n° 20.) Sapientia Sanctæ Sedis consultissime his providit, media assumendo quibus removerentur, quantum moraliter potest, hæc incommoda. Remanet periculum ambitionis quod vix sejungi potest a disciplina concursus. Timendum quippe ne clerici qui deberent fugere dignitates, et officia gravissima quibus annexa est cura animarum non acceptare nisi ex obedientia, ad eadem officia affectu humano contendant, dum nutu proprio ad concursum accedunt, et possunt etiam a judicio sui superioris provocare, se aliis quos elegerit, digniores prætendendo. Hoc vero incommodum, quod alias compensari potest fructibus quos concilium obventuros speravit ex concursu, gravius apparet quando, pro temporum conditione et moribus societatis, magis periculosum est ne clerici agitentur humana ambitione, et ne debilitetur auctoritas primorum pastorum.

Cæterum, quævis causa assignetur cur in Galliis non viguerit decretum Tridentinum, praxis est constans et uniformis. Præsules nostri a tempore Concordati, vestigia suorum prædecessorum secuti, nominant ad omnes parochias absque ullo prævio concursu; Sancta Sedes, cui relationem status suarum diœceseon persæpe exhibuerunt, illos non admonuit ut ad jus commune suam praxim reducerent. Hæc igitur praxis tuto servari potest, et est servanda, usquedum S. Pontifex aliter statuerit; nam in re tanti momenti quæ omnium Ecclesiarum Galliæ interest, non existimamus quidquam immutari posse, non consulta Apostolica Sede[1]. Votis quidem

[1] Vidimus supra (n° 231) S. Congregationem Concilii censuisse supersedendum executioni decreti Synodi provinciæ Remensis de augendo numero parochorum inamovibilium; quod etiam de nonnullis aliis decretis simi-

prosequimur observantiam disciplinæ Tridentinæ in his omnibus quæ statui præsenti rerum conveniunt; sed Episcoporum est, ac præsertim Sanctæ Sedis, non canonistarum, decernere utrum mutatis temporum, morum ac rerum circumstantiis, rationes quæ Patres Tridentinos moverunt in præscribendo concursum, æque urgeant hac ætate; an commoda praxis hodiernæ compensent prætermissionem concursus, ac sufficienter provisum sit recto regimini parochiarum; an demum expediat inducere in Ecclesiis Galliarum legem concursus quæ nunquam ab initio ad præsentem ætatem viguit in plerisque nostris provinciis.

ARTICULUS III. — DE JURIBUS PAROCHORUM.

Duo præsertim expendi debent: 1° quæ sint jura parochorum quoad regimen tum spirituale, tum temporale parœciæ; 2° quinam fideles subsint jurisdictioni parochi. Altera quæstio subsequetur de juribus honorificis parochorum.

240. — I° *Quæ sint jura parochorum?*

I. Ad determinandum quæ sint jura propria parochorum quædam principia præmittere oportet.

1° Ecclesia voluit parochos ab Episcopo constitui, ut quasi vice Episcopi ecclesias parochiales regerent, et sacramenta administrarent ad utilitatem fidelium; qui scilicet

liter statuit, ne, etiam causa ad jus commune propius accedendi, induceretur in nonnullis provinciis novitas disciplinæ, usquedum Sancta Sedes quid magis expediret judicaverit. Eadem ratione reverentiæ erga S. Sedem et periculi ne in re tanti momenti, qua certe non parum animi commoverentur in clero, esset diversitas disciplinæ inter ejusdem regionis diœceses, existimamus nihil innovandum esse in praxi Galliarum circa modum nominandi parochos, usquedum Ecclesia Romana, omnibus temporum et morum adjunctis pensatis, judicaverit quid sit magis opportunum et modum agendi uniformem præfinierit.

animas sibi commissas cognoscere valeant, ut ait concilium Tridentinum, et a quibus solis fideles licite sacramenta suscipiant. Ergo hanc potestatem, ea jura, has functiones, quocumque nomine appellentur, parocho tribuemus quæ ab illa primigenia institutione sequuntur, vel quæ ab Episcopo expresse mandata fuerunt, aut tandem quæ juxta probatas consuetudines huic officio annexas esse certo constat.

2° Episcopi, ubi ad parochiarum institutionem devenerunt, non ideo abdicaverunt a se sacrorum administrationem in iisdem ecclesiis; parochos in sui adjutorium vocaverunt, non in eos potestatem suam propriam quasi abdicatam transtulerunt; quapropter liberum illis est officia parochialia gerere, quando opportunum judicaverint, ita tamen moderate ut nihil detractum censeatur juribus et dignitati titularis, et non præpediatur illius ministerium. Re quidem vera, nihil obstat quominus simul consistant duo vel plures jurisdictiones in eamdem plebem, modo non supponantur independentes. « Inconveniens esset, ait S. Thomas, si duo æqualiter « super eamdem plebem constituerentur; sed quod duo quo- « rum unus principalior est super eamdem plebem consti- « tuantur, non est inconveniens; et secundum hoc super « eamdem plebem sunt immediate et sacerdos parochialis, « et Episcopus, et Papa, et quilibet eorum potest ea quæ « jurisdictionis sunt apud eum pertinentis, alteri commit- « tere. » (*Supplem.*, art. v, quæst. 8.) Confirmatur auctoritate conciliorum. Concilium Viennense (cap. *Dudum*, 2, DE SEPULTURIS, lib. III) aperte supponit Episcopum posse alicui demandare, etiam parocho invito, officium prædicandi et confessiones audiendi. Concilium Tridentinum idem decernit de benedictione nuptiali et assistentia matrimonio quod celebrare licet coram alieno sacerdote de licentia ipsius parochi, *seu Ordinarii*. (Sess. XXIV, cap. I, *de Reform. Matr.*) Ita statuerunt plura concilia provincialia.

3° Prudenti arbitrio Episcopi dimittitur, ut quando in pa-

rochorum subsidium alios sacerdotes ad servitium parochiæ adjunget, inter ipsos officia partiatur pro ecclesiæ et fidelium utilitate, eo semper modo quo parochorum honor et prærogativa in cæteros servetur, uti infra dicetur ubi de vicariorum delegatione.

241. — II. Ex principiis positis multa consectaria deducuntur. Primo loco indicamus quæ ad sacramentorum administrationem pertinent.

Parochiali officio tria hæc reservantur: solemnis collatio Baptismi, Extrema Unctio infirmorum, et benedictio nuptialis; adeo ut hæc a nullo alio sacerdote peragi debeant quam a parocho, nisi de ipsius parochi, vel Episcopi licentia. (Cap. *Religiosi*, 1, DE PRIVILEGIIS, Clem. lib. V.)

Idem dicendum de administratione Sacr. Eucharistiæ per viaticum, de communione Paschali, et in plerisque nostris regionibus de prima puerorum communione. Concilium Viennense in textu allato *Religiosi* interdicit religiosis ne administrent Eucharistiam clericis aut laicis, non habita prius licentia presbyteri parochialis, quod usu restrictum est ad tres casus allatos. Si de communione Paschali agitur, sufficit illam recipere in ecclesia parochiali, nec refert a quo sacerdote suscipiatur, inscio vel consentiente parocho. Si autem de viatico, illius administratio reservatur parochis quemadmodum Extremæ Unctionis; id synodales constitutiones et ritualia passim supponunt, et decidit S. Congregatio (*Thesaur. Resol.*, an 1729, tom. IV, pag. 273, in causa *Eugubina*). Demum, quoad primam communionem, consuetudine in partibus nostris vigente inductum est, et decretis conciliorum provincialium necnon statutis diœcesanis præscriptum, eam reservari officio parochiali. Conc. Aquense habitum an. 1850 statuit: « Prima communio in propria « parochia fieri debet, nisi ut alibi fiat legitima obtineatur « dispensatio. » (Cap. IV, *Euch.*, § 5.) Concil. Senonense : « Expresse prohibemus ne ullus pastor vel presbyter puerum

« externæ parochiæ ad primam communionem sine proprii « parochi aut Episcopi licentia admittat. » (Cap. IV, *de Eucharistia.*) Concilium Rothomagense vetat ne quis admittatur ad primam communionem, nisi idoneus reperiatur « judicio « præsertim parochi ac sacerdotis cui peccata puer confite- « tur. » (Decretum XV.) Ita conc. Burdigalense (cap. IV, *de Euch.*) et alia eodem tempore celebrata, nempe : Suessionense, Rhedonense, Avenionense... quæ parochum monent, vel capellanum, pueros non admitti debere ad communionem in parochia in qua actu nunc morantur, vel in domibus instituendis pueris destinatis, nisi post tempus in statutis præfixum. — Cum hæc ita sint jure nostrarum provinciarum determinata, et gravi quidem de causa, debemus primam communionem recensere inter ea quæ juribus et officio parochialibus apud nos communiter reservantur.

Quod ad sacramentum Pœnitentiæ spectat, parochus jus certum habet omnes suos parochianos ubicumque actu morantur, et advenas in sua parochia versantes, audiendi sacramentaliter et absolvendi; verum fidelibus consuetudine liberum fit alios presbyteros adire, modo ab Episcopo approbatos ; quam consuetudinem immutare non convenit, ut pote quæ ad majorem utilitatem animarum inducta sit, et considerari potest uti privilegium jure communi concessum.

III. Reservantur insuper lege canonica officio parochiali quædam ad sacramenta de quibus modo prope accedentia, scilicet : 1° fontis baptismalis benedictio, quæ regulariter a parocho facienda est ; 2° benedictio mulierum post partum (Decret. S. Cong. Rituum. 10 dec. 1703) ; 3° funeralia parochianorum, de quibus alibi dicendum erit, ubi etiam de aliis juribus temporalibus parochorum.

IV. Tandem parochi jus habent administrandi parochiam sibi commissam, servatis legibus communibus et statutis diœcesis : quod complectitur omnes curas impendendas in regimine ecclesiæ parochialis quoad spiritualia et tempora-

lia. Nullus jure potest se in hoc regimen ullo titulo immiscere præter consensum parochi, nisi intervenerit superioris auctoritas. Quas autem leges servare debeat parochus in regimine temporali parochiæ, dicetur in III[a] parte ubi *de administratione bonorum temporalium et de fabricis.*

242. — *Nota.* Jura tribuunt parocho nudam administrationem, non vero jurisdictionem fori externi, quæ scilicet includit potestatem leges ferendi, censuras pronuntiandi, dispensandi in legibus, votis, vel juramentis. Hæc non sequuntur ex officio parochi, nec fuere parochis concessa; unde ab his abstinendum. Id solum videtur parochis datum ut suos fideles individuatim valeant ad tempus pro casu particulari dispensare, justa requirente causa, in jejuniis et abstinentia; et etiam ipsis indulgere ut die dominica vacent operibus servilibus. (S. Liguori, lib. III, n. 288, 1032.)

243. — II° *Quinam fideles subsint jurisdictioni parochi et possint ab eo recipere sacramenta?*

Jurisdictio parochi est ordinaria in omnes fideles qui intra limites parochiæ domicilium acquirunt, aut sedem habent in tempus indefinitum, adeo ut censeantur vere parochiani. Si quis in duobus locis hoc domicilium retineat, uti pluribus contingit qui partem anni in urbe, et alteram ruri transigunt, erit simul utriusque loci parochianus, cum facultate recurrendi ad ministerium parochi loci in quo versatur; imo potest etiam eumdem parochum adire extra limites parochiæ, siquidem ea est conditio jurisdictionis ordinariæ ut possit in foro interno ubique exerceri, ut alibi explicatur.

Utrum jurisdictio parochi in fideles qui quasi domicilium aut simplicem habitationem habent, censeri etiam debeat ordinaria, an sit delegata a jure communi, non certo constat; quia dici potest hanc jurisdictionem minus fundari ipsomet titulo officii parochialis, quam delegatione Ecclesiæ quæ provisum esse voluit necessitatibus spiritualibus fidelium, quando extra suam parochiam versantur. Cæterum hi fideles pos-

sunt, non secus ac parochiani, uti ministerio presbyteri parochialis pro susceptione sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis. Quoad benedictionem nuptialem, an scilicet possint contrahere coram parocho loci, non minima est difficultas. Multæ ea de re controversiæ moventur, et prodierunt resolutiones a S. Congregatione quæ inter se conciliare satis operosum est.

244. — II. « Maxima est dissensio inter doctores, ait « Fagnan, qualis habitatio requiratur ad hoc ut quis dici « possit alicujus Ecclesiæ parochianus. » Eamdem dubitationem testatur Benedictus XIV : « Sacra synodus Tridentina « decreto præcipit ut ille solum parochus intersit (matrimo- « nio) cui matrimonium contrahentes subjiciuntur; quis porro « ille intelligendus sit, concilii Patres minime declaraverunt : « hinc super hac re innumeræ prope disceptationes, quarum « pleni sunt libri, excitatæ fuerunt[1]. »

Quidam putant requiri translationem domicilii, nec satis esse qualemcumque habitationem nisi adsit animus perpetuo habitandi, sine quo domicilium non acquiritur. Alii volunt ad jus parochiæ acquirendum sufficere habitationem, dummodo tamen illa annalis sit, aut pro majori parte anni. Cæteri tenent ex sola habitatione aliquem effici parochianum alicujus Ecclesiæ, dummodo non sit ibi recreationis gratia, aut ex alia brevi causa, statim reversurus ad primam parochiam. His fere verbis doctissimus Fagnan statum controversiæ exponit, et varias decisiones S. Congregationis citat, quas etiam refert Benedictus XIV loco citato. Duas præcipuas in hac materia seligimus :

Sac. Congregatio « censuit quod parochus ruralis non est « verus parochus quando rus itur causa recreationis vel « pro rusticanis negotiis. » Ita pluries. — Cum vir et mu-

[1] Fagnan, in cap. *Significavit*, DE PAROCHIIS ET ALIENIS PAROCHIANIS. — Benedictus XIV, *Institutione* XXXIII, n° 3.

lier Trajectenses timentes impedimentum a parentibus ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio consulta super validitate, « censuit exprimendum tem-« pus quo contrahentes Aquisgranæ manserunt. Quod si « saltem fuerit unius mensis, dandam esse decisionem pro « validitate, alias de novo referendum in Congregatione. » Fagnan, loco cit., nº 39.

Dicere igitur licet ex citatis decisionibus : 1° non posse matrimonium contrahi coram parocho loci in quo aliquis per paucos dies versatur, recreationis vel negotii causa; 2° posse autem si per unum saltem mensem, quacumque ex causa, etiam intuitu matrimonii celebrandi, illic habitaverit; etiamsi animo redeundi post contractum matrimonium. Re quidem vera, dum S. Congregatio declarat parochum ruralem non esse verum parochum iis qui rus veniunt causa recreationis, non tempus determinat, et verisimiliter supponit eos venire ad paucos dies, ut satis communiter fit. Probabile non est parochum ruralem nunquam proprium parochum fore ei qui ob recreationem, vel ob negotia rusticana ruri vitam constituerit degere, quantumcumque temporis ibi morari debeat. Aliunde, quando Sacra Congregatio declaravit exprimendum tempus quo Trajectenses manserunt Aquisgranæ, et dandam esse decisionem pro validitate matrimonii in casu habitationis per unum mensem, non jussit inquirere an iidem post contractum matrimonium eodem loco plus vel minus temporis constituerint remanere, aut manserint; ergo concludere licet valere matrimonium, eo solo quod per spatium saltem unius mensis, partes habuerint habitationem.

Hanc conclusionem confirmat auctoritas Benedicti XIV, qui in Brevi Apostolico *Paucis abhinc* (1748) ad Archiepiscopum Goanum qui Sanctam Sedem consuluerat dixit : « Necessa-« rium fore censemus nonnihil adjungere ut in propatulo « sit quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum.

« Verum hac in re non alio pacto responderi potest nisi « quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem « unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi « matrimonium celebratur. » Addit quidem dubitari adhuc posse post citatas decisiones S. Congregationis, utrum ad quasi-domicilium acquirendum causa matrimonii, non solum requiratur præcedens habitatio, verum subsequens etiam ad aliquod temporis spatium, quia auctores qui hanc materiam tractaverunt, hoc tanquam magni momenti adminiculum reputant; sic autem concludit: « Cum observaverimus « nihil de illa præscriptum fuisse a Congregatione Concilii in « adducta paulo ante definitione, nolumus hac de re quid-« quam novi decernere. »

Magni quidem interest ordinis publici ut vitetur clandestinitas matrimonii; at non minus interest, in ordine ad mores, ut non cohibeatur facultas nubendi, ne plures in peccatum incontinentiæ prolabantur.

245. — His quæ modo dicta sunt, duo addenda putamus : 1° si matrimonium forte initum sit post habitationem plurium dierum, infra tamen mensem, et non adepto aliunde domicilio, res est valde dubia; siquidem lex canonica de domicilio ad matrimonium ineundum necessario, non fuit hactenus sic explicata ab auctoritate Ecclesiastica ut removeantur omnes difficultates quando ad certos casus devenitur. Expedit proinde rem exponere cum omnibus suis adjunctis S. Congregationi, ut pronuntiet, habita ratione circumstantiarum, an validum, an e contra irritum sit matrimonium de quo dubitatur. 2° Quidquid sit de spatio temporis ad quasi-domicilium requisito, pro certo teneri debet sponsos qui suum domicilium reliquerunt, etiam a paucis diebus, animo illuc non revertendi, non posse matrimonium inire coram parocho ejusdem loci; siquidem desiit ipso facto mutationis domicilii esse proprius horum sponsorum parochus. Nihil in contrarium deduci debet ex necessi-

tate in qua versarentur sponsi, ob consuetudines, seu statuta diœcesana locorum, cavendi ut banna proclamentur in veteri suo domicilio, quia alia est lex bannorum quæ jubet banna proclamari in loco ubi sponsi brevi ante versati sunt et melius cognosci præsumuntur, alia vero lex Tridentina quæ vetat ne sponsi aliter matrimonium celebrare præsumant quam præsente suo proprio parocho.

246. — III° *Utrum parochi jus habeant stolam deferendi, uti signum sui officii?*

Stola, quam alio nomine orarium olim dixerunt, est indumentum sacrum quo Episcopi, presbyteri et diaconi utuntur peragendo functiones sui ordinis. Stolam præterea parochi, certis in casibus, detulerunt uti signum sui officii, non quidem vi legis generalis, sed statutorum localium, præsertim quando in synodum diœcesanam conveniebant. « Rectores « parochialium, ait Gavantus, caputium gestant supra cottam « in multis locis; Neapoli stolam, ut dignoscantur ab aliis; « servanda est locorum consuetudo. » Hujus consuetudinis inductæ in multis Ecclesiis Galliæ et Germaniæ, a sæculo duodecimo plura exempla præbent statuta synodorum et conciliorum provincialium[1]. Extra casum synodi, parochis aliquoties concessum est stolam deferre quando collegialiter procedunt « eo fere modo, ait annotator collectionis Gardel- « lianæ, quo capitula distinguuntur ex usu rochetti, almutiæ, « aliisque id genus insigniis. » Hanc prærogativam concessit Benedictus XIV collegio parochorum Romæ quando assistunt publicis supplicationibus; quod etiam aliis parochis concedi,

[1] Gavantus, *Praxis exactissima synodi diœcesanæ*, cap. XIII.—Gohard, *Traité des bénéfices*, tom. I, pag. 513. — Statuta Odonis de Soliaco Episcopi Parisiensis an. 1200. — Vetusta est consuetudo in Galliis ut Parochi stolam deferant in signum sui officii, etiam extra casum Synodi, et sacrarum functionum ordinis. Hinc ortæ sunt in sæculis præteritis controversiæ inter Archidiaconos et Parochos an Parochi gestare possent stolam in tempore visitationis præsente suo Archidiacono, de quo videas *Mémoires du Clergé*, tom. II, col. 1814-1827. Tom. VII, col. 628-639.

probata complurium locorum consuetudine et disciplina, testatur Catalani[1]. Tandem parochi stola utuntur quando peragunt quasdam functiones sui officii proprias, quæ simul hoc indumentum sacrum requirunt; unde Sacra Rit. Congregatio, ad sedandam controversiam inter rectores parochialium Ecclesiarum, et canonicos cathedralis Salmonensis, censuit anno 1592, 2 dec., « in processione funebri, ubi « cadaver defertur, dictos canonicos et capitulum Ecclesiæ « cathedralis præcedere debere, et parochum stolam deferre, « tanquam suæ in cadaver illud jurisdictionis signum, quem« admodum et Romæ servatur[2]. »

Inde plures concludunt stolam esse signum jurisdictionis parochialis. « Stola, ait Pignatelli, est signum spiritualis « jurisdictionis qua intra fines parochiarum alii uti non de« bent nisi parochi, præsertim in munere parochiali. » (Tom. VIII, *consult.* LXXIII, n. 21, 23[3].) Hanc tamen conclusionem non admittunt scriptores liturgici, nisi sumatur in sensu latiori. Stola nimirum non est signum jurisdictionis, sed signum distinctivum officii, in casu quo parochis auctoritate competenti conceditur, ut a cæteris clericis distinguantur; necnon in illis actionibus quæ sacrum hoc indumentum requirunt, et nequeunt exerceri, sine speciali mandato, nisi a parochis; v. g. quando celebrantur funeralia defuncti in quibus parochi stolam adhibent, quamdiu exercent officium (n° 263).

Delatio igitur stolæ non ita parochis convenit, jure communi, ut semper et ubique, pro libitu sine discrimine, extra exercitium officii simulque ordinis, ea uti possint. Sac. Rit.

[1] *Decreta authentica S. Cong. Rituum*, tom. VI; not. ad decis. 4400, 22 aug. 1818. — Catalani, in *Cæremoniale Episcop.*, lib. II, cap. XXXIII, § 5.

[2] Gardellini, tom. VII, *supplementa*, n° 35.

[3] Cf. Ferraris, v° *Stola*, n° 2; v° *Parochus*. art. 11, n° 36; notam 6am ed. Cassin. ad n° 59 art. 11.

Congregatio plura decreta eo sensu dedit, ac nuper, die scilicet 7 sept. 1816, declaravit : « Stolam non esse adhibendam præterquam in collatione et confectione sacramentorum; ideoque consuetudinem contrariam esse abusum, « per locorum ordinarios omnino eliminandum. »

ARTICULUS IV. — DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

Obligationes parochorum referuntur ad curam gregis ipsis commissi et ad regimen temporale parochiæ. Pascere utique tenentur gregem suum, verbo, oratione et sacramentis; providere insuper bonorum temporalium parochiæ rectæ administrationi.

247. — I° *Obligatio docendi.* Jure canonico mandatur omnibus qui ecclesias parochiales obtinent, aut alio titulo curam animarum habent, ut plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, per se vel per idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus. Docere imprimis debent quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Hæc obligatio usque adeo urget, ut concilium Tridentinum ita statuerit : « Ubi ab Episcopo moniti trium « mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, « ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum « fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces « persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium « suum impleat. »

Idem præterea concilium admonet ut « tempore jejuniorum, Quadragesimæ et Adventus Domini, quotidie, vel « saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint (Episcopi), sacras scripturas, divinamque legem an- « nuntient, et alias, quotiescumque id opportune fieri posse

« judicaverint. » (Sess. v, cap. II; sess. XXIV, cap. IV.) Sunt præterea, in pluribus ecclesiis, statuta diœcesana quibus vetitum novimus sub pœna suspensionis ne omittantur prædicationes per tres Dominicas dies continuas; et injungitur docere pueros rudimenta fidei pluries per hebdomadam quando proximius instat tempus quo ad primam communionem sint admittendi.

Hinc doctores concludunt : 1° parochos teneri personaliter ad prædicationis officium obeundum, quando legitime non impediuntur; ipsis enim plebes committuntur; 2° hoc officium ita exsequi debere, ut fideles edoceant quæ sunt necessaria ad salutem, vitia quæ declinare, virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et gloriam æternam consequi valeant, quod supponit sapientem delectum materiarum, et facilitatem sermonis qui conveniat captui audientium. Possunt quidem, cum id opportunum duxerint, modo prædicationis solemniori uti ad dogmatum fidei catholicæ explanationem; leges siquidem formam in specie prædicationis non determinant : at communiter expedit ut sermone facili et brevi, res magis necessarias suis plebibus tradant; 3° peccare graviter qui per tres menses etiam discontinuos concionari omittunt; quod deducitur ex textu allato concilii Tridentini; imo idem dicendum reputat S. Liguorius, si suum officium negligant per unum mensem continuum integrum (lib. III, n° 269). Est autem peccatum veniale si, nulla legitima causa impediente, negligant singulis diebus dominicis et festis solemnibus; nam concilium *mandat* hanc concionem fieri, quod indicat verum præceptum.

Jure naturali parochus invigilare debet, quantum fieri moraliter potest, ut singuli parochiani fidem christianam edoceantur; non enim solum multitudinis in ecclesiam convenientis ad concionem sollicitudo ipsi incumbit, sed et singulorum quos vel adducere, vel etiam, si oporteat, domum adire debet, ne vel unius ruina spiritualis ipsi pastori imputetur.

Parochus qui in sui locum alios presbyteros invitat ad prædicandum tenetur ipsis providere ex sui beneficii fructibus, si honestam mercedem fabrica parochialis persolvere non valeat... Parochus qui per seipsum concionatur non potest jure prætendere sibi præstari mercedem seu eleemosynam dari solitam prædicatoribus electis a fabrica, vel a confraternitate parochiali [1].

248. — *Obligatio orandi et sacrificium offerendi pro parochianis.*

« Cum præcepto divino mandatum sit, ait concilium Tri-« dentinum, omnibus quibus cura animarum commissa est « oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre... qui « curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo mu-« neri satisfaciant, missas celebrent. » (Sess. XXIII, cap. I et XIV.)

I. Concilium non determinavit quoties presbyter parochialis debeat missam celebrare in sua ecclesia ; at principium posuit ex quo via consectarii practice deducitur ad id teneri, non solum diebus dominicis et festivis quibus fidelibus sacro interesse præceptum est, sed satis adhuc frequenter per hebdomadam, ut fidelium necessitatibus, quin etiam legitimis votis, obsecundetur.

II. Quando unus presbyter duabus simul parochiis præficitur, vel duas habet ejusdem parochiæ partes notabiliter dissitas, vel tandem plebem nimis numerosam ut parochiani convenire insimul valeant in Ecclesia ad assistendum missæ, potest et consequenter tenetur bis sacrum facere eadem die, si alius præsto non sit presbyter qui vicem ejus suppleat, et Episcopus id opportunum judicaverit. Innocentius III, cap. *Consuluisti*, 3, DE CELEBRATIONE MISSARUM, lib. III Decret., ad interrogata de iteratione sacrificii respondit « quod excepto « die Nativitatis dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat,

[1] Cf. Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 77.

« sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo « celebrare. » Hunc canonem omnes interpretantur in sensu prohibitionis omnibus sacerdotibus pluries sacrum faciendi eadem die, præter diem Nativitatis Domini et casum necessitatis. Hæc vero necessitas supponit 1° instare præceptum ecclesiasticum quo fideles teneantur missam audire; quapropter non suffragatur simplex utilitas, v. g. ut fideles facilius venire possint, vel ut indulgeat parochus votis magnatis qui habet oratorium privatum in quo cum sua familia consuevit sacrum audire, vel etiam ut fideles audire possint missam diebus festis suppressis, uti fuit non semel declaratum a S. Congregatione [1]; 2° non alium adesse presbyterum qui missam celebrare valeat ad subveniendum fidelibus. Præterea parochis opus est « ut hac de re facultatem ab Epi« scopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere « videatur, cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequa« quam pertinet, » ait Benedictus XIV. (Breve *Declarasti nobis*, 16 mart. 1746. Cf. votum Fr. Zeladæ in causa *Derthusensi*, 26 aug. 1768, *Thesaur. Resol. S. Cong.*, tom. XXXVII.)

Nihil, nostro quidem sensu, refert an in duabus ecclesiis, vel in eadem, parocho permittatur iterare sacrum, modo in alterutro casu urgeat vera necessitas; siquidem cap. *Consuluisti* modo absoluto iterationem tolerat ob causam necessitatis, nullo adhibito discrimine loci quo sacrum celebrandum sit. Nec necessarium arbitramur ut Episcopus ad Sanctam Sedem recurrat Indultum hac de re postulaturus, cum jure communi iteratio permittatur, nullaque intervenerit lex quæ requirat Indultum apostolicum.

249. — Parochi, iisdem diebus quibus ratione præcepti ecclesiastici debent in sua Ecclesia sacrificium missæ celebrare, tenentur etiam illius fructum medium pro populo sibi commisso applicare, nec illud pro aliis applicare, nec pro

[1] 23 januarii, an. 1847. — 19 sept. 1859.

ejusmodi applicatione eleemosynam percipere possunt. Ita omnes[1]. Jus canonicum nihil de hac obligatione sancivit, sed prodierunt plures decisiones quæ legem communem certam supponunt. S. Congregatio olim existimaverat parochos, saltem qui ditiores reditus habent, teneri ad hanc applicationem quoties per hebdomadam celebrant; sed cum multis hæc decisio plus æquo rigida videretur, Benedictus XIV dubium omne submovit hac authentica declaratione, in suis litteris apostolicis *Cum semper* (19 aug. 1744) ad omnes Episcopos per Italiam constitutos directis : « Opportunum censemus declarare Vestris Fraternitatibus, nobis « abunde satisfactum fore, vobis proinde satis esse posse, « dum ii qui curam animarum exercent, sacrificium missæ « pro populo celebrent atque applicent in dominicis, aliisque « diebus festis de præcepto. » (§ 6.)

Tria hic notanda veniunt : 1° obligatio missam applicandi attingit hos omnes qui parochos ex officio repræsentant, quales sunt vicarii qui, Ecclesia parochiali vacante, ab Episcopo deputantur ad implenda hujus Ecclesiæ onera usque ad novi rectoris electionem. « Mens nostra et sententia est, « ait idem Pontifex, sicuti etiam pluries a prælaudatis Con- « gregationibus judicatum est ac definitum, quod omnes et « singuli qui actu curam animarum exercent..., æque te- « neantur missam parochialem applicare pro populo ipsorum « curæ commisso. » (§ 4.) — 2° Hæc obligatio est personalis parocho, qui per semetipsum non per substitutum offerre debet pro suis parochianis, nisi impediatur causa justa necessitatis; quo casu alterum, qui suas vices suppleat, sibi substituet. « Sicut pastor impeditus prædicare vel sacramenta « administrare, tenetur prædicare et sacramenta administrare

[1] Cf. Merati in Gavantum, part. III, tit. xii, ad n^um 5. — Collet, *Traité des saints Mystères*, chap. xv. — Conférences d'Angers, *sur les États*, Conf. ive, quest. ive.

« per alium; ita, ait S. Liguori, impeditus applicare per « seipsum missam populo, tenetur per alium applicare sa-« crificii fructum, quod est pascuum utilius quo populum « pascere potest. » (Lib. VI, nº 326.) — 3° Non licet transferre applicationem missæ pro populo in alterum diem hebdomadis, ut puta si velit parochus die festo offerre sacrificium pro nubentibus vel pro defuncto. Nec tamen eadem obligatio dicenda est affixa diei, sicuti aliæ quædam leges, quatenus die transacta cesset præceptum. Parochus qui ex ignorantia, errore, negligentia, aliave id genus causa, omiserit applicare missam populo, debet præteritas omissiones supplere, nisi obtinuerit a Sancta Sede condonationem.

250. — Plurium olim opinio erat parochos expeditos esse ab obligatione missam applicandi pro populo diebus festis, in quibus Sancta Sedes non solum permisit ut populi servilibus operibus vacare possint, verum etiam indulsit ut ab obligatione audiendi sacrum essent exempti. Hoc existimabant sequi ex suppressione festorum; ex regula data a Benedicto XIV juxta quam satis est missam applicari pro populo diebus festis ex præcepto; ac demum ex inducta consuetudine; in multis etenim regionibus invaluerat consuetudo ut pastores et curam animarum habentes ab applicatione sacrificii iisdem diebus cessarent. Verum, ex adverso graves urgebant rationes. Dicebatur Sanctam Sedem largitam esse dispensationem decreto reductionis festorum, quæ dispensatio quatenus exorbitat a jure communi est strictæ interpretationis; igitur cum in constitutionibus pontificiis actum fuerit tantummodo de fidelibus qui extunc eximebantur ab obligatione sacrum audiendi, non vero de parochis, præsumi non debet parochos exemptos simul esse ab onere missam applicandi. Præterea, in Brevi reductionis pro ecclesiis Galliarum expressis verbis cautum fuit ut « in festis diebus, vigiliisque « eas præcedentibus quæ suppressæ dicuntur, nihil de con-« sueto divinorum officiorum ordine ac ritu innovetur, sed

« omnia ea prorsus ratione peragantur qua hactenus consue- « verunt... » Si nihil innovetur, si cuncta, inquam, eadem ratione peragantur qua antea, præter cessationem obligationis ex parte fidelium, sequitur parochos teneri ad applicationem missæ, sicut olim tenebantur.

Re denique delata ad Sanctam Sedem a nonnullis Episcopis, censuit Sac. Congregatio Concilii parochos minime exemptos esse ab onere missam applicandi suæ plebi; et tandem nuperrime omne dubium, si quod remansisset, submovit SS. N. Papa Pius IX, per litteras apostolicas *Amantissimi* datas 3 maii 1858, quæ quæstionem sic definiunt : « Rebus omni- « bus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibi- « tis nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardi- « nalibus nostræ Congregationis Tridentinis decretis tuendis, « interpretandisque præpositæ, hanc vobis, Venerabiles Fra- « tres, encyclicam epistolam scribendam esse censuimus, ut « certam et constantem normam legemque constituamus ab « omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quam- « obrem hisce litteris declaramus, statuimus atque decer- « nimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu « gerentes sacrosanctum missæ sacrificium pro populo sibi « commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus do- « minicis, aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, « tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia « ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac trans- « lati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, « dum memorata Urbani VIII [1] Constitutio in pleno suo robore « vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur « et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos « dies, id unum excipimus, ut scilicet quando una cum so- « lemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum

[1] Qui sint dies festi in hac Constitutione Urbani VIII præscripti dicetur in IIIª parte, ubi *de Festorum celebratione*, art. I, q. IIIª.

« diem: una tantum missa pro populo sit a parochis appli-
« canda, quandoquidem missa, quæ præcipua divini officii
« pars est, una simul cum ipso officio translata existimari de-
« bet. »

251. — *Obligatio sacramenta administrandi, et pastorali sollicitudine invigilandi necessitatibus spiritualibus plebis, et pauperum sublevamini.*

Multa paucis verbis comprehendimus, quæ sunt gravissimi momenti. Omnes quibus cura animarum commissa est tenentur, præter officium prædicationis et orationis de quo hucusque diximus, « sacramentorum administratione, ac bonorum « omnium operum exemplo, pascere (oves suas); pauperum « aliarumque miserabilium personarum curam paternam ge- « rere; et in cætera munia pastoralia incumbere. » (*Conc. Trident.*, sess. XXIII, cap. I.)

Necesse est igitur parochum omni tempore præsto esse ad impendendum suas curas ovibus sibi commissis, ut singularum necessitatibus subveniat; siquidem de singulis rationem redditurus est summo Pastori. Tenetur sacramentum Baptismi conferre; ad se venientes in sacro tribunali Pœnitentiæ paterna sollicitudine recipere; dare sacram communionem legitime petentibus, iis etiam qui infirmitate domi detinentur, servatis regulis Ecclesiæ; infirmos visitare, eos præsertim qui extremo morbo laborant, ne in agone destituantur solatio et auxiliis quibus indigent.

Alia officia pastoralis sollicitudinis quibus parochi promoveant salutem animarum, et quæ ad sublevamen pauperum attinent, prætermittimus, quia de iis sigillatim dicendi non est hic locus; item nec quæ ædis sacræ instaurationis et bonorum temporalium regiminis sunt, in præsenti explicare opportunum ducimus, de quibus in alia parte *Prælectionum canonicarum* tractabitur.

Parochus ut debito suas oves agnoscendi certius satisfaciat, habere debet libros distinctos in quibus fideliter et accurate

describantur nomina baptizatorum, matrimonii sacramento junctorum, et defunctorum; illum præterea monet Rituale Romanum ut alium librum conficiat de *statu animarum*, quo consignentur nomina incolarum parochiæ, et singulorum conditio quantum fieri potest.

252. — *Quid jus canonicum statuerit circa residentiam parochorum?*

Ex adductis obligationibus parochorum alia sequitur quæ gravissima est, ut nempe in sua parochia singuli resideant. Concilium Trid., sess. xxiii, cap. i, declarat legem de residentia Episcoporum applicari parochis, cæterisque omnibus beneficium cui annexa est cura animarum habentibus, quoad pœnas et amissionem fructuum, « ita tamen ut quandocum-« que eos, causa prius cognita per Episcopum et probata « abesse contigerit, vicarium idoneum, ab Ordinario appro-« bandum, relinquant. Discedendi autem licentiam, in scrip-« tis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex « gravi causa non obtineant [1]. »

Residentia est tum materialis, tum moralis. Residentia materialis supponit parochum domum inhabitare quæ sita sit intra limites parochiæ, quod stricte intelligi debet, adeo ut Sacra Congregatio pluries olim, et annis proxime elapsis, responderit parochum non satisfacere legi, qui sedem suam fixerat in loco vicino suæ parochiæ sed extra limites. Residentia moralis requirit ut parochus regulariter commoretur diu noctuque in sua parochia, et præsto sit ad subveniendum necessitatibus fidelium. Relinquitur quidem conveniens libertas e finibus parochiæ exeundi, ratione necessitatis utilitatisve; sed parochus qui, licet domicilium habens in sua parochia, sæpius abesset, non observaret legem residentiæ [2].

[1] Cf. Bened. XIV *Institutionem* xvii. — Ferraris, v° *Parochus*, art. 11.

[2] Cf. Garciam, tract. *de Beneficiis*, part. III, cap. ii. Bened. XIV *institutionem* xvii. Cum nonnulli parochi urbis vicinitate illecti notabilem anni partem in illa traducerent, eam rem S. Cong. improbavit, licet sacerdos sub-

Concilium Tridentinum duplici pœna hanc legem sancivit, parochis applicando quæ de Episcopis statuerat : vult scilicet ut priventur fructibus beneficii pro rata parte absentiæ, et insuper ut ipsiusmet tituli privatione mulctentur. Prima privatio ipso facto incurritur, quin necesse sit ullam intercedere sententiam ; sic enim loquitur concilium : « Si quis contra « hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sancta synodus « præter alias pœnas... ac mortalis peccati reatum quem in- « currit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non « facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non « secuta, illos sibi detinere posse ; sed teneri... illos fabricæ « ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare. » Sess. XXIII, cap. I. — Quoad privationem tituli, institui debet processus judicialis, et monitiones ante omnia fieri necesse est, antequam parochus amoveatur sententia episcopali a sua parochia, ut idem concilium decrevit.

rogaretur, qui, si forte aliquid contingeret, præsto esset, operamque suam impenderet. Idem procul dubio, ob paritatem rationis, improbavisset in parochis qui urbem in qua sita est sua ecclesia deserunt per partem anni, ut in agros, ubi salubrior est aura, se conferant. Ut hac de re mens S. Cong. magis perspicue nobis innotescat, referemus declarationes quas apud Bened. XIV legimus. Quæsitum est ab Episcopo circa residentiam parochorum :

1° An rectores ecclesiarum parochialium a civitate distantium per duo, tria, aut quatuor milliaria circiter, possint sine expressa Episcopi licentia abesse a suis ecclesiis, relicto ibidem substituto, et in civitate tam diurno quam nocturno tempore jugiter immorari, exceptis solis diebus festis, in quibus ad dictas ecclesias se conferunt, revertentes illico ad civitatem?

2° An parochi qui nocturno cæteroquin tempore resident apud suas ecclesias possint, celebrata summo mane missa in dictis ecclesiis, se conferre ad civitatem, et in ea diurno tempore totius vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas ecclesias adsint eorum substituti?

3° An dicti parochi qui cæteroquin resident apud suas ecclesias, possint nocturno tempore totius vel majoris partis anni, commorari in civitate, licet apud dictas ecclesias adsint illorum substituti?

Sacra Congregatio respondit ad primum, secundum et tertium, *negative*. Die 1ª maii an. 1687. — Similes declarationes eadem S. Congregatio dedit an. 1850 : Cf. *Analecta juris pontificii*, an. 1857, mense julii, pag. 120.

253. — Ut parochus jure possit abesse a sua parochia tres intervenire debent conditiones : 1ª ut sit causa rationabilis; 2ª ut obtineatur licentia Episcopi ; 3º ut substituatur sacerdos qui provideat parochiæ durante absentia.

Et quidem causa adesse debet, cum lex canonica continuam residentiam jubeat; hæc autem causa plus minusve urgens requiritur prout breviori, aut longiori tempore protrahetur absentia. Non pauci concludunt ex textu mox allato concilii Tridentini non requiri causam ita gravem, sed sufficere motivum honestæ recreationis ad levandum animum, ut parochus per bimestre sive continuum sive interruptum abesse queat; declarat enim concilium non concedendam fore licentiam ultra bimestre *absque gravi causa*. Hoc non abnuimus positis ponendis, modo scilicet parochia non patiatur detrimentum, nec disciplina diœcesis obstet.

Præterea necesse est ut causa cognita sit ab Episcopo atque probata, etiamsi parochus non debeat abesse ultra bimestre, nisi tamen per aliquot tantum dies citra hebdomadam. Hoc sæpe declaravit sacra Congregatio, simulque respondit illicitum esse parocho deserere, etiam ad breve tempus, suam parochiam, quamtumvis existimet se sufficientem habere rationem, si Episcopus hanc non arbitretur sufficientem, petitamque licentiam denegaverit. Concilium Tridentinum statuit ut licentia scriptis detur, quod non ubique stricte observatur : id tamen esset valde expediens, præsertim si ad longius tempus protrahi debeat absentia parochi.

Statuta diœceseon servanda sunt quoad tempus concessum; nec nimiæ severitatis argui debet statutum quo vetatur parochis ne ultra triduum deserant suam residentiam sine licentia. Sic pluribus in diœcesibus fuit determinatum.

Tandem, sive diuturnum, sive breve tempus absit, parochus providere debet ne ullum detrimentum spirituale patiantur fideles ; nec desit qui confessiones audire, qui ægrotis sacramenta administrare curet; quod præstabit conveniendo

cum parocho viciniori de custodia gregis sui, vel obtinendo ab Episcopo vicarium qui ad tempus curam parochiæ gerat.

ARTICULUS V. — DE COADJUTORIBUS PAROCHORUM, ET VICARIIS PAROCHIALIBUS.

254. — I° *Quid sint coadjutores parochorum et quæ illorum jura?*

I. Coadjutor parochi est presbyter auctoritate superioris constitutus, causa adjuvandi parochum in regimine ecclesiæ parochialis : in eo a vicariis differt quod ex jure communi vicarii eligi ac nominari possint ab ipso titulari cujus vices gerunt, dum coadjutor non aliter quam auctoritate superioris, nempe Episcopi alteriusve prælati competentis, nominatur et constituitur, quando titularis versatur in absoluta vel morali impossibilitate suum officium exsequendi, ob perpetuam infirmitatem, seu imperitiam. (Conc. Trid., sess. XXI, cap. VI.)

Coadjutoria duplex distinguitur : alia temporalis et revocabilis, alia perpetua cum jure succedendi in munere parochiali, mortuo coadjuto. Coadjutor temporalis in nostris partibus a vicario non distinguitur; quandoquidem, ex infra dicendis, jus utrumque nominandi æque ad Episcopum in nostris provinciis pertinet. Coadjutorem perpetuum solus Papa instituere potest, quia talis institutio contraria est menti canonum, et præsertim decreto concilii Tridentini, quod in sess. XXV, cap. VI, hæc statuit : « In coadjutoriis cum « futura successione idem posthac observetur, ut nemini in « quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittatur. » Nullus autem præter S. Pontificem potest regulariter derogare juri communi.

II. Coadjutor non habet, vi suæ deputationis, jus se immiscendi in administrationem spiritualem seu temporalem ecclesiæ, ipso parocho contradicente, nisi constitutus fuerit ob dementiam, aliamve causam quæ titularem omnino inhabilem reddit. Residere debet intra limites parochiæ, missas ibi celebrare, fidelium confessiones ad se venientium audire, et quoad ea cuncta quæ administrationis sunt, præsto esse ad inserviendum coadjuto, ad ipsius nutum. Quod vero si parocho prorsus inhabili datus sit in coadjutorem, per se omnia quæ pastoralis officii sunt exsequitur.

Coadjutor perpetuus jus habet ad titulum, adeo ut eveniente morte coadjuti, illi opus non sit nova collatione. Superior ipse fecit collationem *ex nunc pro tunc*, ut aiunt, concedendo litteras coadjutoriæ (nº 213).

255. — IIº *Quid sint vicarii parochiales; ad quem pertineat illorum nominatio et institutio; quænam illorum jura?*

I. Vicarii parochiales illi sunt qui parochum repræsentant, illiusque vices gerunt, in munere pastorali. Distinguuntur in duplicem classem, nimirum : in vicarios perpetuos et vicarios temporales.

Vicarius perpetuus ille dicitur qui canonice est institutus ad deserviendum loco principalis rectoris, in officio parochiali quod collegiatæ, vel alteri ecclesiæ, seu monasterio, perpetuo unitum est. Concilium Tridentinum voluit beneficia ecclesiastica curata quæ cathedralibus, aliisve collegiis annexa reperiuntur, ab Episcopis locorum visitari, « qui sollicite procurent ut per idoneos vicarios etiam perpetuos, nisi « ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expe- « dire videbitur... animarum cura laudabiliter exerceatur. » (Sess. VII, cap. VII.) Non prohibetur quidem quominus animarum cura in illis beneficiis exerceatur per vicarium amovibilem, dummodo designetur persona certa cui id munus particulariter incumbit; sed Episcopus jus habet constituendi vicarium perpetuum, salvis privilegiis monasteriorum,

et conditionibus in pacto primæ fundationis admissis, seu concessionibus quæ statuunt non aliter constituendum fore vicarium quam ad nutum amovibilem[1].

Vicarius temporalis seu amovibilis ille est qui auctoritate legitima instituitur ad juvandum parochum in suo munere, illiusque vices tenet ad tempus, seu ad voluntatem constituentis.

256. — II. Vicarii perpetui institutio pertinet ad Episcopum seu ad Ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præsentationem rectoris principalis, sive illorum quorum dignitati ecclesia parochialis est perpetuo annexa. (Reiffenstuel, in tit. DE OFFICIO VICARII, lib. I, n° 26.) Excipe institutionem vicarii in ecclesiis monasteriorum quibus cura animarum incumbit : superiores horum monasteriorum provident regimini ecclesiæ per nominationem vicarii, prævio tamen examine et approbatione ab Ordinario loci.

Jure communi nominatio vicariorum temporalium pertinet ad parochum, nisi locorum consuetudo vel statuta illam Episcopo reservent. « Quanquam, ait Fagnan, auctoritas in« stituendi vicarios perpetuos in beneficiis sit penes Episco« pum, curati tamen et vicarii perpetui utique vicarios tem« porales, absque licentia Episcopi, sibi assumere possunt... « dummodo tamen statutum synodale vel provinciale non « impediat : hodie tamen approbari debent ab Ordinario. » (In cap. *Consultationibus*, n° 13, DE CLERICO ÆGROTANTE, lib. III Decret.) Probat. 1° ex concilio Tridentino, quod licet nihil hac de re constituat, nullumque jus parochis tribuat, supponit tamen ad illos pertinere, siquidem in cap. IV sessionis XXI dicit : « Episcopi, etiam tanquam S. Sedis delegati, in omni« bus ecclesiis parochialibus, ubi populus ita numerosus sit, « ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramen« tis administrandis et cultui divino peragendo, cogant re-

[1] Ferraris, v° *Vicarius parochialis*, n[is] 8-14.

« ctores vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc « munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda « et cultum divinum celebrandum. » Si jure communi Episcopi esset nominare et constituere vicarios, concilium non admonuisset Episcopos ut curatos cogant sibi assumere tot sacerdotes in vicarios quot necessarii sunt; nisi tamen dicatur concilium voluisse præcavere hoc decreto varias difficultates quas parochi in pluribus provinciis forte opposuissent, alii sub obtentu privilegiorum vel juris quæsiti, alii insufficientiam fructuum tituli parochialis allegando. 2° Ex principio generaliter admisso, illius esse auxiliares sibi adjungere in officio qui habet jurisdictionem ordinariam, nisi jus obstiterit: quamobrem cum parochi potiantur jurisdictione ordinaria, et jus canonicum id solum requirat ut presbyteri approbationem obtinuerint ab Episcopo ad conferendum sacramentum Pœnitentiæ et prædicandum verbum Dei, sequitur parochos posse eligere suos vicarios, sub ea conditione ut approbentur ab Episcopo. 3° Ex doctrina communissima canonistarum, quorum etiam plures concludunt parochum jus habere revocandi pro suo nutu vicarios; quod non ita concedunt Episcopo, quia chimerica foret, inquiunt, potestas parochi ad nominandum vicarios, si Episcopus valeret illos removere, absque causa juridica, quos parochus elegerit. (Pirhing, in tit. DE OFFICIO VICARII, n° 21 [1].)

Alia disciplina in nostris regionibus obtinuit quæ gravi causa, a diuturno tempore, inducta fuit atque constabilita. Enimvero 1° Episcopo demandatur divina ordinatione officium providendi per omnem diœcesim necessitatibus cultus publici et curæ animarum; « ipse est enim cujus fidei populus cre- « ditus est, et pro eorum animabus ab ipso ratio repetitur, » ut dicitur in *canone* 38 *Apostolorum*. Ipsi etiam commissum

[1] Ita plures canonistæ e Gallia ea præsertim ætate qua enitebantur extollere jura parochorum. Cf. Lacombe, *Recueil de jurisprudence canonique*, t. I. — Gohard, *Traité des bénéfices*, t. I, pag. 747 et seq.

est ut clericos ordinet quos necessarios vel utiles judicaverit pro servitio suæ Ecclesiæ. Porro rationi omnino congruit ut Prælatus cui potissimum committitur cura animarum, et qui solus habet potestatem ordinandi clericos, de iisdem clericis disponat eos deputando in auxiliares parochorum, prout in Domino opportunum existimaverit. Eam ob causam concilium Romanum habitum an. 853, querebatur de Abbatibus et aliis rectoribus locorum piorum, qui in locis jurisdictioni Episcoporum subditis, instituere aggrediebantur presbyteros « ad sacras missas, aut aliquid sacerdotalis officii agendum; » ac simul injunxit « ut nullus in Ecclesiis præsumat presbyte- « ros constituere, nisi qui et sacerdotalem gradum dare licite « potest, et canonice de neglectis presbyteros increpare. Sed « ab his venerabiliter sacerdotes ad divini ministerii officium « expectentur Episcopis quibus singulariter et diœceses per- « tinent et qui canonice debent ipsas ecclesias providere, or- « dinareque provisas[1]. » Tametsi concilium non statuerit verbis expressis de vicariis parochorum proprie dictis, regulas nihilominus et principia invocat quæ ad illorum officium applicanda sunt. 2° Æquum est præterea ut ille presbyteros ad officium vicariorum deputet, qui melius novit statum personalem cleri, singulorum presbyterorum conditionem atque idoneitatem, uniuscujusque parochiæ necessitates: atqui nemo est qui hæc cuncta melius cognoscat et providere valeat quam Episcopus. Invigilavit educationi clericorum in seminariis; in omnes partes diœcesis assidua cura et frequenti visitatione intendit; statum diversarum parochiarum prospexit. Si parochi jure deligendi suos vicarios uterentur, presbyteri non distribuerentur ex æquo per diversas partes diœcesis, et sunt plures parochiæ quibus non foret convenienter provisum... « Il est donc du bon ordre, concludit collator Andegavensis, « agens de variis provinciis Galliarum, et *c'est aussi celui*

[1] Labbe, *Coll. concil.*, t. VIII, col. 119.

« *qu'on suit partout*, que la disposition des vicaires soit re- « mise au choix des Évêques. » 3° Quonam tempore constabilita fuerit in Galliis hæc disciplina dictu difficile est. Ubique moraliter servatam sæculo elapso certum est : ab antiquo autem in multis provinciis Galliarum prævaluisse indubium videtur ex pluribus statutis, quorum ea solum quæ ad diœcesim Parisiensem referuntur, brevitatis causa, citabimus. Odo de Soliaco edidit versus annum 1207 statuta diœcesana in quibus hæc legimus : « Præcipitur presbyteris ne recipiant capella- « nos sine conscientia Episcopi, vel Decani, vel officialis Epis- « copi. » Quis vero sit verus sensus hujus articuli, qualis ea de re viguerit disciplina decursu temporum, explicatius declarat Henricus de Gondy, suis statutis, an. 1620 : « Cum vicarii de- « lecti ut parœcis in curialibus officiis subsidio sint, personas « publicas sustineant, et indubitata eorum quæ auctoritate con- « signata peragunt fides esse debeat, *antiquum mandatum* « confirmamus; sancimusque ne quis in hac diœcesi nostra in « posterum vicarii aut personam suscipiat, aut partes agat, « quin vicarii muneris litteras rite subsignatas atque authen- « ticas a nobis obtinuerit. » Hinc est quod concilia provincialia, nostris temporibus celebrata eamdem disciplinam referant uti firmum institutum de quo nec dubium movetur. « Quam- « vis vicarii *sint approbati et missi ab Episcopo*, *atque ad so-* « *lum ejus nutum revocabiles*, aiunt Patres concilii Rhedo- « nensis, pro provincia Turonensi, vice tamen parochi et sub « ejus directione sacro ministerio inservire debent. » Ita conc. Remense, Auscitanum, Albiense, etc...[1]

257. — Vicarius perpetuus eamdem potestatem habet ac verus parochus, etsi non dicatur parochus nec rector Ecclesiæ. Habet curam actualem animarum et regimen parochiæ, dum rector principalis retinet solummodo curam *in habitu*,

[1] Cf. Corgne, *Défense du droit des Évêques*, tom. II, quæst. XXXII. — *Conférences d'Angers sur les États*, v° *Conf.*, v° quest.

ut aiunt. Ex eo quod vicarius constituitur ut perpetuo fungatur vice principalis rectoris duo sequuntur : 1° quod rector ille principalis non possit exercere curam fori pœnitentialis, neque alia sacramenta administrare, aliamve partem regiminis habere, invito vicario; 2° quod mortuo principali rectore non exspiret officium vicarii.

Vicarius temporalis juxta disciplinam in nostris regionibus vigentem delegatur ab Episcopo, cum jurisdictione competenti ad audiendum confessiones fidelium, et missæ sacrificium celebrandum. Quoad vero cæteras functiones, nisi Episcopus aliter statuerit, arbitrio parochi dimittitur ut eas vel sibi reservet, vel vicario committat, vel, si plures sint vicarii, per partes distribuat, prout magis opportunum judicaverit; non enim dantur vicarii nisi ut parochum adjuvent; quamobrem sunt sub illius regimine, nec alia sibi assumere debent quam quæ parochus commiserit. Igitur non solum illiciti, sed quinimo et invalidi reputandi essent, pro subjecta materia, actus ministeriales quos vicarius usurparet contra voluntatem parochi; v. g. si absque ulla delegatione celebret matrimonia, vel confraternitatem erigere præsumat, aut alia id genus prætendat. Necesse est ad valorem horum actuum, ut sacerdos qui non est pastor ordinarius habuerit delegationem; porro in allegatis casibus nulla vicario competit delegata potestas : nec titulo *vicariatus* quem jus canonicum non instituit pro Ecclesiis parochialibus; nec titulo delegationis datæ ab Episcopo qui nihil aliud communiter intendit in deputatione vicariorum quam approbare sacerdotes, ut functiones obeant sub ductu parochi; nec tandem titulo delegationis a parocho, ex hypothesi.

Dixi : *nisi aliter Episcopus statuerit*, quoniam gravi requirente causa, ut puta ad supplendum negligentiam seu imperitiam parochi, Episcopus potest delegare vicarium qui parocho etiam invito, ministerium obeat, prædicet, pueros ad communionem disponat, sacramenta dispenset, etc.

Magna proinde prudentia utendum vicariis ne suæ delegationis limites prætergrediantur. Ut in particulari determinetur quid possint, et a quo oporteat eos abstinere, attendant ad praxim communem diœcesis, et ad modum consuetum agendi sui parochi. Si parochus, uti fit sat communiter, generatim consentiat ut cuncta ministerii occurrentia peragant quæ sibi specialiter non reservaverit, nulla aderit difficultas; si vero functiones singulorum vicariorum determinaverit, caveant ne se in aliena negotia indebite ingerant. — Cæterum, etiamsi parochus omnia generatim suis vicariis commiserit, e memoria excidere non debet regula juris canonici : *in generali concessione ea non veniunt quæ verisimiliter in specie superior non concessurus fuisset*. Itaque, vicarius negotia graviora, si quæ occurrant, ad parochum deferat; non sibi assumat delegare ad functiones publicas sacerdotem extraneum, præsente parocho; si autem absens sit parochus nec præsumatur invitus, nihil obstat quominus vicarius aliquem deleget ad causas particulares.

258. — III° *Utrum Episcopus statuere valeat ut vicarii et parochus eamdem domum inhabitent, eademque mensa utantur?*

Ratio dubii est quod jure communi clerici sæculares non teneantur ducere vitam communem; et reipsa, eo sub respectu, clerici plena libertate fruuntur in plerisque regionibus ordinandi suam habitationem prout sibi opportunum visum fuerit, dummodo arceantur personæ suspectæ ratione ætatis vel morum, ad mentem sacrorum canonum. Hoc tamen non obstante, dicendum est Episcopos posse indicere modum vitæ communis, in sensu quæstionis propositæ, Presbyteris qui eidem simul parochiæ inserviunt, quando ratione habita circumstantiarum, id judicatur graviter expedire bono communi. Probatur auctoritate et ratione.

I° S. Augustinus decrevit olim, in sua Ecclesia Hipponensi, nullum clericum ordinare, nisi qui manere spoponderit cum

aliis clericis in domo episcopali; et si quis vitam communem deserere præsumpserit, eum e tabula clericorum diœcesis delere. (*Sermo* 49, et 50.) Sæculo undecimo, duo concilia Romæ habita sunt, unum sub Nicolao II, an. 1059, et alterum sub Alexandro II, an. 1063, in quibus duo illi summi Pontifices, una cum Episcopis statuendo, præceperunt ut Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri « juxta Ecclesias pro qui« bus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul « dormiant et manducent, et quidquid eis ab Ecclesiis venit, « communiter habeant. » Dubitari non potest quin vita communis ita fuerit constituta in pluribus provinciis, quandoquidem multi numero Episcopi his conciliis præsentes adfuere, et decreta ad cæteros transmitti voluit Sancta Sedes. Sæculo XVI° concilium Mediolanense IV sub Sancto Carolo, his traditionibus Patrum inhærens, statuit ut Episcopus « Pa« rochum, qui quacumque de causa parochialis curationis « socium vel adjutorem habet, tum ipsum, tum illum « item in habitatione parochiali manere ac residere co« gat, et fructuum mulcta et aliis præterea pœnis ar« bitratu suo irrogandis. » (Conc. IV, part. II, cap. DE PAROCHIIS.) Demum, ut cætera omittamus, ex conciliis provincialibus hodierna ætate in Gallia celebratis, alia impense hortantur Episcopos ut nihil prætermittant ad instaurationem vitæ communis in presbyteriis, alia vero, nempe Auscitanum et Albiense, mandata stricta ea de re ediderunt. « Enixe hortamur parochos omnes, aiunt patres concilii « Auscitani, ut vicarios in domum presbyteralem recipiant: « *imo ita fieri præcipimus*, nisi in casibus particularibus, « et attentis circumstantiis quibusdam, aliter Episcopus « judicaverit. » Concilium item Albiense: « Parochus pro« pria in domo vicarios sospites habeat, nisi forsan pres« byterii angustia fieri non permittat. » (Conc. Auscit., tit. II, cap. VI; Conc. Albien., tit. II, decret. VII.) Ita veteri consuetudine, mandatis Episcopalibus firmata, servatur

in pluribus provinciis [1]. Hinc certe probatur jus quod asserimus Episcopo; quis enim contendere merito præsumpserit Episcopum id non posse in sua diœcesi statuere quod haud semel commendaverunt SS. Pontifices, quod præscriptum fuit a plurimis conciliis provincialibus a S. Sede recognitis atque illius auctoritate publicatis, quod tot sancti Præsules in suis respective Ecclesiis indixerunt?

2° Ratio suffragatur. Episcopi valent mandata edicere de modo vivendi qui moribus cleri sæcularis consentiat, qui magnopere profuturus judicatur utilitati parochiarum, et gravia pericula præcavet. Atqui 1° vita communis quæ, secluso omni voto, et servato singulis jure in bona propria, tota continetur intra limites nostræ propositionis, cohabitationis scilicet et mensæ communis, consentit moribus cleri sæcularis, uti ex legibus atque ordinationibus supra memoratis concludere est. Aliunde hæc ratio vitæ communis non confunditur cum regulis clericorum regularium, est enim latum discrimen inter utrumque institutum. 2° Magnopere prodest utilitati parochiarum, quatenus illud vitæ consortium fovet unitatem cleri ejusdem Ecclesiæ servitio adscripti, et majorem facilitatem dat singulis ut eodem animo, communicatis sæpius ad invicem consiliis, opus commune prosequantur. 3° Gravia pericula a junioribus præsertim presbyteris removet, et sic regularem observantiam, morum integritatem, virtutis famam maxime fovet; nemo quippe ignorat quot sub eo respectu incommodis obnoxii sint sacerdotes, qui seorsim a fratribus soli morantur in ædibus mundanis, suo arbitrio die noctuque dimissi.... Hæc bona tanti sunt momenti ad honorem cleri, et ad plebis ædificationem, ut perferri potius deberent nonnulla incommoda quæ vix ab eo vitæ genere sejungi possunt.

[1] Cf. Mandatum pastorale Episcopi Aurelianensis, an. 1854, *Instruction pastorale au sujet de l'établissement de la vie commune entre les curés et les vicaires.*

3° Jure constabilito tum auctoritate, tum ratione, frustra objiceretur clericos libertatem habere, spectata disciplina communi, vitam agendi extra domum presbyteralem; hinc enim illud solum sequitur quod non teneantur ducere vitam communem vi disciplinæ generalis, non vero quod ad hunc vitæ modum adigi non possint vi disciplinæ particularis locorum. Parum diœcesibus inserviret potestas legislativa Episcoporum, si nihil præcipere valerent Episcopi præter ea quæ jam præcepta sunt legibus communibus.

Episcoporum igitur prudentiæ demandatur ut judicent, attentis circumstantiis locorum et morum, utrum expediat indicere clericis suæ diœcesis vitam communem cum parochis; et in casu quo id opportunum judicaverint, statuere de temperamento adducendo, et de admittendis exceptionibus ut optatum finem efficacius simul et suavius assequantur.

259. — IV° *Quandonam cessent jura vicarii temporalis?*

I. Facultates vicariorum non cessant morte parochi; voluntas enim Episcopi, quoadusque aliter ordinaverit, est ut pastoris defuncti vices suppleant. In regionibus ubi parochi potiuntur jure nominandi et instituendi suos vicarios, alia dari debet sententia; quia cum in hac hypothesi, vicarii delegationem habeant a parocho, illumque repræsentent, titulum omnem ad actus jurisdictionales ipso facto amittunt per illius obitum : quomodo vices agerent illius qui jam omni jure in humanis orbatus manet? Hoc in casu Episcopus presbyterum deputat qui, vacante officio, ecclesiæ deserviat.

II. Functiones vicariorum cessant revocatione, si datæ sint ad nutum; vel elapso tempore, si ad tempus determinatum.

Parochus non potest revocare vicarios sibi datos ab Episcopo in sui muneris adjutorium; id solum jure naturali permittitur, quando justa et repentina causa postulat, ut illis interdicat, non solum functiones quas ipse commiserat, sed et alias, donec res ad Episcopum fuerit delata. Ea quidem interdictio non est censura cujus violatio inducere valeat ali-

quam irregularitatem, sed actus meræ administrationis ad removendum scandalum, quando non suppetit tempus adeundi Episcopum.

Episcopus qui jure potest nominare et instituere vicarios amovibiles, eodem jure valet eos revocare sine causa, eo sensu quod non teneatur suæ sententiæ causam aliam allegare quam proprium arbitrium ; quod et occurrit in omni deputatione vicarii temporalis.

ARTICULUS VI. — DE COMMUNITATIBUS A JURE PAROCHIALI EXEMPTIS ; DE CAPELLANIS MILITUM, ET DE CONFRATERNITATIBUS.

260. — Supponimus communitates quæ intra ambitum parochiæ continentur posse subduci jurisdictioni parochiali. Nullum quidem est dubium in casu quo hac de re consecutæ sunt Indultum apostolicum ; vel in sui favorem allegant diuturnam consuetudinem debitis conditionibus vestitam; sed nec dubitandum putamus de valore exemptionis quam proprio jure concesserit Episcopus, justa id suadente causa. Concilium Tridentinum, dum statuit ut Episcopi, distincto populo in certas parochias, unicuique suum peculiarem parochum assignent, nequaquam vetitum fore voluit iisdem Episcopis quasdam domus seu communitates intra fines parochiæ constitutas, partim vel ex integro subducere jurisdictioni parochi, cum id necessarium judicaverint. Si ad praxim attenderimus, videbimus communitates, seu regulares seu sæculares, seminaria, xenodochia, etc., constitui, absque ulla controversia, cum suo proprio capellano independente a parocho loci, quæ quidem praxis signum est haud dubium interpretationis communis decreti concilii. Ratio autem suadet hujusmodi exemptiones a jurisdictione parochiali quandoque

concedendas esse; natura quippe horum institutorum id postulat. Parochus præfici non potest curæ spirituali seminariorum, et communitatum regularium; quod vero ad xenodochia, et carceres publicos attinet, plerumque non magis posset, nec per se, nec per vicarium deputatum, providere sufficienter illorum necessitatibus. Idem dicendum de nonnullis collegiis puerorum, et domibus religiosis quæ puellis educandis destinantur. Verum in hac materia non derogari debet jurisdictioni parochorum citra casum veræ necessitatis; et cavendum ne ex illa exemptione hujusmodi collegia detrimentum in spiritualibus patiantur. Quod si parocho videatur exemptionem fuisse concessam absque ratione sufficienti, et detrimentum afferri juribus parochialibus, potest sibi consulere interponendo canonicam appellationem ad Metropolitanum, seu a Metropolitano ad Sanctam Sedem.

261. — I° *Quæ sit jurisdictio superiorum communitatum a jure parochiali exemptarum?*

Superiores qui his communitatibus in ordine spirituali præsunt, habent in eas jurisdictionem quasi-parochialem, ita ut cuncta ad bonum spirituale membrorum communitatis conducentia, juxta regulas instituti rite approbati, et modum exemptionis ab auctoritate competenti obtentæ, præstare valeant independenter a parocho.

Ut vero hæc jurisdictio limites non prætergrediatur, tria sunt principia in praxi maxime attendenda :

I. Regulares exempti a jurisdictione Episcopi, eodem jure sunt exempti a jurisdictione parochiali; quapropter possunt absque interventu parochi, omnia sacramenta administrare suis fratribus, novitiis, atque famulis intra septa conventus commorantibus, et eidem conventui actu servitio addictis. Possunt etiam, funere celebrato intra ambitum conventus, deferre cadaver sui defuncti, per viam publicam recto tramite ad cœmeterium, cum stola et cruce conventuali, ut ibi officium sepulturæ expleant. Cum exorta fuisset, anno 1846,

ea de re controversia inter fratres Dominicanos et capitulum cujusdam Ecclesiæ cathedralis cui annectitur parochia, in ditione Neapolitana; capitulum pro sua parte exposuit potestatem superiorum regularium circumscribi intra septa monasterii, unde concludebat eamdem potestatem exserendam non fore extra monasterium, ut intacta servarentur jura parochi; familia autem Dominicana in contrarium propugnabat, allegando privilegia exemptionis. Porro, S. Congregatio Concilii dubia proposita resolvit in favorem fratrum Dominicanorum, ea tamen conditione quod cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite ad cœmeterium, a familia regulari proprii conventus tantum[1].

Supponimus conventum regularium fuisse juxta regulas canonicas, servatis formis necessariis, erectum; alioquin non haberet privilegium exemptionis, ut dicetur in discursu *de Regularibus*.

II. Natura et extensio facultatum superioris communitatis religiosæ subditæ jurisdictioni Episcopi, facultates item capellanorum, determinantur tum ex natura ipsa officii quod illis committitur, tum ex Indulto apostolico, vel ex statuto Ordinarii quo datum fuit exemptionis privilegium, tum etiam ex probatis consuetudinibus.

Hinc possunt, procul dubio, missas celebrare, sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis conferre; non vero item licitum ipsis erit baptismum conferre, assistere matrimonio et funera celebrare; nisi id fuerit determinatum, vel ex officio sequatur, ut in quibusdam hospitalibus.

III. In dubio pronuntiandum erit in favorem juris parochialis. Ratio est quod privilegia superioribus communitatum concessa exorbitant a jure communi, et contraria sunt jurisdictioni parochi quæ maxime favorabilis reputatur: porro

[1] *Thesaurus resol.*, tom. CVI, pag. 43, 44.

omnes norunt, quod et in prolegomenis (n^is^ 37 et 48) vidimus fundatum regulis canonum, privilegia esse strictæ interpretationis.

262. — II° *Quæ sit jurisdictio capellani militum et navium?*

I. Canonistæ communiter tradunt milites qui non habent capellanum, seu, ut aiunt, curionem castrensem, annumerari vagis, ac consequenter parochum loci ubi degunt, esse proprium illorum sacerdotem quoad sacramentorum administrationem et assistentiam matrimoniis. Si habeant capellanum qui suam jurisdictionem acceperit ab Episcopo et contigerit exercitum duci in aliam diœcesim, capellanus debet recurrere ad Ordinarium loci, quia delegationes non se extendunt ultra territorium concedentis. Tandem, si capellanus obtinuerit suas facultates a S. Pontifice, ubique illas exercere poterit, juxta tenorem Indulti. Hæc certa apud omnes : decisa insuper habentur in declaratione data a S. Congregatione cujus textum refert Reiffenstuel in tit. DE CLANDESTINA DESPONSATIONE, lib. IV, n° 96.

Quæ olim servabantur in nostris regionibus, indicat Rituale Lingonense : « L'usage général de ce royaume, autorisé par « le consentement de tous les Évêques, est que les aumôniers « des régiments et des vaisseaux reçoivent leur pouvoir de « l'Évêque dans le diocèse duquel se trouvent les régiments « ou les vaisseaux, lorsqu'ils y sont reçus en cette qualité, et « qu'ils n'aient pas besoin d'une nouvelle approbation lors- « qu'ils changent de diocèse. » Collator Andegav. annotat : « Cependant il y a une obligation pour eux, lorsqu'ils doivent « passer leur quartier d'hiver en un lieu, ou y faire un séjour « un peu long, de se présenter à l'Évêque, lequel est en droit « de les examiner, s'il le juge à propos, et de les interdire « s'il y a raison pour cela. » (*Rituel de Langres*, *Pénitence*, n° 216; *Confér. d'Angers sur le sacr. de Pénitence*, VIe confér., IIIe quest.) Nullum suboriri debuit dubium circa illam praxim, de qua omnes consentiebant Episcopi, quamdiu le-

giones militum et naves intra fines regni, in territorio et portubus Galliarum manebant; at quando exercitus ducebantur in exteras gentes, ubi nostri præsules nulla jurisdictione potiebantur, necessarium erat recurrere ad Ordinarium loci, nisi intervenerit auctoritas S. Pontificis.

II. Ad præcavendum has difficultates, illæsis juribus Episcoporum, SS. Pontifices sæpe indulta dederunt, quorum textus referuntur apud Ferraris, v° *Capellanus militum.* Hac nostra ætate, SS. DD. Pius IX litteris apostolicis *Quæ supremi* 31 mart. 1857, inter alias prærogativas tributas supremo Eleemosynario, sive imperialis sacelli Capellano majori, hæc sancivit: « Capellani exercitus seu castrenses ad hoc officium « nominati, donec militares copiæ in quovis Gallici imperii « territorio morentur, subditi existent respectivi Ordinarii « jurisdictioni, temporibus vero quibus militares copias extra « Galliarum imperium ac territoria imperiali ditioni subjecta « iter facere, ac per aliquod temporis spatium manere conti- « gerit, excepta semper alma Urbe ac pontificia nostra ditione, « supremus Eleemosynarius necessarias atque extraordinarias « facultates capellanis castrensibus tribuet, quas hic recense- « mus, scilicet : parochialia omnia sacramenta militaribus « copiis ac personis omnibus illarum servitio pertinentibus « administrandi, eosdemque milites atque officiales, necnon « reliquas personas memoratas a crimine hæresis, atque apo- « stasiæ a fide, et a quibuscumque illorum peccatis, etiam « Episcopis atque etiam nobis et Apostolicæ Sedi reserva- « tis... absolvendi... »

Has proinde omnes facultates necessarias et extraordinarias, quæ in litteris recensentur, major Eleemosynarius delegare potest capellanis militum; ea tamen conditione ut datis facultatibus non utantur nisi cum contigerit copias militares iter facere extra Galliarum imperium, ac territoria ditioni imperiali subjecta.

Cum Indultum illud apostolicum facultates majoris Elee-

mosynarii restringat ad capellanos militum, remanet difficultas quoad capellanos, aliosve sacerdotes qui per mare iter agunt in navigiis onerariis, seu commercii maritimi. Usus per diuturnum tempus invaluit ut jurisdictionem postulent ab Episcopo diœcesis unde naves progrediuntur, et eam in nautas, aliosque viatores exerceant, usquedum appulerint in loca ubi superior cum jurisdictione constitutus degit; utrum id jure fundatum sit, quave ratione navis reputetur veluti pars quædam protensa territorii diœcesis cujus littora relinquit, ignoramus : tutius esset recurrere ad Sanctam Sedem.

263. — III° *Utrum et quatenus confraternitates subdantur auctoritati parochi?*

I. Confraternitates non semel contenderunt se subducere, nedum parochorum, quin etiam Episcoporum auctoritati, quando præsertim erectæ sunt in ecclesiis regularium exemptorum, vel agregatæ archiconfraternitatibus Romanis quæ amplissimis donantur privilegiis. At vero Sancta Sedes sedulo invigilavit ne quid inde derogaretur juribus Episcoporum; quamobrem pronuntiatum fuit a Sacr. Congregatione Concilii (23 junii 1719; 19 sept. 1722) *confraternitates laicorum, in ecclesiis regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illarum capellas in iisdem ecclesiis regularium existentes, in iis tamen quæ confraternitatum administrationem respiciunt*[1].

Juxta declarationes datas a S. Congregatione, hæc tenenda sunt : 1° Nulla confraternitas erigi potest, ne in ecclesiis quidem regularium, nisi accedat assensus Ordinarii, qui jus habet illius statuta examinandi, approbandi et corrigendi. 2° Episcopus jus habet visitandi confraternitates in quibusvis ecclesiis fuerint erectæ, assistendi per se aut per deputatum illarum congregationibus, et corrigendi quæ reformatione

[1] Bened. XIV, *Institutio* cv, § 87-90.

egent. 3° Cogere potest confraternitates laicorum ut conveniant publicis supplicationibus; ipsis concedere aut denegare, pro arbitrio, facultatem celebrandi missas cum cantu et alia hujusmodi. 4° Debet insuper providere ut bona temporalia impendantur ad usum statutis comfraternitatis et intentione donatorum determinatum; compellere administratores ad reddendum sibi rationem, libris etiam asportatis, ut judicet an convenienter hæc gerantur, ac pro circumstantiis provideat[1].

II. Quoad jura parochorum in confraternitates, hæc notanda veniunt : 1° Distinctio facienda est inter sodalitates in ecclesia parochiali, vel in oratoriis aut sacellis quæ ipsi parochiæ adjiciuntur erectas, et alias sodalitates addictas ecclesiis publicis ac liberis a parochia, quamvis intra illius limites positas. 2° Distinguere etiam necesse est inter jura parochialia, necnon functiones quasdam usu constanti parocho attributas, et cæteras functiones sacerdotales, quæ nec inter jura parochialia recensentur nec usu conveniunt parocho *privative*. Jura parochialia referri diximus ad collationem baptismi, communionis paschalis, viatici, Extremæ Unctionis, benedictionis matrimonialis, ad sepulturam parochianorum, qui proprium sepulchrum alio in loco non habent, aut locum sepulturæ alibi non sibi elegerunt. Inter functiones parochiales enumerantur benedictio mulierum post partum, benedictio fontis baptismalis, et sacrum solemne feriæ v^{a} majoris hebdomadæ. 3° « Cum dubiæ quæstiones proponuntur, ea opinio « seligenda mihi videtur, dicemus cum Card. Colloredo cujus « verba cum laude refert Bened. XIV, quæ parochis magis « suffragatur; tum quia sitam habent intentionem in vetu- « stiori titulo et magis universali ; tum quia hac ratione minus « a pristina Ecclesiæ disciplina receditur. Accedit quod Epi- « scoporum consensione id magis probatur, qui in synodis « et peculiaribus quæstionibus, parochorum causam et partes « plerumque tuentur. » (*Inst.* cv, n° 92.)

[1] Ferraris, v° *Confraternitates*, art. 111.

His positis, statui potest generaliter confraternitates erectas in ecclesia parochiali, seu in oratoriis quæ parochiæ adjiciuntur, pendere a parocho quoad omnes functiones ecclesiasticas, absque ulla distinctione : possunt cæteroquin habere suas congregationes quando voluerint, modo non impediant functiones et jura parochialia; et administrant sua bona sine dependentia a parocho. Confraternitates aliæ quæ erectæ supponuntur in ecclesiis publicis et liberis, non pendent a parocho, nec in iis quæ referuntur ad functiones mere ecclesiasticas nec in iis quæ ad suas congregationes, suorumque bonorum administrationem. Possunt utique harum sodalitatum capellani missas celebrare, onera fundationum explere, dare benedictiones SS. Sacramenti, benedicere cineres, ova, candelas, aliaque peragere quæ modo notavimus non reputari inter jura parochialia, nec inter functiones proprias parochorum. Quod si, consentiente Episcopo seu parocho, habeant processiones publicas, capellani non debent stolam deferre extra propriam ecclesiam, uti declaravit S. Cong. Rituum, decreto 1704 ex quo hæc fere cuncta deducimus. Hæc delatio stolæ extra ecclesiam soli parocho conceditur, quia « consentaneum est, inquit Benedictus XIV, « ut ipse a cæteris capellanis etiam per externum ornatum « secernatur... Romæ autem illud peculiare est institutum, « ut sodalium capellani stola utantur, cum processionibus « intersunt, quod specialiter ipsis ex statuto cleri Romani « conceditur, ut recte Pignatellus advertit. » (*Inst.* CV, n° 127. — Pignatelli, *Consult.* LXXIII, n° 21, tom. VIII.)

SECTIO VIII^a

DE CONFESSARIIS.

264. — Primi pastores, S. Pontifex nempe et Episcopi, habent jurisdictionem fori externi et interni; parochi, et alii qui officium quasi-parochiale obtinent, habent cum jurisdictione fori interni aliquam administrationem externam, quæ non est jurisdictio proprie dicta fori externi; confessarii sacrum ministerium exercent in foro interno pœnitentiali solum. De hoc ministerio agemus nunc ut percurramus omnes et singulos gradus jurisdictionis ecclesiasticæ; sed quæstiones tantum canonicas tractabimus, cum aliæ quæstiones discussæ reperiantur in tractatu *de Pœnitentia*, apud omnes theologos morales. — Tres erunt articuli : 1us de necessitate approbationis et jurisdictionis pro confessariis; 2us de subjecto in quod suam jurisdictionem exercere possunt; 3us de obligationibus quæ ipsis incumbunt.

ARTICULUS PRIMUS. — DE APPROBATIONE ET JURISDICTIONE CONFESSARII.

265. — Approbatio et jurisdictio, etsi simul plerumque dentur, sunt tamen ab invicem distinctæ. Approbatio est ju-

dicium, seu testimonium authenticum de idoneitate sacerdotis ad excipiendum confessiones sacramentales fidelium pœnitentium. Jurisdictio est potestas judicialis ligandi et solvendi fidelem pœnitentem, per absolutionem sacramentalem.

266. — I° *Utrum approbatio sit necessaria confessariis?*

« Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absol-
« vendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus
« (Tridentina) nullum, etiam regularem, posse confessiones
« sæcularium, etiam sacerdotum, audire nec ad id idoneum
« reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis
« per examen si illis videbitur necessarium, aut alias, idoneus
« judicetur, et approbationem obtineat, privilegiis ac consue-
« tudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus. »
(Sess. XXIII, cap. XV.)

Ex illo textu concilii Tridentini manifeste sequitur approbationem esse omnino necessariam cuilibet sacerdoti qui non habet parochiale beneficium, ad excipiendum confessiones sæcularium. Quod nonnulli doctores dicunt validam nihilominus fore absolutionem datam pro peccatis venialibus a simplici sacerdote nobis non probatur. Hæc siquidem sententia supponere debet Ecclesiam benigna concessione dare jurisdictionem; jam vero quis illud jure supponet, cum aliunde certo sciamus a Sancta Sede vetitum fuisse Episcopis per decretum Innocentii XI quod passim referunt theologi, *ne permittant ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo* et admonitos sacerdotes, quod *si secus egerint, sciant se Deo rationem esse reddituros?* (S. Liguori, lib. VI, n° 543.)

Parochi a lege excipiuntur, quia cum collatione beneficii parochialis simul approbationem obtinuisse censentur : sed parochos dicimus respectu suæ ecclesiæ, non simpliciter ac absolute ; sub eo enim respectu solummodo titulum et approbationem habent ; quapropter is procul dubio erraret qui, vi de-

creti Tridentini, prætenderet se posse audire in aliena parochia confessiones aliorum quam suorum subditorum.

Canonicus pœnitentiarius obtinet implicite approbationem, eo solum quod assequitur præbendam cui munus pœnitentiarii annectatur.

Quoad graduatos, licentiatos aut doctores, nullo privilegio fruuntur ad auditionem confessionum; nam verba concilii sunt absoluta; neminem sub prætextu præsumptæ scientiæ excipiunt. Nemo alias ignorat non sufficere scientiam, sed rationem habendam esse probitatis morum, prudentiæ et aliarum conditionum, antequam aliquis ad tale ministerium idoneus judicetur.

Regulares lege communi tenentur, non secus ac sæculares, si audire velint confessiones sæcularium. Concilium nihil statuit, hoc præsenti decreto, de approbatione his religiosis necessaria ad confessiones suorum confratrum, quia hæc alibi determinantur et ad Episcopos non spectant.

267. — II° *A quonam Episcopo approbatio dari debeat, et quid si injuste recuset?*

I. Approbatio datur ab Episcopo loci ubi confessiones excipiuntur, non ab alio. Est quidem aliqua difficultas, sive respectu confessarii qui forte non est hujus Episcopi subditus, sive respectu pœnitentium qui et ipsi possunt esse e diœcesi aliena : stat nihilominus assertio data. Sacerdos, etiam extraneus, fit subditus Ordinarii loci respective, scilicet in ordine ad functiones in hac diœcesi obeundas. Vicissim, « hoc ipso quod quis vult confiteri in aliquo loco, ait S. Li-« guori, quoad hoc fit subditus Ordinarii illius; vel saltem « hoc valet ex consensu universali, sive ex conniventia Epis-« coporum a quibus data præsumitur jurisdictio erga proprias « oves, ad bonum ipsarum, cuicumque sacerdoti approbato « ab Ordinario loci, ubi confessio fit. » N° 548.

Hanc doctrinam omnes admittere debent; fuit enim non semel confirmata decretis SS. Pontificum quibus declaratur

atque statuitur inprimis Episcopos non posse dare sacerdoti facultatem audiendi suos diœcesanos extra limites suæ diœcesis. « Apud nos, ait Benedictus XIV, confessarius ab « Episcopo pro sæcularibus approbatus in sua diœcesi, extra « diœcesim hanc facultatem exercere nequit, sine alterius « Episcopi approbatione in cujus jurisdictione Pœnitentiæ « sacramentum administratur, etiamsi pœnitens subsit Epi- « scopo qui illum ad excipiendas confessiones approbavit. « Idque constat ex Bulla Clementis X *Suprema*... Solus paro- « chus a moralis theologiæ scriptoribus eximitur, qui si forte « extra diœcesim versatur, sui parochiani ibi degentis potest « confessiones audire, quamvis ab Episcopo loci, ubi sui pa- « rochiani se præbet confessarium, approbationem ad con- « fessiones non obtinuerit. » (Bulla *Apostolicum*, an. 1753, § 23 [1].)

II. Quid vero si Episcopus injuste denegaverit approbationem, nulla etiam ad examen admissione facta? Quidam asseruerunt hoc in casu sufficere petitionem approbationis serio factam, quia Episcopus non habet jus arbitrarium denegandi approbationem, nec regularibus, nec sæcularibus suæ diœcesis : at in hoc puncto erraverunt. Concilium Tridentinum requirit approbationem ab Episcopo obtentam tanquam conditionem necessariam, ut quis audire possit confessiones sæcularium, neque distinguit inter sacerdotes sæculares et regulares; ergo quacumque ratione moveatur Episcopus ad denegandam approbationem, qui, ea non obtenta, confessiones audire præsumit, caret jurisdictione, invalide confert absolutiones sacramentales [1]. Quamvis Episcopus nullum removere debeat quem utilem fore suis diœcesanis existimaverit, est judex an indigeat his sacer-

[1] V. Barbosa, *de Officio Episcop.*, allegatio xxv. — Fagnan, in cap. *Ne pro dilatione*, de Pœnitentiis, lib. V.

[2] Cf. Schmalzgrueber, n° 34, qui citat in eodem sensu Suarez, Barbosam, Wiestner.

dotibus pro confessionibus excipiendis; et si non indigeat, non est cur obligatum se credat ad explorandam aptitudinem cujuslibet regularis vel sæcularis ad hocce ministerium.

268. — III° *Utrum præter approbationem, requiratur insuper jurisdictio, et quotuplex distinguatur jurisdictio relative ad confessarium?*

« Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut senten« tia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ec« clesia Dei fuit, et verissimum esse hæc synodus (Tridentina) « confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, « quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut « subdelegatam jurisdictionem non habet. » (Sess. XIV, cap. VII.)

Necessaria est proinde jurisdictio confessariis, non secus ac approbatio. Hanc autem jurisdictionem dat 1° jus commune, si annexa sit titulo curam habenti animarum; 2° commissio superioris qui jus habet delegandi, uti S. Pontifex, Episcopus, et etiam parochus juxta doctrinam communem, si tamen non fuerit destitutus per contrariam consuetudinem potestate delegandi ad audiendum confessiones. Vides proinde non semper procedere ab Episcopo jurisdictionem sacerdotum, seu regularium seu sæcularium, qui in sua diœcesi sacro ministerio funguntur, licet omnes obtinere debeant ab eo approbationem.

Qui titulum habent cui a jure annectitur cura animarum, potiuntur jurisdictione ordinaria; suo nomine, vi sui officii, excipiunt confessiones fidelium sibi subditorum : sic Papa, Episcopus, parochus. Qui habent tantummodo commissionem sibi factam a superiore habente ordinariam jurisdictionem, dicuntur delegati; eorum quippe jurisdictio est delegata. Hujusmodi sunt : vicarii parochiales, regulares, et simplices sacerdotes qui absolvunt fideles in articulo mortis, ubi deest alter sacerdos approbatus. Hi omnes delegantur, primi ab homine, postremi jure communi.

269. — IV° *Utrum jurisdictio restringi possit per casuum reservationem?*

Dubium non est quin jurisdictio, tum delegata, tum ordinaria, si unam excipias summam jurisdictionem Sanctæ Sedis, restringi possit per casuum reservationem. « Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina, non a quibusvis sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito, Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat. » (Sess. XIV, cap. VII.) Finis reservationis est efficacius retrahere fideles a peccatis ipsa difficultate obtinendi absolutionem, et eis subvenire eos remittendo ad peritiorem medicum qui severitatem benignitate temperare, atque mederi noverit. Ex illo fine, simul et ex textus Tridentini consideratione, concludimus non quodcumque peccatum reservari debere, sed peccatum grave et in sua specie consummatum, eo scilicet modo quo a lege inducente reservationem exprimitur. Insuper debet esse externum et certum : non solent pastores interna reservare, eo quod sint communiter minus gravia, et aliunde non pertineant ad externam gubernationem Ecclesiæ, quæ in casuum reservatione maxime intenditur.

Ex iisdem principiis concludimus insuper reservatione affici etiam legem ignorantes. Enimvero, lex non est per se pœnalis, primario saltem; est potius medicinalis in bonum fidelium lata, et directe attingit confessarium cujus jurisdictionem limitat : porro, non est cur lex hujusmodi suo effectu privaretur in casu quo pœnitens eam ignoraverit. Deterrebitur in futurum a peccatis his gravioribus dum noverit ea esse ab Ecclesia reservata, et in præsenti facilius adducetur

ad concipiendum dolorem de patratis; recipiet remedia et consilia opportuniora, ut relapsum in ea peccata devitet. Insuper canones decernunt confessarium *nihil posse in casibus reservatis*, nulla adhibita distinctione an fuerit scientia an ignorantia reservationis in pœnitente : ergo deest confessariis jurisdictio.

Excipienda tamen sunt, juxta communem sententiam [1], peccata reservata Papæ. Ratio est quod hi casus, si unum aut alterum excipias de quibus in decursu data occasione dicetur, reservantur principaliter et immediate, propter censuram, nimirum excommunicationem ipsis connexam; unde cum nemo ignorans censuram eam incurrat, juxta communem sententiam Canonistarum, consequens est non subsistere reservationem peccati, quando peccator bona fide ignoravit legem inducentem hanc excommunicationem.

270. — V° *Utrum reservatio casuum subsistat etiam in casu necessitatis?*

Concilium Tridentinum declaravit nullam esse reservationem in articulo mortis : quivis igitur sacerdos simpliciter approbatus potest absolvere a casibus reservatis; sicque absolutus non tenetur postea, si convaluerit, se sistere superiori, nisi peccato annectatur censura reservata. Quinimo, usu ita obtinente atque assentiente benignitate Ecclesiæ, omnes presbyteri non approbati, vel etiam censuris innodati, possunt in tali necessitate moribundum absolvere.

Extra articulum mortis manet reservatio. Si tamen urgeat necessitas confitendi, et pœnitens adire non possit superiorem pro reservatis approbatum, quia deficit tempus vel imminet grave periculum infamiæ, communius tenent DD. pœnitentem posse confiteri sacerdoti simplici, a quo absolvatur. Dicunt hoc in casu sacerdotem non posse absolvere directe a reservatis, in quæ non habet jurisdictionem, sed absolvere directe

[1] Cf. S. Liguori, lib. VI, n° 580.

a peccatis communibus, et peccata reservata, effectu sacramenti, indirecte remitti.

Pœnitens qui bona fide confitetur sacerdoti non habenti potestatem in casus reservatos, sive inculpate obliviscatur peccati reservati, sive prorsus ignoret reservationem, versatur in hac morali necessitate; nisi enim absolvatur, saltem indirecte, a reservatis, remanebit, ob suam ignorantiam, in statu peccati mortalis cum discrimine salutis. Necessarium tamen ipsi erit, sicuti aliis qui quavis de causa in necessitate morali versati sunt, recurrere ad superiorem pro casibus reservatis approbatum, cum possibilitas advenerit. (S. Liguori, n^is^ 585, 596.)

ARTICULUS II. — DE SUBJECTO JURISDICTONIS CONFESSARII.

In quos fideles extendatur jurisdictio confessarii, modo generali determinatum est in articulo præcedenti. Duæ solum remanent difficultates : una quidem respectu extraneorum qui accidentaliter duntaxat degunt in una diœcesi, an parochus, aliusve sacerdos possit hos extraneos venientes ab alia diœcesi ad quam mox reversuri sunt, absolvere ; altera autem respectu omnium fidelium qui volunt satisfacere legi Lateranensi de annua confessione, quis sit proprius sacerdos qui jure valeat eos audire.

271. — 1° *Utrum parochus aliusve sacerdos delegatus ab Episcopo loci, possit absolvere peregrinos et advenas?*

Communiter admittitur Episcopum et omnes sacerdotes qui sub jurisdictione Episcopi, et cum illius approbatione, sacro ministerio funguntur, posse excipere confessiones extraneorum qui accidentaliter in sua diœcesi vel parochia degunt (n° 243).

Ita fuit consuetudine universali sapienter ordinatum, ut facilior via omnibus, quocumque loco versentur, pateat ad se Deo reconciliandum. Dici quapropter potest jure communi concedi jurisdictionem delegatam in favorem extraneorum : et hoc observatur etiam in casu quo fidelis peccata in sua diœcesi reservata perpetraverit, modo de eisdem absolvere queat confessarius loci in quo pœnitens sacramentum postulat, et pœnitens non illic venerit in fraudem legis. Supra notavimus reservationem directe afficere confessarium ; unde si habeat facultatem a reservatis absolvendi, vel si hæc peccata non sint reservata in sua diœcesi, potest excipere confessionem extranei.

Huic regulæ generali unicam apposuimus exceptionem pro casu quo extraneus venerit *in fraudem legis ;* cujus quidem ratio est quod Ecclesia non præsumatur conferre jurisdictionem confessariis in favorem extraneorum qui dolose se subducunt suo judici ordinario ; alias reservatio fieret illusoria. Sic, ut exemplum simul ac certam probationem nostræ exceptionis afferamus, Clemens X permittit regularibus absolvere pœnitentes confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, *nisi eosdem pœnitentes noverint in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* (Bulla *Suprema*, an. 1670.) At non convenit inter doctores in quonam sensu intelligatur illa conditio, seu quandonam aliquis dici debeat venisse *in fraudem legis*, de quo videas opiniones diversas apud S. Liguori, n° 589. Card. de Lugo, Schmalzgrueber, Wiestner, ipse S. Liguori, arbitrantur illum agere in fraudem legis qui eo præcise animo in aliam diœcesim transit ut absolutionem a peccatis reservatis consequatur, et sic effugiat judicium sui proprii pastoris. Huic opinioni ultro subscribimus, modo tamen supponatur pœnitentem in eum solum finem huc venire, ad proprium locum reversurus. Nam si domicilium mutet, licet non alio motivo principali suam diœcesim reliquerit quam aufugiendi

judicium proprii pastoris, non ageret in fraudem legis, quia assumit medium a jure non reprobatum.

272. — II° *Utrum quivis sacerdos approbatus possit excipere confessionem annuam præscriptam a concilio Lateranensi?*

Difficultatem quoad confessionem annuam a concilio Lateranensi præscriptam procrearunt verba ejusdem concilii quibus jubetur ut fideles *proprio suo sacerdoti* confiteantur semel in anno, aut alteri presbytero de Ordinarii licentia. Hinc enim nonnulli deduxerunt invalidam fore confessionem factam cuivis alii sacerdoti, nisi parochus ipse assentiatur.

Quam hæc interpretatio erronea sit, si velint excludere S. Pontificem et Episcopum, nemo non videt; nihil certo tam alienum a mente concilii Lateranensis. Jam vero, si nullus catholicorum denegare debeat facultatem S. Pontificis et Episcopi, qui uterque habent jurisdictionem immediatam in parochianos, consequens est nec denegari posse jura illorum quibus Sancta Sedes, vel Episcopus, dederit delegationem ad excipiendum confessiones fidelium.

SS. Pontifices privilegium concesserunt regularibus Mendicantibus et patribus Societatis Jesu, approbatis ab Ordinario, excipiendi confessiones omnium fidelium ad se venientium, etiam quadragesimali et paschali tempore, absque ulla restrictione quoad confessionem annuam : ergo confessio facta his regularibus sufficiens est ad satisfaciendum legi Lateranensi. Innocentius X, data constitutione *Exponi nobis* an. 1643, occasione controversiæ excitatæ inter Archiepiscopum Burdigalensem et regulares, definivit Episcopos huic privilegio derogare non posse.

Episcopi plerumque decreverunt in statutis diœcesanis fideles posse confiteri, etiam ad satisfaciendum legi Lateranensi, cuilibet sacerdoti sæculari approbato. Invaluisse videtur consuetudo per universalem Ecclesiam quæ hanc libertatem fidelibus asserit, et fuit approbata saltem implicite a S. Sede.

S. Alph. Liguori refert declarationem S. Cong. Episcoporum, in qua dicitur vi carere decretum Episcopi decernentis « quod « nullus confessarius, etiam ab Ordinario approbatus, possit « tempore paschali confessiones alicujus audire sine licentia « proprii curati. » Lib. VI, n° 564.

Hæc cæterum privilegia et consuetudines non obstant quominus sacerdotes, seu regulares seu sæculares, habere omnino debeant licentiam ab Episcopo ut possint absolvere a casibus ipsi Episcopo reservatis, uti docent omnes theologi, et sæpius definivit Sancta Sedes; unde Alexander VII proscripsit hanc propositionem : *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

ARTICULUS III. — DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARII.

273. — Remittimus ad tractatum theologicum *de Pœnitentia* quæstiones morales circa obligationem quæ confessario incumbit pœnitentes imparatos disponendi ad sacramentum; absolutionem dandi, differendi aut denegandi, habita ratione dispositionum singulorum; imponendi pœnitentias convenientes, tum pœnales, tum mediciniales queis peccatorum morbis mederi speret, atque relapsus in malum devitari; sigillum denique sacramentale integerrima fide servandi. Hoc solummodo notare opportunum ducimus, sanctis canonibus, et præsertim constitutione Clementis VIII, 26 maii an. 1594, præscriptum fuisse ut « tam superiores pro tem« pore existentes, quam confessarii qui postea ad superiori« tatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne « ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habue« rint, ad exteriorem gubernationem utantur. » Sacra Congregatio Inquisitionis proscripsit, an. 1682, propositionem

in qua dicebatur licitum esse uti scientia ex confessione acquisita, etiam cum gravamine pœnitentis, modo id fiat sine directa aut indirecta revelatione, et in casu quo multo gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur.

Regulam datam a S. Sede observare tenentur confessarii etiam sæculares, ob paritatem rationis. Istius modi usus confessionum vergeret in perniciem animarum; multi quippe exinde periculo profanandi sacrilege sacramentum exponerentur; alii ob metum mali quod sibi imminere putarent ex parte sui superioris, alii ob spem illum decipiendi ut favorem sibi aucupentur.

Hinc, ut unum præ aliis casum seligamus, Episcopus non potest alicui officium auferre, nec concedere, ob solam notitiam quam ex illius confessione obtinuit : parochus non potest, etiam privatim, denegare sanctam Eucharistiam illi quem ex confessione indignum noverit[1]. Superior qui aliunde novit aliquem indignum esse, puta ex defectu scientiæ, prudentiæ, probitatis, potest illi suffragium denegare, aut illum ab officio removere juxta opinionem communem; sed dicemus, cum S. Alph. de Liguori, hanc sententiam locum habere posse tantum si tales occurrant circumstantiæ aliunde cognitæ, sive ante sive post confessionem, quæ vere movissent superiorem ad suffragium denegandum, etiamsi nullam ex confessione habuisset notitiam indignitatis pœnitentis. Igitur minime audiendi sunt qui dicunt « quod esto ex sola scien-« tia confessionis nequeat superior dirigi ad gubernationem « externam, tamen poterit ex illa lumen accipere, et sumere « alium exteriorem prætextum seu colorem ad negandum « suffragium. » (Loc. cit., n° 657.)

Ut omnis abusus in hac materia certius removeatur, ple-

[1] Cf. Schmalzgrueber in tit. DE PŒNITENTIIS, n° 69-90, lib. V, Decret. — S. Liguori, lib. VI, n^is^ 656, 657.

niorque libertas detur subditis, Clemens VII admonuit superiores regularium, Const. edita anno 1593, ne audiant ipsi confessiones suorum inferiorum, nisi casus reservatos isti admiserint, aut sponte petierint; simul injunxit ut habeant nonnullos delegatos ad hoc ministerium confessiones excipiendi[1].

[1] Barbosa, *de Potestate Episcopi*, art. III, allegat. 411, n° 18.

SECTIO IX[a]

CONSECTARIA PRIMÆ PARTIS

Ex dictis in hac prima parte *Prælectionum* duo maximi momenti sequuntur : nimirum, Christum Apostolis contulisse potestatem in Ecclesia perpetuo permansuram docendi, regendi et sanctificandi homines per donorum cœlestium communicationem, et potestatem illam ordinatam esse, ut unitas servetur. Hinc eruitur existentia divinæ hierarchiæ tum ordinis tum jurisdictionis, de qua nunc pauca superaddere perutile nobis visum est ; hæc enim valde conferunt ad pleniorem intelligentiam constitutionis Ecclesiæ.

CONSECTARIUM I. — DE DUPLICI HIERARCHIA ORDINIS ET JURISDICTIONIS.

274. — Vox *hierarchia* (ἱερὸς ἀρχὴ) significat sacrum principatum. Aliquando sumitur objective de potestate ecclesiastica quatenus est distributa in species et gradus ; aliquando autem subjective, de ordine personarum quibus ex officio competit potestas exercendi aliquam functionem sacram.

Canonistæ duplicem hierarchiam distinguunt : aliam *ordinis*, alteram *jurisdictionis*. Quidam recentiores tertiam ad-

jungunt *magisterii*, ad docendum; sed necessarium non arbitramur recedere ab usu consuetissimo, quia magisterium illud reducitur ad hierarchiam jurisdictionis, ut infra explicabitur. Sufficiat proinde exponere 1° Quid sit potestas et hierarchia ordinis; 2° quid potestas et hierarchia jurisdictionis; 3° tandem quæ sit distinctio et mutua relatio utriusque.

§ 1. *Potestas et hierarchia ordinis.*

275. — I° *Quid sit potestas ordinis, et quomodo in varios gradus hierarchiæ distribuatur?*

Potestas ordinis est facultas peragendi ex officio ritus sacros, qui sunt oblatio sacrificii, sacramentorum administratio, benedictiones, vel in illis peragendis ministrandi.

Esse in Ecclesia catholica potestatem ordinis divinitus constitutam et per gradus distributam, tenet constans traditio et probatur a theologis in tract. *de Ordine.* Hanc traditionem canone dogmatico consignavit concilium Tridentinum : « Si « quis dixerit non esse in Ecclesia catholica hierarchiam « divina ordinatione institutam quæ constat ex Episcopis, « presbyteris et ministris, anathema sit. » (Sessione XXIII, can. VI.)

Plenitudo potestatis ordinis est in Episcopo; nulla quippe sunt dona supernaturalia potestati ordinis annexa quæ non conferant Episcopi; quamobrem merito dicitur hos Præsules præcipue, id est, in summo gradu, pertinere ad hierarchiam ordinis.

Primi post Episcopos veniunt presbyteri, quibus concessum est sacrum sacrificium offerre; et hi sunt ministri ordinarii Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis; quas tamen sacras functiones nonnisi cum dependentia a suo Episcopo obire debent.

Tertium locum obtinent, in hierarchia ordinis, diaconi, qui ex officio presbyteris in sacrificii oblatione ministrant; et possunt delegari ad conferendum Baptismum solemnem, necnon ad sacræ Eucharistiæ dispensationem.

Sunt ministeria inferiora, scilicet subdiaconatus et quatuor minores ordines, de quibus certum non est an jure divino, an solummodo jure ecclesiastico, pertineant ad hierarchiam ordinis. Perantiqua est quidem distinctio horum ordinum, nam in monumentis priorum sæculorum quæ ad ætatem apostolicam proximant consignatur, cum attributione functionum specialium singulis his ordinibus; sed non convenit inter doctores utrum referri debeant ad divinam institutionem, participentque gratiæ sacramenti ordinis, an dici debeant instituta ecclesiastica, de quo in tractatibus theologicis *de Ordine*. Sufficiat notare Ecclesiam determinasse, prout magis expedire existimavit, jura et functiones clericorum qui his ordinibus inferioribus sunt initiati.

Hinc concludas esse actus et attributiones ordinum jure divino immutabili; esse etiam actus et functiones ordinum jure canonico et mutabili determinata : sed manet nostra definitio potestatis ordinis; quia quicumque ad hierarchiam ordinis pertinent, habent ex officio potestatem ritus sacros peragendi, vel in illis peragendis ministrandi.

Quod ad tonsuram spectat, etsi controversia moveatur de illius origine, admodum verisimile est illam non esse ordinem, nec consequenter eos constituere in hierarchia ordinis quos Ecclesia suo clero cooptavit per simplicem tonsuram. Re quidem vera, tonsura clericalis nullam confert potestatem peragendi ex officio ritus sacros qui ad sacrificium vel ad benedictiones referantur. Hinc concilium Trident. apprime distinguit inter initiatos simpliciter prima tonsura, et initiatos minoribus ordinibus (sess. xxiii, cap. vi); catechismus Romanus tonsuram dicit, cum S. Thoma, *præambulum ad ordines*.

§ 2. *Potestas et hierarchia jurisdictionis.*

276. — II° *Quid sit potestas jurisdictionis?*

Potestas jurisdictionis est potestas publica docendi et regendi, in ordine ad cultum Dei et animarum salutem.

Hæc potestas latissime patet, multaque complectitur diversæ naturæ quæ in toto decursu primæ partis *Prælectionum* exposita sunt.

1° Primo loco reponimus potestatem docendi, seu magisterium doctrinale; quia hæc potestas prima se exserit ordine temporum, cum Apostoli, antequam ullum actum alium jurisdictionis facerent in homines, debuerint illos adducere ad professionem veræ religionis per prædicationem verbi divini. Insuper, fides est fundamentum societatis christianæ : est vinculum quo christiani in unam societatem coadunantur; ergo nihil tam in Ecclesia præcipuum quam auctoritas doctrinalis. — Titulus jurisdictionis divinæ quoad illud magisterium est potestas tradita sancto Petro pascendi universalem Ecclesiam, qua potestate constitutus est doctor omnium christianorum, et missio data Apostolis docendi omnes gentes, cum promissione assistentiæ supernaturalis, singulis diebus usque ad consummationem sæculi.

2° Secundo loco venit sub denominatione jurisdictionis, potestas condendi leges quibus regatur communitas. Neminem latet nullam societatem subsistere posse absque jure legislativo; titulum autem primordialem ejusdem juris quoad societatem christianam vidimus in verbis Christi Domini ad Petrum et ad Apostolos : *Pasce oves meas... Tibi dabo claves regni cœlorum... Quæcumque alligaveritis super terram erunt alligata et in cœlo.* Oves reguntur legibus; claves sunt symbolum supremæ potestatis; ligamina in sensu morali sunt obligationes quas pastores fidelibus sibi commissis imponunt.

Objectum proprium potestatis legislativæ Ecclesiæ sunt res omnes externæ quæ directe ac proxime referuntur ad ordinem spiritualem, uti prædicatio fidei, sacrorum celebratio, disciplina cultus publici, informatio morum juxta præcepta evangelica, etc. Leges autem quas fert auctoritas legitima afficiunt communitatem, nec subditos, seu individuos, ligant nisi mediante communitate cujus sunt membra; unde necessarium est leges auctoritate publica intimari societati per promulgationem, eo modo quo ad illius notitiam certo pervenire possint (n^is 83, 84).

3° Tandem jurisdictio complectitur potestatem gubernandi societatem, et individuos regendi ad normam legum conditarum atque conformiter ad finem intentum Ecclesiæ; judicandi causas tum reales, tum disciplinares, tum personales quæ ad bonum Ecclesiæ attinent; puniendi reos juris violati, sive ut resipiscant, sive ut ordo publicus servetur; quæ singula suo loco exponenda erunt, ubi *de Rebus* et *de Judiciis* ecclesiasticis dicetur in tertia et quarta parte harum *Prælectionum*.

Jure divino duplex est gradus jurisdictionis : supremus pontificatus beati Petri in quo residet plena et summa jurisdictio in Ecclesiam universalem, et auctoritas episcopalis primatui Sedis Apostolicæ subordinata. Jure autem ecclesiastico alii sunt gradus constituti, scilicet : Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, atque ministrorum in ordine inferiori, ut sunt parochi. Hierarchia proinde jurisdictionis est partim jure divino et partim institutione humana; et potestas singulis attributa determinatur regulis canonicis.

Ex illa distributione jurium per singulos gradus hierarchiæ, et ex diverso respectu sub quo jurisdictio considerari potest, oritur multiplex distinctio jurisdictionum, quas explicare operæ pretium ducimus.

277. — III° *Quotuplex sit jurisdictio?*

Jurisdictio dividitur 1° in internam et externam; 2° in

voluntariam et contentiosam; 3° in ordinariam et delegatam; 4° in immediatam et mediatam.

I. JURISDICTIO INTERNA ET EXTERNA.

Jurisdictio *interna*, seu, ut communius aiunt, *fori interni*, ea est quæ directe ac primario refertur ad privatam uniuscujusque fidelis spiritualem utilitatem. Ad illam pertinent administratio sacramentorum, concessio indulgentiarum, commutationes votorum, prædicatio illa simplex qua fidelibus ad illorum instructionem proponitur doctrina christiana ab Ecclesia definita. Hæc jurisdictio est, vel fori pœnitentialis, si intra sacrum tribunal pœnitentiæ, audita confessione sacramentali, exerceatur, ut absolutio a peccatis; vel fori extra-pœnitentialis, si exerceatur absque relatione ad sacramentum Pœnitentiæ; ut si quis, extra confessionem, relevetur a reservatione peccati, aut dispensetur super aliqua irregularitate, etc.

Jurisdictio *fori externi* ea est quæ directe ac primario refertur ad publicam societatis utilitatem. Ad illam pertinent definitiones dogmaticæ veritatum, legislatio, institutio ministrorum, concessiones facultatis absolvendi, dispensandi...; quamvis enim ipsamet absolutio seu dispensatio sit fori interni, si effectum sortiri non debeat in foro externo, institutio tamen ministrorum qui absolvant seu dispensent, est res externa in bonum communitatis primario ordinata.

278. — II. JURISDICTIO VOLUNTARIA ET CONTENTIOSA.

Jurisdictio voluntaria a contentiosa differt ratione objecti circa quod versatur, et modi quo exercetur. .

Jurisdictio voluntaria versatur circa ea quæ committuntur superiori ut de iis pro prudenti arbitrio disponat, quin fieri possit appellatio canonica ab illius administratione ad tribunal altioris ordinis. In hujus juris exercitio superior non alias regulas sequi tenetur quam æquitatis et sapientis regiminis. Hujusmodi est jurisdictio *gratiosa* qua superior largitur favores, indulgentias, privilegia, facultates, quorum

concessio pendet ab illius placito..., jurisdictio *legislativa* et *administrativa* qua leges condit, ministros instituit, vel clericum ad aliud officium transfert, si non habeat titulum inamovibilem..., jurisdictio *correctiva* qua subditos emendat per modum paternæ correctionis, ad illorum procurandam utilitatem, potius quam per modum pœnæ in vindictam delicti[1].

Jurisdictio contentiosa versatur circa ea quæ in disceptationem veniunt et judicari debent servatis regulis jure præscriptis, non vero arbitrio superioris. Tales sunt causæ de quibus contenditur inter duas partes litigantes, uti causæ matrimoniales et beneficiales; pœnæ graviores, quæ nimirum excedunt limites correptionis paternæ et providæ administrationis, ut excommunicatio major, privatio tituli, depositio, degradatio... In definitione similium causarum servandæ sunt regulæ præscriptæ, etiam quando summarie tractantur, ut suo loco dicetur ubi *de Judiciis*.

Alia sunt discrimina utriusque jurisdictionis quæ ab eisdem notionibus oriuntur, scilicet: voluntaria refertur tum ad forum internum, tum ad forum externum pro subjecta materia, et potest indifferenter exerceri in proprio et in alterius territorio; contentiosa autem ordinatur ad solum forum externum, ut indicat ipsamet natura causarum quæ veniunt in discussionem, et superior illam non debet nec potest valide exercere nisi intra limites sui territorii, exceptis paucis casibus determinatis; unde illud effatum : *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*.

279. — III° JURISDICTIO ORDINARIA ET DELEGATA.

Jurisdictio ordinaria ea est quæ alicui competit jure proprio, ratione officii vel dignitatis. Confertur per legem, vel per consuetudinem quæ constituit officium publicum, vi cujus qui illud officium possidet potestatem in subditos exercet

[1] Gohard, *Traité des bénéfices*, t. I, pag. 302.

munere proprio, non quasi vices alterius gerens... In jurisdictione ordinaria comprehenditur illa quam *vicariam* dicunt, quam scilicet aliquis ex commissione superioris exercet, quando lex concedit superiori ut valeat constituere vicarium qui loco sui, et ex proprio suo tribunali, jurisdictionem exerceat universaliter.

Jurisdictio delegata ea est quam aliquis habet non jure proprio, ratione officii, sed ex nuda commissione alterius cujus vice fungitur. Hæc jurisdictio confertur vel a *jure*, vel ab *homine*: alia datur ad casum particularem, alia ad speciem determinatam causarum, alia ad causarum universitatem. Hoc non efficit species diversas, sed solum determinat effectus juridictionis atque objectum, prout magis vel minus extenditur.

Lex Romana *More majorum*, quæ in jus canonicum transiit, utramque jurisdictionem, ordinariam et delegatam, cum suo proprio charactere sic exprimit : « *More majorum ita comparatum est, ut demum is jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio, habet.* » FF. *de Jurisd.*

Discrimina quæ ex utriusque ratione sequuntur in praxi hæc sunt : 1° qui habet jurisdictionem ordinariam illam delegare potest, quia utitur re sua, et unicuique licet facere per alium quod facere potest per seipsum nisi lex aliqua obstet ; dum qui habet jurisdictionem delegatam, tenetur munus sibi commissum obire juxta intentionem delegantis, nec subdelegare potest, nisi hoc sibi concedatur, uti infra dicemus : 2° illam conservat post mortem superioris a quo fuerat provisus, siquidem eam habet vi muneris proprii sibi in perpetuum collati : delegatus autem suam jurisdictionem amittit morte, demissione, vel translatione delegantis, excepto solum casu quo res non sit integra, seu processus incœptus fuerit ante mortem delegantis, uti infra dicetur : 3° illam ubique locorum in suos subditos exercet, modo tamen agatur de actibus fori interni qui nullam perturbationem in alterius ter-

ritorio inducant; quia hæc jurisdictio subditos afficit quamdiu subditi manent, scilicet quamdiu suum domicilium servant, sive ibidem reperiantur, sive accidentaliter alibi versentur : delegatus non exercet suam jurisdictionem extra territorium, nisi hoc sibi concessum fuerit... Quinimo, canonistæ non consentiunt utrum superior qui potitur jurisdictione ordinaria, valeat concedere suo delegato facultatem eam exercendi extra limites sui territorii. Videtur tamen quod possit, excepto casu delegationis ad administrationem sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est 1° quod jura indistincte declarent voluntariam jurisdictionem posse exerceri extra territorium, quatenus nulla injuria irrogatur judici territorii; « quæ ratio, ut bene notat Sanchez, æque militat in judice ordinario « et delegato[1]; » 2° quod juxta principium generale, *unusquisque possit facere per alios quod potest per seipsum*; ergo cum in jure nullam aliam causam excipi noverimus, quam delegationem in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ (267), concludimus superiori fas esse, hoc excepto, delegare potestatem etiam extra suum territorium exercendam.

280. — IV° JURISDICTIO IMMEDIATA ET MEDIATA.

Jurisdictio immediata ea est quam superior in suos subditos exercet independenter a casu appellationis et a casu devolutionis in quo Prælatus major deberet supplere negligentiam inferioris, vel illius actus corrigere, uti determinatur a jure. Mediatam vocamus aliam jurisdictionem quam aliquis non exercet nisi mediante casu appellationis, aut devolutionis, uti dictum fuit in discursu de Metropolitanis (137).

§ 3. *Mutua relatio potestatis ordinis et jurisdictionis.*

581. — *Quæ sint discrimina et correlationes hierarchiæ ordinis et jurisdictionis?*

[1] Sanchez, *de Matrimonio*, lib. III, disp. 34, n° 2.

I. Discrimina ordinis a potestate jurisdictionis, indicat his verbis S. Thomas : « Spiritualis potestas, una quidem sacra- « mentalis est, alia jurisdictionalis. Sacramentalis est quæ « per aliquam consecrationem confertur; omnes autem con- « secrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manente re quæ con- « secratur... et ideo talis potestas secundum suam essentiam, « remanet in homine qui per consecrationem eam est adep- « tus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim laba- « tur... Potestas autem jurisdictionis est quæ simplici in- « junctione hominis confertur, et talis potestas non immo- « biliter adhæret. » (2, 2, q. 39, art. 3.)

Differunt igitur multiplici respectu : 1° *Ratione modi* quo utraque confertur, una per consecrationem, altera per missionem. 2° *Ratione objecti :* alia refertur immediate ad sanctificationem hominis per benedictiones, sacramenta, et sacrificium, altera ad magisterium doctrinale et ad regimen. 3° *Ratione subjecti :* ii soli participant potestati ordinum qui fuerunt clero cooptati sacra ordinatione, dum potestas faciendi actus jurisdictionales competit quandoque iis qui non habent ordinem, imo conferri potest a S. Pontifice ipsismet laicis (cap. *Dilecta filia*, 12, DE MAJORITATE, lib. 1). 4° *Ratione effectuum;* prohiberi quidem potest ordinis exercitium, et tunc illicite se geret sacerdos qui posthabita prohibitione hunc exercere præsumpserit; verum, illius actio non carebit effectu, quia quoties cuncta adhibentur quibus sacramentum constat, nihil jam impressam a Deo efficientiam cohibere potest. E contra, jurisdictio nec valide quidem exerceri potest contra voluntatem superioris unde procedit; exerceri enim non potest nisi in subditos; si non adsint, nec erit potestatis exercitio locus. Superioris autem est assignare subditos, eorum adaugere vel imminuere numerum, et casus varios quibus in eos agendum erit. 5° *Ratione durationis :* alia est permanens, altera auferri potest. Hæc sunt essentialia discrimina inter utramque potestatem.

II. Adest nihilominus inter ordinem et jurisdictionem mutua et intima relatio. Jurisdictio refertur ad ordinem, et vicissim ordo ad jurisdictionem, quia ea est œconomia divinæ providentiæ ut per quos in fide erudiuntur fideles ac disciplina christiana informantur, per eosdem dona supernaturalia pro sui sanctificatione suscipere possint. 1° Jurisdictio igitur refertur ad ordinem, eo sensu quod resideat regulariter in personis sacra ordinatione initiatis, veluti in suo proprio subjecto. Re quidem vera, omnes regulariter habent ordinem gradui suæ jurisdictionis, seu ministerii, respondentem, aut illum quantocius recipere debent. Si quandoque res aliter disponitur, fit per accidens et est exceptio regulæ communis. 2° Vicissim, ordo refertur ad jurisdictionem, quatenus dat aptitudinem ad illam et simul confert gratiam divinam ad obeundum sancte ac fructuose ministerium commissum in Ecclesia. Theologi exinde dicunt conferri jurisdictionem *radicalem* sacra ordinatione, quod verissimum est quoad potestatem absolvendi a peccatis quam presbyteri recipiunt dum sacerdotio initiantur. Idem sentiunt de jurisdictione episcopali ad regimen diœcesis, qui existimant Episcopos habere suam jurisdictionem immediate a Christo. « Ex jure divino « habet jurisdictionis potestatem factus Episcopus, ait Al- « phonsius a Castro, sed jure humano fit esse hæc potestas « determinata circa has aut illas oves sibi commissas, quæ « aliquando est latior, aliquando brevior, penes hoc solum « quod plures aut pauciores subditi illi tribuuntur. » (*De justa hæreticorum punitione*, lib II, cap. XXIV. Cf. Vasquez in 1am 2æ, q. CXV, disput. CLII, cap. III.)

III. Notare est denique quosdam actus referri simul ad ordinem et jurisdictionem, adeo ut ab utroque procedat illorum valor. Hujusmodi sunt, v. g., absolutio sacramentalis a peccato, collatio confirmationis et ordinum minorum a simplici presbytero, benedictiones sacerdotales quibus applicantur suffragia Ecclesiæ.

CONSECTARIUM II. — DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS.

282. — Aliud consectarium principiorum quæ in hac prima parte exposuimus, est quod nullus se immiscere debeat in quodvis officium seu ministerium ecclesiasticum, nisi habuerit delegationem ab auctoritate superiori, uno solum excepto supremo Pontifice qui, electione semel rite peracta, immediate recipit a Christo suam potestatem, quia nulla est in terris auctoritas eminentior qua institui possit.

Ut vero hoc principium maximi momenti ea qua par est cura pertractetur, simulque melius pateant illius applicationes practicæ, seorsim agere convenit de titulo ad quamvis jurisdictionem adipiscendum requisito; deinde de adeptione jurisdictionis ordinariæ et jurisdictionis delegatæ.

§ 1. — *De necessitate tituli ad acquirendum jurisdictionem.*

283. — 1° *Quid et quotuplex sit titulus ?*

I. Titulus, juxta canonistas quando de jurisdictione disserunt, est concessio officii, seu ministerii ecclesiastici, alicui idoneo facta ab auctoritate competente et sufficienter manifestata.

Voluntas superioris habentis auctoritatem competentem necessario intervenire debet, sin explicite, saltem implicite; est enim prima ratio cujuslibet missionis in Ecclesia : nullus, nec propria sponte, nec potestate sæculari, se ingerere debet in ministerium; alioquin reum se constituit intrusionis, atque usurpati juris.

Superior nulli officium conferre debet qui non sit idoneus; alioquin, si intercedat aliquod impedimentum naturale, seu canonicum, non valet promotio.

Tandem concessio facta a superiore debet sufficienter manifestari ut de illa certo constet; si autem jus præscripserit

sub pœna nullitatis aliquam formam servandam in actu concessionis, huic procul dubio standum est. Cæterum, non confundendus titulus cum litteris quæ communiter traduntur in testificationem concessi officii. Illæ litteræ sunt manifestatio voluntatis superioris, non ipsa voluntas quæ, quocumque modo innotescat, est verus titulus. In jure dicitur : *Rescriptum non est de substantia gratiæ sed probationis.*

Quoties tres illæ conditiones : voluntas superioris, idoneitas subjecti, forma debita in actu concessionis, concurrunt, titulus est legitimus atque confertur jurisdictio : sed quandoque accidit ut una ex his conditionibus desit et tunc titulus dicitur coloratus, vel invalidus, vel præsumptus, pro diversa ratione defectus.

II. Quatuor igitur tituli distinguuntur a canonistis quoad jurisdictionem, scilicet : legitimus, coloratus, invalidus, et simpliciter præsumptus.

Quid sit *titulus legitimus*, mox dictum est. *Titulus coloratus* ille dicitur qui datur a superiore et ex se collativus est jurisdictionis, sed aliquo defectu occulto laborat, qui obstat ne conferat reipsa jurisdictionem. Sic, e. g., si superior teneatur impedimento canonico ob excommunicationem, suspensionem, aliamve pœnam in quam forte inciderit ; item si persona promota sit, ob aliquam irregularitatem vel censuram occultam, incapax recipiendi officium aut delegationem. Titulus, in hoc casu, vocatur coloratus quia habet colorem, id est apparentiam tituli legitimi.

Titulus invalidus ille est qui datus quidem fuit a legitimo superiore, sed caret forma essentiali : v. g. si per vim aut errorem fuerit a superiore obtentus ; si electio facta sit per minorem partem, aut fraus commissa sit in suffragiis ; si rescriptum labe simoniaca fœdetur, etc., etc. Hæc enim vitiant titulum et invalidant.

Titulus *præsumptus* dicitur quando datus non fuit a superiore : puta si quis se fraudulenter dicat missum a supe-

riore, vel si ab illo acceperit litteras ad annum tantum valituras, et elapso termino pergat ministerium obire; vel demum, si acceperit delegationem a superiore extraneo non habente ad hoc jurisdictionem.... In his et aliis similibus casibus, est titulus præsumptus; quia præsumitur datum fuisse titulum quem superior reipsa non dedit.

In hoc triplici casu tituli colorati, invalidi, et præsumpti, supponitur error communis, alioquin deficeret omnis color, apparentia, præsumptio concessi tituli; hoc autem errore supposito, quæritur utrum Ecclesia conferat jurisdictionem, supplendo quod deest, in favorem fidelium [1].

284. — *Utrum Ecclesia conferat jurisdictionem in casu tituli colorati, invalidi, vel etiam simpliciter præsumpti?*

1. Quod ad titulum coloratum spectat, certum est Ecclesiam conferre jurisdictionem, in favorem fidelium, modo tamen non obstet impedimentum jure divino, et adsit error communis circa factum unde oritur defectus tituli.

Ita omnes canonistæ, qui testantur admissam fuisse in jure ecclesiastico legem Romanam *Barbarius* quæ sic statuit : « Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset, Romæ « præturam petiit et prætor designatus est..... Videamus si « servus quamdiu latuit, dignitate prætoria functus sit. Quid « dicemus? Quæ edixit, quæ decrevit nullius fore momenti? « An fore propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt? « Et verum puto nihil horum reprobari. Hoc enim humanius « est, cum etiam potuerit populus Romanus servo decernere « hanc potestatem, et si sciret servum esse, liberum facere » (ff. 3, DE OFFICIO PRÆTORIS).

Eadem ratio æquitatis Ecclesiam induxit ut daret auctoritatem rebus gestis vi tituli colorati. Potuit procul dubio reparare defectum tituli, cum supponamus nullum impe-

[1] V. Sanchez, tract. *de Matrimonio*, lib. III, disput. XXII, quæ integra versatur circa hanc materiam.

dimentum naturale seu divinum positivum obstare. Maxime interest fidelium, ne ex errore inculpato detrimentum grave patiantur, quod certe accideret si actus judicis putativi irriti essent; hinc enim sequeretur nullitas absolutionum, matrimoniorum, etc., etc. Aliunde timendum non est in illo casu ne disciplina canonica enervetur, neve auctoritas contemnatur, cum auctoritas competens contulerit titulum, et defectus sit occultus. Textus juris *Ad probandum*, 24, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA, hanc disciplinam in Ecclesia obtinere subindicat; siquidem in hac decretali Alexander III respondit infirmandam sententiam quam protulerat judex quidam delegatus, quia quo tempore eam tulerat, erat *publice innodatus* vinculo excommunicationis; igitur obtinuisset sententia, si judex non publice sed occulte fuisset excommunicatione ligatus.

Hæc autem forum externum æque ac forum internum spectant, et de omni jurisdictione, de delegata non secus ac de ordinaria intelliguntur; eadem quippe in utroque casu militat ratio, et ita magis communiter interpretantur canonistæ. Forum internum ejusdem conditionis est quoad jurisdictionem ac forum externum; quod in uno statuitur pro valore actuum merito reputatur statutum in altero, nisi subjecta materia aliud indicet. Non minora certe imminerent pericula, imo, sub quodam respectu, majora, si in iis quæ forum conscientiæ attinent, judex putativus careret jurisdictione. Neque etiam in hac materia locus est distinctioni inter jurisdictionem ordinariam et delegatam, quia officium judicis delegati multum interest societatis; plurimum refert ut subditi ad illud fidenter recurrant, rati gesta ab eo valitura fore eodem modo ac si a judice ordinario facta fuissent.

Dixi *modo adsit error communis*. In hac re jus canonicum utilitati communi vult providere : porro, error vel ignorantia paucorum parvi refert ad bonum publicum, nec censetur

ratio sufficiens cur recedatur a regulis generalibus, et suppleatur defectus tituli; ergo esse debet error communis in loco ubi judex putativus jurisdictionem exercet. Non obstat si alibi impedimentum forte cognoscatur, nec etiam si olim notum fuerit in loco ubi nunc judex ille degit, modo communitas sit penitus immemor hujus impedimenti.

285. — Hæc omnes admittunt de errore facti, v. g. censuræ vel irregularitatis qua innodatur judex : si vero error communis versetur circa jus, non ita constat. Communior est opinio apud canonistas errorem juris clari et certi non prodesse, quod concludunt ex cap. *Dudum*, 54, de Electione, lib. I, in quo legitur sacerdotem qui simul duas parœcias tenuerat, non obstante jure, *damnabiliter decepisse animas incolarum*, egisse in *dispendium multarum* animarum; « cum « earum parœciarum cura, qua jam privatus fuerat, ipso jure « ad eum nullatenus pertineret. » Erat in illo casu titulus coloratus, et error communis contra jus certum a concilio Lateranensi IV statutum et idcirco animæ dicuntur deceptæ : attamen error ipsis non profuit; alias non diceretur ibidem hos incolas fuisse *miserabiliter deceptos* in *dispendium animarum*... Ergo Ecclesia non supplet defectum tituli in casu erroris circa jus indubium. Idem confirmatur decisione S. Rotæ quam refert Garcias in tract. *de Beneficiis*, part. V, cap. iv, n° 285. Agebatur de parochiali officio quod collatum fuerat a capitulo sede vacante, contra dispositionem juris, cap. ii, tit. Ne sede vacante, lib. III. Capitulum reputabatur habere jus nominandi ad parœcias, et parochus existimabatur valide provisus : orta subinde difficultate, parochus invocavit in sui favorem legem *Barbarius;* at responsum fuit non valere titulum, « quia error fuit valde supinus, cum habeat resi- « stentiam juris communis. »

Error circa jus obscurum et dubium probabiliter inservit et æquiparatur errori circa factum. Ita omnes probabilistæ qui existimant licitum fore jurisdictione probabili uti; ita

etiam plures antiprobabilistæ qui, aliis principiis innixi, in eamdem tamen sententiam veniunt. Auctoritas tot doctorum suppeditat motivum grave præsumendi disciplinam fuisse ita usu communi temperatam.

286. — II. Quoad titulum invalidum est controversia inter DD. Alii negant conferri jurisdictionem habenti titulum invalidum; quia titulus nullus nullum effectum producere potest. Ita præ cæteris Sanchez, n° 53. Alii affirmant; quia fideles non tenentur scire utrum formæ debitæ fuerint adimpletæ, sed merito præsumunt suos sacerdotes habere veram jurisdictionem, quando norunt illos recepisse titulum a superiore competenti. Ita Garcias, *de Beneficiis*, part. V, cap. IV, n. 291.

In re satis obscura de qua nulli exstant canones, hæc verisimiliora nobis sunt : 1° Defectus suppletur quoties nullitas tituli oritur a jure positivo, v. g. si titulus sit nullus ob simoniam, vel ob aliquod vitium occultum rescripti. Data fuit in hoc casu delegatio a superiore, providetur saluti fidelium, et non perturbatur ordo publicus per intrusionem. Ita plures tenent pro casu provisionis simoniacæ. (Pirhing, lib. II, tit. III, n° 84; De Lugo, *de Jure et Just.*, disput. XXXVII, n° 21.) 2° Si nullitas oriatur a jure naturali, v. g. si electio facta sit per minorem partem, si fraus fuerit in suffragiis, si per vim extorqueatur, etc., deficit titulus, et eodem modo ratiocinandum ac de titulo præsumpto, de quo dicendum nunc restat.

287. — III. Quoad titulum præsumptum, majus dubium est. Non pauci existimant Ecclesiam, hoc etiam in casu, supplere jurisdictionem, quod deducunt ex illius benignitate, ne error inculpabilis fiat multis fidelibus occasio ruinæ spiritualis. Hic applicari dicunt rationem legis *Barbarius*. Ita Schmalzgrueber, DE JUDICIIS, lib. II, n° 21, et cæteri quos citat S. Liguori, lib. VI, n° 572, qui hanc opinionem probabilem dicit. Alii, quorum opinionem idem S. Liguori

dicit communiorem, tenent minime sufficere errorem communem et consequenter invalida esse gesta judicis qui non habet titulum coloratum. Ita Sanchez, n° 49; Covarruvias, *Pract. quæst.*, cap. XIX, n° 9; Pirhing, DE JUDICIIS, lib. II, n° 84, « et « plurimi alii præcipui nominis interpretes et doctores, » ait Schmalzgrueber.

Opinionem communiorem, multum etiam probabiliorem esse putamus. Etenim, non aliter constare potest de jurisdictione quam per textus juris canonici, per decisiones Congregationum Romanarum, per opiniones doctorum, vel tandem per probatam consuetudinem : atqui 1° Textus juris unde eruitur jurisdictionem aliquando suppleri in absentia tituli legitimi, supponunt existere tamen titulum coloratum, interfuisse scilicet actum superioris jurisdictionem delegantis, uti expresse videtur in lege *Barbarius*. 2° Benedictus XIV refert velut *memoria dignissimum* atque *his quæstionibus* agitatis inter DD. *accommodatum*, responsum olim datum a sacra Congreg. anno 1682, circa tres sacerdotes capuccinos qui Patavii exceperant publice confessiones plurium personarum sæcularium, absque approbatione atque licentia Episcopi. Hi tres jura prætendebant ut possent excipere confessiones tempore jubilæi; primus, uti Gardianus et Prælatus regularis; alter, quatenus approbatus in aliena diœcesi; tertius demum, quia approbatus erat ab ipso Episcopo Patavino in alio loco diœcesis, ad annum licet jam elapsum. Erat error communis, etsi parochus loci hos regulares monuisset de eorum inhabilitate; alioquin non excepissent publice confessiones plurium sæcularium, nec Benedictus XIV retulisset hoc factum uti memoria dignissimum, et quæstionibus agitatis accommodatum. Sacra Congregatio respondit dictos sacerdotes excepisse confessiones « *invalide;* sed non esse « inquietandos illos qui bona fide confessi sunt : attamen si « ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessio- « nis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem. »

(*Inst.* LXXXIV, n° 22.) 3° Opinio canonistarum qui favent titulo præsumpto non sufficit ad testificandam voluntatem Ecclesiæ, cum ex parte adversa contrarium propugnent alii plurimi, et juxta S. Liguori communius. 4° Non suffragatur consuetudo; quomodo enim in hac materia et in tanta contrarietate opinionum inter DD. constare posset de consuetudine? Tanta est diversitas in praxi, quanta in sententiis moralistarum. 5° Tandem, ordo publicus obstat quominus in societate recte constituta, aliquis valide ullum ministerium impleat, qui nullam a superiore delegationem, aliumve titulum obtinuerit.

Hinc, qui in officio falsis litteris intruditur... qui jurisdictionem delegatam exercet ultra tempus assignatum... qui titulum a non superiore, vel a prælato quidem, sed extra limites sui juris, obtinet... caret probabiliter omni jurisdictione.

Attamen, cum versemur in re dubia, prudenter agendum ne perturbentur conscientiæ, et servanda est in praxi regula data a S. Congregatione, cujus responsum mox referebamus.

288. — IV° *Utrum uti valeant titulo colorato, vel invalido, qui privatim norunt illius defectum?*

I. Qui novit vitium sui tituli, potest nihilominus valide eo uti, non vero licite extra casum necessitatis, præsertim si defectus oriatur a causa sibi personali, v. g. a simonia quam commiserit, a censura in quam inciderit, ob irregularitates... Gesta sunt quidem valida, quia valor actuum non pendet a dispositione personali, ab errore seu ignorantia judicis relative ad suum titulum, sed ab ipso titulo quem jus commune voluit sufficere posse, in favorem societatis, posito errore communi. Sunt tamen illicita, quia lex noluit favere judici ei permittendo ut suo titulo, cujus vitium novit, utatur, sed solum communitati : ergo judex abstinere debet, extra casum necessitatis, quoties absque gravi incommodo potest, et

quam primum recurrere ad superiorem, ut reparetur defectus tituli.

II. Privati qui norunt defectum tituli superioris, possunt valide illius ministerio uti; quia jura non attendunt ad errorem unius aut alterius, sed ad errorem communem. Sicut error particularis non sufficit ut gesta hujus judicis valeant respectu ignorantium invincibiliter impedimentum, ita nec scientia alicujus particularis impedit quin gesta respectu ipsius valeant. Aliunde, leges non considerant quæ in casu particulari contingunt, sed communiter accidentia. An autem possint etiam licite recurrere ad judicis putativi ministerium, judicandum est ex circumstantiis. Possunt procul dubio, si urgeat aliqua necessitas, vel etiam si commode non possint alium adire; si autem suppetat facilitas alterum adeundi, abstinendum convenit ab officio hujus sacerdotis, præsertim si personali impedimento ligatur.

III. Quando potestas seu jurisdictio datur, sive in perpetuum sive ad tempus determinatum, et ante elapsum tempus a superiore revocatur, videtur superesse jurisdictionem ex præsumptione juris, quatenus superior censetur et censeri debet illam prorogare donec ipse revocationem patefecerit. Id postulant necessitas animarum et ratio sapientis regiminis. Pirhing, in tit. DE JUDICIIS, n° 84.

§ 2. — *De conditionibus requisitis ad adipiscendam jurisdictionem ordinariam.*

Conditiones requisitæ ut quis habeat jurisdictionem ordinariam sunt : status clericalis, idoneitas ad officium, atque hujus officii collatio per institutionem canonicam.

289. — I° *Utrum et quatenus requiratur status clericalis ad jurisdictionem ordinariam?*

I. Certum est lege universali Ecclesiæ prærequisitum esse

statum clericalem, juxta regulam fundatissimam juris : « Decernimus, ut laici ecclesiastica negotia tractare non præ« sumant. » Cap. *Decernimus*, 2, DE JUDICIIS, lib. II. Hanc legem ubique vigere declarat concilium Lateranense, cap. *Cum laicis*, 12, DE REBUS ECCL. ALIENAND., lib. III, quod sic incipit : « Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus Eccle« siæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet « necessitas, non auctoritas imperandi... » Ratio est quod societas religiosa in duas classes, ita disponente Christo, sit divisa, quarum una solum ad hierarchiam pertinet ; quamobrem nullatenus convenit ea quæ sunt jurisdictionis spiritualis committi laicis. (Cap. *In nona*, 22, caus. XVI, q. 7.)

In quali autem gradu status clericalis quis esse debeat constitutus, ut valeat obtinere jurisdictionem ordinariam, determinant sacri canones quoad Episcopos, parochos, canonicos cathedralium et abbates, ut suo loco dicemus.

II. Hæc tamen necessitas status clericalis non est adeo absoluta, ut ne auctoritate quidem S. Pontificis, aliquis laicus possit ullam habere jurisdictionem. Cum non a charactere sacramentali, sed a delegatione Ecclesiæ proveniat jurisdictio, quemadmodum supra explicatum fuit, posset Sancta Sedes recedere a jure communi, committendo personæ laicæ jurisdictionem ob causas peculiares. Exempla videbimus in discursu *de Statu religioso*.

290. — II° *Quæ dotes requirantur in clerico ut obtineat jurisdictionem ordinariam?*

I. « Cum in cunctis sacris ordinibus et ministeriis eccle« siasticis sint ætatis maturitas, gravitas morum, et scientia « requirendæ ; multo fortius in Episcopo hæc oportet re« quiri. » Verba sunt concilii Lateranensis III, cap. *in Cunctis*, 7, DE ELECTIONE, lib. I ; unde concludimus requiri in clerico promovendo : 1° ætatem a canonibus præscriptam ; 2° morum honestatem, quæ potissimum consistit in immunitate a censuris et irregularitatibus ; 3° scientiam competen-

tem. Qui his dotibus caret non potest valide promoveri ad officium, cui annectitur jurisdictio ordinaria; uti fusius exponetur in discursu *de Irregularitatibus* et *de Censuris*.

II. Hinc sequitur clericum qui promotus fuit non obstante impedimento, non posse officium exercere, nec beneficii fructus suos facere.

Id solum permittendum ut qui bona fide officium implevit ad nihil teneatur ratione fructuum quos consumpsit. Dignus est, ob suam bonam fidem, sustentatione pro labore cui incumbit. Si vero in mala fide versatus est, debet restituere omnes fructus; nullum siquidem habet jus eos retinendi, nec a suo titulo qui ex hypothesi invalide collatus fuit, nec a labore quem suscepit contra voluntatem Ecclesiæ.

Quidam putant hæc applicanda non esse statui præsenti Galliarum; quia, inquiunt, non supersunt beneficia, nec gubernium civile quod pensiones solvit ex ære publico, curat de dignitate ministrorum, dummodo adsit titulus externus. In eo falluntur; nam 1° pensiones solutæ a gubernio sunt fructus beneficiales, eo saltem sensu quod dentur clericis ob titulum canonicum quem obtinent et functiones huic titulo annexas; 2° gubernium dum, consequenter ad concordatus initos cum Sancta Sede, solvit pensiones ad subveniendum necessitatibus cultus divini, suam mentem conformare censetur menti Ecclesiæ, id est velle jus ad illas pensiones non acquisitum aliis esse, nisi qui adepti sunt titulum valide, juxta sanctiones legum canonicarum.

Ergo male provisus debet fructus restituere, nisi obtinuerit condonationem; eos restituet erogando pauperibus vel in alios pios usus impendendo.

291. — III. Qui vult reparare defectum sui tituli debet ante omnia obtinere dispensationem ab irregularitate, seu absolutionem a censura; quamdiu enim subsistet impedimentum, impossibilis est nova institutio. Necesse est, præterea, ut novam habeat promotionem, nisi tamen ipsi faveat

triennalis possessio juxta regulam XXXVI cancellariæ, quæ sic habet : « Si quis quæcumque beneficia, absque simo- « niaco ingressu, aut apostolica, aut ordinaria collatione, « aut electione, per triennium pacifice possederit, si se « non intruserit, super hujusmodi beneficiis molestari ne- « queat. »

Canonistæ communius tenent hanc regulam valere in foro interno, non secus ac in foro externo, sicut præscriptio, modo sit bona fides, titulus coloratus, et nulla intercesserit simonia. Pius IV, interrogatus a Germanis, respondit non suffragari possessionem triennalem absque titulo. Quod ad bonam fidem attinet, plures canonistæ dixerunt illam non requiri ut quis se tueatur coram tribunalibus; sed attendebant ad forum externum, non enim inquirebant quid fuerit necessarium ad præscribendum in conscientia, sed ad repellendum molestias apud judicem suscitatas. Obstat proinde præscriptioni vitium intrusionis quod cum bona fide non consociatur; obstat pariter simonia, etiamsi forte ab extraneo in favorem clerici sit commissa; non decebat enim illam prodesse ad adipiscendum jura ecclesiastica.

Riganti animadvertit regulam prædictam non habilitare incapacem, auferendo irregularitatem vel censuram; siquidem intentio SS. Pontificum non fuit ut indigni, quamdiu irretiuntur impedimento, se tueantur favore Bullæ; sed purgato defectu, regulam fingere provisum habilem fuisse a tempore provisionis, et habere vim litterarum *Perinde valere* quibus provisio, tametsi nulla ab initio, confirmatur, modo provisus capax devenerit eo tempore quo beneficium regulæ implorat. (Riganti, in *Regulam* XXXVI, n^is 12, 37, 93, 205.)

Quoad fructus perceptos ex beneficio, nulla videtur difficultas in casu quo regula cancellariæ obtinuerit; dum enim titulum convalidat, simul fructuum retentionem permittit. Si vero regula non applicetur, et clericus indigeat dispensatione ac nova provisione, debet adire S. Pontificem qui solus

dispensare valet a jure communi, vel dare litteras sanatorias in radice. Ita P. Thesaurus, *de Pœnis*, part. I, cap. XXXII, qui testatur id communiter observari. Benedictus XIV (Const. *Pastor bonus*, § 24) determinat casus pro quibus recurritur ad Pœnitentiariam vel Datariam[1].

292. — III° *Utrum inter clericos qui dotes requisitas habent, ille præ cæteris eligi debeat qui dignior est?*

Est obligatio gravis eligendi digniorem. Hoc assertum innititur jure naturali, decreto concilii Trid. et decisionibus Sedis Apostolicæ. 1° Jure nat. Qui provident electioni ministrorum, præcavere debent ne ex sua agendi ratione fideles et ipsa Ecclesia detrimentum grave patiantur : atqui si neglectis dignioribus promoveant minus dignos, gravi periculo exponunt fideles ; quia timendum est ne is qui videtur simpliciter dignus postea reperiatur indignus : si enim ipsimet digniores non semel deficiant a bono et experimento detegantur minus instructi dotibus quas opinabamur illos habere, quanto magis cæteri?... Plures insuper pereunt animæ quarum salutem procurasset minister majori zelo animatus, doctrina et prudentia ad officium præ cæteris idoneus... Ergo peccant qui, absque ulla necessitate, procurant electionem vel promotionem minus digni... 2° Concilium Trid. eamdem doctrinam inculcat cap. I, sess. XXIV : « Omnes et singulos qui ad pro- « motionem præficiendorum, quodcumque jus, quacumque « ratione, a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam « præstant... hortatur et monet ut in primis meminerint « nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius facere

[1] Quidam CC. subindicant aliam solutionem practicam in favorem beneficiati. Dicunt electum ad beneficium jus habere recipiendi fructus quos tempore vacantiæ beneficium produxit; beneficium autem censeri vacans quamdiu possidetur cum titulo invalido ; ergo, inquiunt, ex quo, sublata causa invaliditatis tituli, aliquis fit illius legitimus possessor, ad ipsum jure devolvantur fructus antea percepti, jus utique habebit illos retinendi.... Hæc solutio non satisfacit, quia regula citata applicatur solummodo beneficiis quæ fructus producunt tempore vacantiæ proprie dictæ.

« posse, quam si bonos pastores et Ecclesiæ gubernandæ ido-
« neos, promoveri studeant, eosque peccatis alienis commu-
« nicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ
« magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel hu-
« mano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum
« exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. » 3° Cum hoc decretum falsis interpretationibus a suo legitimo sensu quidam casuistæ detorquere tentavissent, Innocentius XI sequentem propositionem damnavit : « Cum dicit concilium eos
« peccare mortaliter, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis
« utiles judicaverint, ad ecclesias promovent, concilium, vel
« primo per hoc *digniores* videtur non aliud significare nisi
« dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo;
« vel secundo, locutione minus propria, ponit digniores ut
« excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit con-
« cursus. » (PP. 47ª inter *pp. proscriptas*, decreto an. 1679.)

Tametsi concilium in allato textu loquatur de promovendis ad episcopatum, censent communiter DD. applicandum esse decretum aliis officiis propter paritatem rationum; unde concludunt peccare mortaliter qui ad prælaturas et ad parochias assumunt minus dignos, quod etiam extendunt ad officia minora [1].

293. — IV° *Quid sit officium cui annectitur jurisdictio ordinaria, et a quo conferri debeat, ut sit canonica institutio ?*

I. Officium est munus auctoritate publica constitutum, quod dignitatem, vel jurisdictionem, præeminentiam, aut aliquam administrationem confert et simul obligationes imponit in ordine spirituali.

Officium multiplex distinguitur, tum ratione originis, tum ratione jurium et obligationum. 1° Ratione *originis*. Aliud est divina ordinatione constitutum, ut officium S. Pontificis

[1] Cf. D. Viva, in *Theses damnatas*, Prop. XLVII, n° 9. — S. Liguori, lib. IV, nis 91, 92.

et Episcoporum ; aliud jure humano constitutum, ut officium Metropolitanorum, parochorum, etc. Insuper, ratione originis, alia sunt quæ ab aliis derivantur jam constitutis, ut officium vicarii generalis, et alia quæ per se subsistunt, nec fuere instituta ad aliorum partem sustinendam. 2° Ratione *jurium et obligationum*, distinguitur officium duplex et simplex, prout habet aut non habet annexam curam animarum. Quædam tamen officia recensentur inter duplicia, pro sua excellentia, uti canonicatus ecclesiæ cathedralis, quamvis non habeant curam animarum.

Ad S. Pontificem attinet instituere officia publica; non enim aliter debent creari officia quibus præsertim inhæret jus regendi fideles, quam ab eo qui summam curam communitatis gerit, ut efficacius servetur unitas. Aliunde potestas ordinaria quam officium confert protenditur ubivis locorum in subditos, saltem in foro voluntario ; hæc autem jura solus S. Pontifex statuere valet.

Officium communiter confertur in perpetuum, et annexum habet bonum temporale, ut provideatur sustentationi clerici qui illud obtinuit. Hæc tamen perpetuitas, et annexio boni temporalis, non sunt de essentia officii ecclesiastici. Sunt officia quædam derivata et vicaria quæ non conferuntur in perpetuum; sunt insuper plura officia apud regulares quæ ad nutum prælati superioris possunt revocari. Quoad vero beneficium temporale, licet sit in votis Ecclesiæ ut qui obeunt munus publicum habeant certos proventus, suæ honestæ sustentationi accommodatos, possunt tamen constitui officia independenter ab illa dotatione.

II. Officium, sive jure divino fuerit constitutum, sive jure humano erectum, conferri necesse est clerico per institutionem canonicam, ut vere adipiscatur jurisdictionem huic officio annexam, siquidem, juxta principium consignatum in capite primo Regularum juris, *beneficium ecclesiasticum non potest sine institutione canonica possideri ;* in VI°. Sola erec-

tio officii non sufficit, ut qui illud actu possidet, sit reapse delegatus ab Ecclesia, nisi insuper fuerit ad illud promotus juxta regulas quas eadem auctoritas sancivit.

Diversimode fieri potest institutio, nimirum ab *homine* vel a *jure*. Fit ab homine quando superior actu speciali clericum promovet ad officium. Hæc collatio dicitur *libera*, si superior pro suo arbitrio eligere valeat quem ipse idoneum repererit. Dicitur *necessaria*, quando superior tenetur, vi concordatorum seu dispositionum juris, dare institutionem canonicam iis qui fuerint a capitulo vel a patronis præsentati, modo tamen reperiantur idonei.

Institutio fit a jure, quando, peracta electione, electus potest immediate exercere officium ad quod vocatur votis suffragantium, quin necesse sit ut ad superiorem recurrat. Hoc modo eliguntur Prælati quorumdam ordinum religiosorum, vicarii capitulorum cathedralium, sede vacante. Cum jus commune approbaverit hanc rationem agendi, confert electis jura necessaria ad officium eo ipso quod electio debite celebrata fuit.

Ad hunc modum aliquatenus pertinere videtur collatio quæ vocatur *laicalis*, quæ locum habet ubi, id jure permittente, laicus confert quædam officia cum beneficio, nulla habita electione canonica. Hoc fuit satis frequentatum in multis regionibus quarum domini temporales potiebantur privilegio conferendi directe quædam beneficia. Sola quidem ecclesiastica potestas valet dare jurisdictionem et officium quodvis in ordine spirituali; sed nihil obstat quominus laicis committat prærogativam conferendi officium simplex per collationem beneficii; laici enim, hoc in casu, non suo, sed Ecclesiæ nomine agunt, jure sibi ab ea concesso [1].

Ecclesia summa cura invigilavit ut collatio laicalis non ver-

[1] *Mémoires du Clergé*, tom. XII, pag. 11 et suiv. — Gohard, *Traité des Bénéfices*, tom. II, pag. 664-673.

geret in detrimentum disciplinæ, libertatis canonicæ, imo etiam fidei, quod pertimescendum erat, si principes usurparent jus conferendi beneficia præter casum concessionis legitimæ, et si hoc modo conferrent quo videretur jurisdictionem spiritualem ab eis procedere, sicuti jura temporalia. Hinc olim orta sunt gravia dissidia inter Sanctam Sedem et regiam Potestatem in Gallia et Germania, occasione juris *Regaliæ* et *Investiturarum*, de quibus abs re non erit nonnulla notare.

294. — *Jus Regaliæ* quod olim reges Franciæ sibi vindicabant, complectebatur administrationem temporalem bonorum beneficii vacantis; et, sede episcopali vacante, collationem omnium beneficiorum quæ Episcopi conferre ipsi consueverant, exceptis parochiis. Jus illud extendebatur ad episcopatus, abbatias, prioratus conventuales et ad alia generatim beneficia quæ erant nominationis regiæ.

Perantiqua est quidem in Galliis praxis Regaliæ; hanc sanctus Ludovicus exercebat more suorum prædecessorum, sine ulla reclamatione; imo non semel SS. Pontifices declaraverunt suæ intentionis non esse præjudicium afferre juribus Regaliæ quibus, firmata sæculorum consuetudine, Principes utebantur. Verum, Sancta Sedes nolebat hæc jura usurpari ab auctoritate regia ; unde Bonifacius VIII scribebat ad regem Philippum : « Ad te hujusmodi Ecclesiæ dignitatum, perso« natuum, canonicatuum, beneficiorum et præbendarum col« latio non potest pertinere, nec perpetuam collationem « alicui acquiri, sine auctoritate vel consensu Sedis Aposto« licæ, tacitis aut expressis [1]. »

Porro, abusus eo devenerat ut beneficia, etiam quibus an-

[1] Gohard, tom. II, pag. 614; tom. VI, pag. 212-215;—*Mémoires du Clergé*, tom. XI, pag. 179-241.— Concilium Lugdunense II (canone 12) non abstulit Regalia iis « qui ab ipsarum Ecclesiarum fundatione, vel ex antiqua « consuetudine jura hujusmodi sibi vindicant, » modo ab illorum abusu se abstinerent; sed universis interdixit, quantacumque dignitate præfulgerent, ne de novo regalia usurpare conentur (anno 1274). Labbe, tom. XI, col. 982.

nectebatur jurisdictio, conferebantur a Principe, absque ullo examine prævio de idoneitate promovendorum. Insuper, sub Ludovico XIV, Regalia extensa fuit per edictum regium ad plures Ecclesias regni quæ hactenus non fuerant huic juri obnoxiæ. Quidam Episcopi reclamaverunt et obstiterunt; unde conflictus exarsit inter pastores et magistratus sæculares. Rex cuncta componere tentavit novo edicto quo statuebat ut clerici omnes quibus contulisset beneficium curam animarum annexam habens, tenerentur se sistere coram superioribus ecclesiasticis ad subeundum examen de sua idoneitate, antequam se in beneficium ingererent. Hoc edictum auferebat quidem gravem abusum, sed remanebat jus prætensum majestaticum cui Ecclesia suffragari non poterat; et idcirco Innocentius XI condemnavit edicta regia circa extensionem Regaliæ.

295. — *Investituræ* iisdem, et etiam majoribus, querelis locum dederunt, quia gravius periclitabatur disciplina; Principes Germani sub obtentu investituræ disponebant pro nutu de episcopatibus et abbatiis.

Investitura dicebatur usus tradendi electo ad beneficium, annulum et baculum pastorale, in signum possessionis beneficii.

Origo investiturarum hæc fuit. Cum Principes Ecclesiis dedissent non solum prædia, domus, terras, sed etiam feuda, voluerunt hæc feuda iisdem conditionibus teneri ac feuda laicalia, quorum possessionem electi non habebant nisi præstito prius *hominio* et juramento fidelitatis. Tunc temporis mos erat ut transferretur feudum per signum quoddam indicativum juris, et hoc vocabatur *Investitura*. « Dès que les « princes, *ait auctor recens*, eurent doté les évêchés et les « abbayes en leur assignant des fiefs, ils réclamèrent le droit « d'investir les prélats du temporel de leurs évêchés ou de « leurs abbayes, comme ils avaient eu auparavant la coutume « d'investir les laïques. Les fiefs ecclésiastiques suivirent

« cet égard la loi des fiefs séculiers, en sorte que les évêques « et les abbés, comme les autres seigneurs, ne pouvaient en- « trer en possession de leurs fiefs qu'après avoir reçu l'in- « vestiture du prince. » (*Pouvoir du Pape au moyen âge*, p. 684.)

SS. Pontifices non denegarunt jus Principum circa investituras more sæcularium, sed condemnabant modum quo hæc investitura fiebat, traditione baculi et annuli pastoralis, et simul abusum cui locum dabat illa traditio. Cum baculus et annulus sint insignia jurisdictionis spiritualis pastorum, timendum erat ne paulatim eà opinio in populorum animis induceretur jurisdictionem spiritualem dari a Principe. Aliunde sub prætextu investituræ opprimebatur libertas electionum. Mortuo titulari, illius baculum pastorale illico deferebatur ad Principem, nec ulli electo licitum erat sedis episcopalis possessionem capere, nec in Episcopum consecrari, nisi prius baculum a Principe recepisset. Hinc pluries evenit possessionem dignitatum ecclesiasticarum pacto simoniaco fœdari atque indignos promoveri, qui non electione libera sed favore Principum assumebantur.

Post multas diuturnasque tempestates quibus graviter exagitatæ sunt Ecclesiæ, concilium Lateranense I, initio sæculi XII habitum, pacem composuit inter Sanctam Sedem et imperium Germanicum his conditionibus : 1° Imperator dimisit investituras per annulum et baculum, ac simul promisit se plenam relicturum libertatem electoribus in nominatione prælatorum; 2° Sancta Sedes vicissim concessit ut Imperator, per se vel per legatos, præsens adesset electionibus intra suæ ditionis fines celebrandis; et ut electus acciperet ab Imperatore per sceptrum regalia, id est possessionem temporalem beneficii. Conventio signata est per modum concordatus ab utraque parte [1].

[1] Labbe, *Collect. conc.*, tom. X, col. 901.

Inde concludas querelas de Investituris agitatas fuisse pro re omnium gravissima; agebatur quippe de libertate Ecclesiarum.

§ 3. *De adeptione jurisdictionis delegatæ.*

Delegatio quid sit supra diximus. Duplici modo fit : *a jure* vel *ab homine*. Exponendum venit quis delegare possit, quodnam sit objectum delegationis, et quibus jurisdictio demandari possit per delegationem. Harum quæstionum solutio educitur ab ipsamet natura jurisdictionis delegatæ et a principiis generalibus juris.

296. — I° *Quis delegare valeat?*

Præter superiorem qui ordinaria jurisdictione pollet, potest subdelegare :

1° Delegatus a S. Pontifice, nisi causa sit ipsi personaliter commissa.

Ita communiter canonistæ quod probant 1° ex pluribus textibus juris qui supponunt, sine ulla restrictione, delegatis a Sancta Sede inesse facultatem subdelegandi. Citare satis erit cap. *Quoniam, 43,* DE OFFICIO JUDICIS DELEGATI, lib. I, ubi dicitur : « quoniam Apostolica Sedes intendit providere nego-« tiis et non personis quibus eadem committuntur, si judex « tertius, licet ex officio nostro, vel de assensu partium pro « communi utilitate a nobis datus eisdem, alii delegaverit « vices suas, *cum delegato a Principe id concedatur a jure,* « delegatio valebit ipsius. » 2° Ex eodem textu deducitur ratio hujus dispositionis generalis juris, nimirum quod Sedes Apostolica dum negotia alicui committit, horum negotiorum promptæ executioni, magis quam personis quibus mandantur, providet; quapropter, ne ob varia delegatorum impedimenta, causæ diutius protrahantur, permittit suis delegatis ut alias personas discretas ipsi subdelegent... Hoc aliunde

convenit dignitati delegati a Principe, qui æquiparatur judici ordinario.

Olim disputatum fuit an idem dici debeat de delegato a sacris Congregationibus. Ferraris testatur, re coram S. Congregatione Concilii discussa, responsum fuisse affirmative (v° *Delegatus*, versus finem).

2° Delegatus ab inferiore judice, puta ab Episcopo, subdelegare potest in duplici casu : 1° si sit delegatus ad universitatem causarum; 2° si expressam habuerit ad hoc facultatem ab Ordinario.

Et quidem si delegatus sit ad universitatem causarum, si nempe vel omnes generatim causæ, vel unum genus causarum, v. g. matrimonialium, ipsi committantur, subdelegare poterit ad casus particulares. Id non exprimitur in jure, sed fundatum dicunt canonistæ constanti universalique consuetudine[1].

Si delegatus sit ad causam particularem, non potest generatim subdelegare, ut dicitur in cap. *Cum causam*, 62, DE APPELLATIONIBUS, lib. II : « Nonnisi delegatus a Principe, causam alii valet delegare. » Si tamen superior ordinarius voluerit, potest ipsi dare hanc facultatem, dummodo suam ea de re intentionem exprimat. Nec timendum est quod exinde subdelegatio in infinitum protrahatur, quia Ordinarius non dabit delegatis suis jus in infinitum iterum subdelegandi... Cæterum, ut præcidantur difficultates, canonistæ animadvertunt opportunum fore, casu occurrente, ut subdelegatus non suo, nec proxime delegantis nomine, procedat, sed nomine judicis ordinarii qui censetur dedisse suo delegato curam designandi personam quæ suum officium impleat. (Viestner, n° 24.) Hinc fit ut appelletur a subdelegato ad judicem ordinarium immediatum.

[1] Viestner, n° 20; Reiffenstuel, 58-62; Schmalzgrueber, 11, in titulum DE OFF. JUD. DELEGATI.

297. — II° *Quinam delegari possint?*

Hi omnes generatim delegari possunt, qui nec natura nec lege impediuntur. Natura impediuntur solum qui privantur usu rationis; quod nulla explicatione indiget. Lex excludit laicos, excommunicatos, et, juxta plures, irregulares.

De laicis diximus supra (n° 289). Canones qui vetant ne illis causæ aut negotia mere ecclesiastica demandentur, de omni jurisdictione delegata, non secus ac ordinaria, intelligi debent; unde nisi S. Pontifex ab hac regula generali recedere permiserit, Episcopi aliive prælati inferiores abstinere tenentur a laicorum ministerio, pro exercitio cujusvis jurisdictionis.

Quoad excommunicatos hæc animadvertit Suarez : Excommunicatus fit extra communionem ecclesiasticam; effectus siquidem hujus censuræ est aliquem separare a gremio Ecclesiæ : assumptio autem ad quamlibet dignitatem, seu ad exercitium jurisdictionis, est communicatio ecclesiastica; ergo excommunicatus est illius incapax... Præterea prohibito exercitio alicujus actus, prohibetur consequenter id per quod pervenitur ad hunc actum; unde Ecclesia quæ interdixit excommunicatis omne exercitium jurisdictionis, obstat quin illis conferatur jurisdictio delegata. (Argument. ex cap. *Postulasti*, 7, *Si celebret*, 10, de Clerico excom., lib. V.) Quamvis in his textibus agatur de jurisdictione ordinaria, Pontifex resolvit casus propositos vi principii ad delegatam applicabilis. (Suarez, *de Censuris*, disp. xxvi, sect. ii, n° 2.) Idem dicendum videtur de interdicto et de suspenso, quos Ecclesia vult etiam removere ab exercitio jurisdictionis. Ita etiam Suarez, qui tamen cum aliqua hæsitatione loquitur, disp. xxxiii, sect. 1, n° 19.

De irregularibus non ita constat. Nullum canonem novimus quo interdicatur illis committere aliquam delegationem, modo munus commissum non includat exercitium ordinis sacri; aliunde, irregularitas per se, attenta natura rerum,

non repugnat exercitio jurisdictionis, ut dicetur in IVa parte; ergo valet delegatio facta irregularibus.

298. Extranei neutiquam tenentur acceptare delegationem, siquidem non subduntur imperio delegantis; si tamen illam acceptaverint, tenentur munere sibi commisso fungi usque ad finem negotii, quia sponte se subjecerunt, quoad hanc partem, jurisdictioni Episcopi. (Wiestner, nº 41.)

299. — IIIº *Quid delegari possit?*

I. Certum est superiorem ordinarium non posse totam suam auctoritatem alteri committere; hoc esset alium similem sui ordinarium facere, quod nulli datur : quando igitur superior declarat se cuncta sua jura alicui demandare, hæc intelligenda sunt cum restrictione, habita ratione circumstantiarum. Potest autem generatim delegare omnes causas et negotia quæ ad suam jurisdictionem pertinent, modo non obstet jus divinum vel humanum.

Hinc S. Pontifex delegare potest quaslibet causas, nec alia limitatione restringitur quam jure divino.

Hinc Episcopus delegare potest omnem functionem sui officii, tum ordinis, tum jurisdictionis, modo non obstet jus humanum. Idcirco non posset delegare sacerdotem ad conferendum sacramentum confirmationis, nec ad conficiendum sanctum oleum, ad consecrandum ecclesiam, etc., quia hujusmodi delegationes jure canonico reservantur S. Pontifici.

Hinc delegatus sive a Papa, sive ab Episcopo, potest subdelegare causas sibi commissas, sensu quem supra dicebamus, nisi causa sit ei commissa personaliter ob propriam industriam vel dignitatem, aut nisi agatur de nudo ministerio.

II. Cap. *Quoniam* supra citatum facultatem subdelegandi restringit in duplici casu :

1º Si quis delegatus sit ob personalem industriam. Quandonam superior elegerit fidem et industriam personalem delegati, discernitur ex verbis mandati, ex causarum gravitate, et

recepta consuetudine. Verba hæc *tuæ discretioni committimus*, si sola sint, non videntur indicare ablatam facultatem subdelegandi; siquidem in plerisque rescriptis, etiam ad personas ignotas directis, reperiuntur : sunt commonitoria, potius quam limitatoria juris delegati.

2° Si delegato committatur nudum ministerium, ut fertur in capite *Quoniam :* « Cæterum nulli cui commissum « fuerit prædicare crucem, excommunicare vel absolvere « aliquos, dispensare cum irregularibus vel injungere pœni- « tentias, liceat hæc aliis demandare, quia non sibi juris- « dictio, sed certum ministerium potius committitur in hac « parte. »

Ut plenius intelligatur hæc restrictio, observandum est duo generatim requiri in causis ecclesiasticis : 1° *informationem* unde cognoscatur an res agenda sit, an non : quæ quidem informatio fit vel extrajudicialiter vel judicialiter, prout id exigit natura rei; 2° *executionem*, seu actum quo gratia vel pœna, etc., applicatur ad subjectum. Informatio autem pertinet ad jurisdictionem sive voluntariam, sive contentiosam, et executio censetur in jure *nudum ministerium*. Exhinc intelligitur cur in pluribus causis delegatus possit alteri committere jurisdictionem, non vero nudum ministerium. In exercitio enim jurisdictionis procedendum est secundum leges publicas, ideoque ordinarie parvi refert quisnam judex constituatur, dummodo legum peritus sit, ac moribus integer. At in nudo ministerio, seu executione, magis requiritur prudentia et præsertim auctoritas personæ; ideoque Princeps sæpius censendus est eam specialiter elegisse, et nolle ut alter delegatus ei quem elegit substituatur.

Hinc confessarii qui habent a S. Pontifice facultates generales absolvendi a censuris, dispensandi a votis vel ea commutandi, nequeunt eas alteri delegare, etiam ad casum particularem... Officialis diœcesanus cui commissa est a S. Sede fulminatio alicujus dispensationis matrimonialis, non potest

eam exsequi per alium... Episcopi non possunt subdelegare facultates et negotia quæ pro casu particulari fuerint ipsis commissa a Sancta Sede, sive propter personalem dotem, sive ut certum ministerium. Si vero privilegia, vel facultates, ipsis dentur indulto apostolico in perpetuum, hæc subdelegari possunt, quia talis concessio facta in perpetuum transit aliquatenus in potestatem seu jurisdictionem ordinariam; ea autem quæ jure ordinario alicui competunt, possunt generaliter delegari. In his non præsumitur electa industria personæ, quandoquidem potestas ad successores, id est ad ignotas personas, transit... Excipe tamen si ex privilegii concessione appareat hanc specialiter factam personæ prælatorum, adeo ut mens superioris sit eos per seipsos negotium agere debere, vel nonnisi speciali subdelegatione alteri discreto viro committere[1].

300. — IV° *Quæ sint delegationes a jure?*

Plures sunt delegationes *a jure*, quarum nonnullas tantum referemus exempli causa, ut data occasione principia quæ in harum delegatione sequi oporteat referamus :

1° Omnibus presbyteris tribuitur a jure facultas audiendi confessiones moribundorum et eos absolvendi; hæc delegatio fit pro casu necessitatis, deficiente nimirum sacerdote approbato.

2° Omnibus Episcopis datur facultas, sive constitutionibus pontificiis, sive decretis conc. Tridentini, multa peragendi tanquam delegatis Sanctæ Sedis. Aliquando statuitur simpliciter illos, casu occurrente, acturos *tanquam* delegatos; aliquando autem conceditur, ut agere valeant *etiam tanquam* delegati, quæ duo non sunt confundenda. In priori casu non aliter procedere potest Episcopus quam vi delegationis; dum in secundo, habet, pro arbitrio, facultatem agendi proprio nomine, vel nomine S. Pontificis.

[1] Schmalzgrueber, n° 25. — Sanchez, lib. II, disput. XL, n° 14.

Illæ clausulæ locum dederunt controversiis non solum in Galliis sed et apud extraneos, ut videre est in tractatu quem Barbosa edidit *de Officio Episcopi*, allegat. XCII, nº 2. Multi existimaverunt has facultates in perpetuum datas Episcopis dicendas esse ordinarias potius quam delegatas; eo magis, juxta illos, quod pro objecto habeant materias quæ primitus erant sub jurisdictione episcopali et ad illam naturaliter pertinent. His theologis non assentimur; siquidem concilium facultates de quibus agitur Episcopis committit, non nude ac simpliciter, sed tanquam delegatis a Sancta Sede. Sub aliquo quidem respectu, quoad jus nimirum subdelegandi, jurisdictio data in perpetuum potest æquiparari ordinariæ, ut modo dicebamus; sed proprie loquendo, non est talis; procedit enim a commissione et alterius nomine exercetur.

Errant proinde qui dicunt decreta memorata esse mere *excitativa*, non *attributiva* juris inhærentis naturaliter potestati episcopali. Dato etiam quod jura, quæ in disceptationem veniunt, fuerint olim propria Episcoporum, ea nihilominus amiserunt interveniente reservatione; ergo si eadem jura Sancta Sedes iterum committat nuda delegatione, Episcopi ea non habent alio titulo.

Ex illo principio concludetur in IVª parte, ubi *de Iudiciis*, non dari appellationem ab Episcopo ad Metropolitanum, pro sententiis quas tulit tanquam delegatus Sanctæ Sedis.

301. — Notandum superest, quoad usum jurisdictionis delegatæ, delegatum eo modo mandatum exsequi debere quo sufficienter indicetur rem peragi auctoritate superioris; quod etiam ad validitatem actus requiritur, quando superior illud verbis absolutis uti conditionem indulti requirit.

Jura permiscentur, atque inducitur confusio in societate, si judices inferiores videantur agere suo nomine, jureque proprio, dum vices supplent superioris, delegatione ab eo accepta. Insuper non sufficienter constabit de validitate actus, si forte causa fuerit deinceps adducta ad forum externum.

Hæc cavere sedulo debent præsertim vicarii generales Episcoporum in iis quæ requirunt mandatum speciale ab Episcopo, et commissarii Apostolici. Hinc SS. Pontifices consueverunt præscribere in nonnullis causis majoris momenti, ut exprimatur in ipso actu concessionis gratiam dari ex auctoritate S. Sedis. In indulto v. g. facultatum pro dispensationibus matrimonialibus quas ad quinquennium Episcopi obtinent, hæc clausula inseritur : « In hujusmodi dispensationibus declare-« tur expresse illas concedi tanquam a Sedis Apostolicæ de-« legato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum « inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint con-« cessæ. »

CONSECTARIUM III. — DE RESTRICTIONIBUS ET AMISSIONE POTESTATIS JURISDICTIONALIS.

Aliud consectarium constitutionis divinæ Ecclesiæ est jurisdictionem quamlibet, ordinariam vel delegatam, exerceri non posse nisi intra limites præfixos ab auctoritate publica : quod ut melius exponatur, pauca dicenda supersunt de restrictionibus et amissione potestatis jurisdictionalis.

§ 1. *De restrictione jurisdictionis.*

302. — I° *Quotuplici modo restringi possit jurisdictio?* De jurisdictione delegata nulla est difficultas; cuique enim obvium est delegatum nihil valide operari quando agit extra limites sui mandati.

Jurisdictio ipsa ordinaria multiplici modo potest restringi, scilicet : per reservationem, per exemptionem, et per relationem ad superiorem. 1° Per *reservationem,* quando jurisdictioni ordinariæ subducitur aliqua materia; v. g. si superior sibi exclusive attribuat facultatem absolvendi a tali peccato,

vel dispensandi super tali voto, aliudve hujus generis. 2° Per *exemptionem* certæ personæ, vel loci, ut immediate a prælato superiori pendeat, ut factum dicemus in decursu, ubi de regularibus agendum erit. 3° Per *relationem* ad superiorem, et per canonicam appellationem, qua etiam ligatur et quodammodo suspenditur jurisdictio judicis immediati usquedum sublatum sit impedimentum.

Non est in præsenti locus exponendi regulas canonicas circa reservationem, exemptionem, appellationem : hæc suo loco opportunius tractabuntur. Annotare sufficiat principium vi cujus hæ restrictiones seu suspensiones jurisdictionis fiunt, inhærere formæ constitutivæ Ecclesiæ. Admisso semel quod in societate sit potestas distributa per gradus, et jurisdictiones inferiores a superioribus dependeant, sequitur primum hierarcham posse, intuitu boni publici, causas seu reales seu personales quasdam sibi reservare, illas subducendo jurisdictioni prælatorum inferiorum; et vicissim istos prælatos posse, pari jure, nonnulla etiam sibi reservare, restringendo facultates ordinariorum sibi subditorum, qui humiliorem jurisdictionem obtinent.

Idem dicendum de relationibus causarum, et de exemptionibus.

303. — Provida SS. Pontificum sapientia invigilat ne nimium extendantur hujusmodi exemptiones, et ne jurisdictio ordinaria cohibeatur restrictionibus quæ non vergerent in majus bonum Ecclesiarum. Quoties ad suam supremam Sedem quærimoniæ, hac in materia, pervenerunt ex parte Episcoporum, omnia componi voluere in sensu jurisdictioni Episcopali favorabiliori; modo nihil inde detrimenti paterentur instituta publica. « Regimini Ecclesiæ universalis præsi-
« dentes, dixit Leo X in concilio Lateranensi V, juxta pastoralis
« officii debitum libenter intendimus utilitatibus subditorum,
« et ad conservandam libertatem Ecclesiarum et removenda
« scandala, ponendam concordiam, et nutriendam quietem

« inter Prælatos et eorum subditos... necnon indulta pariter « et privilegia eisdem subditis in ipsorum Prælatorum dispen- « dium, tam per prædecessores nostros, quam per Sedem Apo- « stolicam concessa, ita libenter moderamur ne exinde scan- « dala procedant, neve ex eis ulli detur materia malignandi, « et personæ ecclesiasticæ a bono obedientiæ, necnon a divini « perseverantia servitii nullatenus retrahantur... Exemptiones « autem de cætero absque rationabili causa, et quorum in- « terest minime citatis, pro tempore concessas, nullius ro- « boris et momenti esse decernimus. Et cum ecclesiasticus « ordo confundatur, si sua cuique jurisdictio non servetur, « ordinariorum jurisdictioni, quantum cum Deo possumus, « favere satagentes, statuimus et ordinamus[1]... » Ad hunc finem attingendum sublata sunt, aut saltem moderata, in concilio Tridentino plura privilegia ordinum regularium, et capitulorum, uti suo loco dicetur.

Cum ea sit mens Ecclesiæ, nemo præsumere debet improbare disciplinam canonicam circa reservationes aut exemptiones : sed curandum est Prælatis ne causas sibi sublatas prætendant; quidquid enim agere eniterentur in contrarium, frustraneum foret ob defectum potestatis.

Non minus necessarium est cuique superiori, in quovis gradu ita disponente Providentia collocetur, sua uti jurisdictione conformiter ad jus commune et mandata auctoritatis superioris. Omnis subverteretur ordo et disciplina penitus collaberetur si hæc spernerentur; dum e contra si omnes qui aliqua dignitate præcellunt, sua jura non pro arbitrio et nutu, sed obsequendo legibus et imperio hierarchæ superioris, explicant, cuncta ordinate componuntur, atque illæsæ custodiuntur singulorum prærogativæ, in bonum totius Ecclesiæ. « Qui ergo scit se quibusdam esse præpositum, ait S. Leo, « non moleste ferat aliquem esse sibi præpositum, sed obe-

[1] Labbe, *Collect. conc.*, tom. XIV, col. 252, sessione Xª concilii.

« dientiam quam exigit, ipse etiam dependat. » S. autem Gregorius : « Ad hoc dispensationis divinæ provisio gradus « diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reve- « rentiam minores potioribus exhiberent, et potiores mino- « ribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex « diversitate contextio, et recte officiorum gereretur admini- « stratio singulorum[1]. »

§ 2. *De amissione jurisdictionis ordinariæ.*

504. — II° *Quotuplici modo cesset jurisdictio ordinaria?*

Jurisdictio ordinaria multiplici causa cessare potest, nempe: renuntiatione, assecutione beneficii incompatibilis, professione vitæ religiosæ, depositione juridica, crimine privationem ipso jure inducente, revocatione a superiore facta, si jurisdictio annexa sit beneficio manuali[2].

I. Renuntiatione, modo duæ conditiones conveniant, nimirum quod spontanea cessione quis dimiserit officium, et superior renuntiationem tacite saltem acceptaverit, uti explicatum fuit in discursu de Episcopis (n° 194). Demissio obtenta vi, dolo, metu, coactione, effectum producere non debet: qui ad cessionem officii invitus adductus fuerit, jure potest ad superiorem appellare ut reintegretur. Aliunde, quantumvis spontanea supponatur renuntiatio, necesse omnino est ut acceptetur a superiore. « Resignare proprie, ait merito Leurennius, non consistit in sola voluntate beneficiarii, sed simul « ad Prælatum spectat, cujus est, ponderatis omnibus, inspi- « cere utilene sit Ecclesiæ demissionem admittere an repu- « diare. » (Quæst. 234, n° 6.) Hoc requirit ratio ordinis publici in societate servanda. Hinc Alexander III Episcopo

[1] Sanctus Leo, ep. ad Anastasium Thessalonicensem. Sanctus Gregorius, *Epist.*, lib. V, epist. LIV.

[2] Leurennius, *Forum beneficiale*, tom. II, sect. I.

Tornacensi scribebat : « Universis personis tui Episcopatus « sub districtione prohibeas ne Ecclesias tuæ diœcesis ad « ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare « audeant, aut detinere, aut dimittere, te inconsulto. Quod « si quis contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, in « eum canonicam exerceas ultionem. » Cap. *Admonet*, 4, DE RENUNTIATIONE, lib. 1 Decret.

Nota. S. Pontifex potest abdicare, uti definitum fuit a S. Cœlestino, cap. *Quoniam*, I, DE RENUNTIATIONE, lib. I, in VI°; cum Papa vero non habeat superiorem, hæc renuntiatio effectum suum ipso facto operatur.

II. ADEPTIONE BENEFICII INCOMPATIBILIS, vel professione vitæ religiosæ. Regulariter incompatibilia sunt duo beneficia curam animarum habentia, etiamsi in eadem civitate; item, ipsa natura rerum, beneficia quæ residentiam personalem exigunt, si in locis diversis consistant. Quoad professionem vitæ religiosæ, notare est officium non vacare per novitiatum, sed per emissionem votorum qua novitius in statum religiosum admittitur : de hac utraque causa amissionis jurisdictionis alibi tractabimus.

III. DEPOSITIONE JURIDICA. Juxta legem generalem quæ a pluribus sæculis prævaluit, officia quibus annexa est jurisdictio ordinaria conferuntur in perpetuum, nonnullis exceptis. Constituto autem hoc jure, quod privilegium irrevocabilitatis includit, sequitur clericum suo titulo non aliter privari posse quam per judicium canonicum, nisi aut sponte cesserit, vel adeptus sit statum cum hoc titulo incompatibilem, vel tandem inciderit in graviora crimina quæ pleno jure privant jurisdictione, ut mox dicetur. Eo sensu Alexander III olim scripsit ad Cantuariensem Archiepiscopum : « Conquerente nobis Renaldo « clerico accepimus quod ipsum Ecclesia de Wefort sine ju- « dicio spoliasti. Quia vero jam non decet honestatem tuam « clericos tuæ jurisdictionis sine manifesta causa et rationa- « bili suis beneficiis spoliare; mandamus quatenus si ita est,

« prædicto clerico præfatam Ecclesiam, cum redditibus inde « perceptis, restituas. Restitutione autem facta, si quid ad- « versus eum super præscripta Ecclesia proponere volueris, « coram Exon. Episcopo delegato a nobis per te vel per suf- « ficientem responsalem tuum, cum eodem ordine judiciario « poteris experiri. » Cap. *Conquerente*, 7, DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM, lib. II. Duo igitur requiruntur ut quis, extra casus supra memoratos, amittat jurisdictionem ordinariam; nimirum intercedere debent causæ graves rite probatæ, et servandus est ordo judiciarius, de quo in IVª parte.

Alia est conditio officiorum quæ *manualia* nuncupantur, id est ad nutum revocabilium, quale est apud nos officium succursalistarum. Qui hujusmodi officia possident, tametsi potiantur jurisdictione ordinaria, possunt iis privari etiam sine causa, nullo servato judiciorum ordine. « Beneficia ma- « nualia sunt, ait Reiffenstuel, quæ non conferuntur alicui in « perpetuum sed ad nutum conferentis, ita ut beneficiarius pro « libitu ipsius amoveri possit. » Ex illa notione, quam Reiffenstuel asserit esse communem apud canonistas, sequitur superiorem non teneri ad observantiam juris, in amovendo beneficiarium, et posse alterum illi substituere absque causa de qua rationem reddere teneatur.

Quasdam exceptiones ibidem apponit Reiffenstuel ad mentem doctorum, ne superior clericum amoveat « malitia aut « odio, vel præjudicio aliorum interesse habentium; alioquin, « licet aliter amotus non audiretur pro interesse suæ per- « sonæ, alii tamen interesse habentes possent contradicere « tali amotioni, ut puta si ex illa... graviter læderetur locus, « sive communitas carens exinde bono pastore animarum sua- « rum. » (In tit. DE PRÆBENDIS, lib. III, n. 43-45[1].) Dubium non est quin peccet superior qui, nulla suadente ratione utili-

[1] Cf. Leurennius, *Forum beneficiale*, Iª parte, quæst LXXVI-LXXVIIªᵐ; — Card. de Luca, *de Beneficiis*, discurs. LXXXI.

tatis, clericum amovet ab officio, præsertim quando amotus exinde patitur detrimentum grave famæ, aut rerum suarum temporalium, seu etiam quando per hanc mutationem detrimentum infertur Ecclesiæ; omnis quippe Prælatus est *minister Dei in bonum.* Verumtamen, amotio clerici jure subsistit, cum ea conditione officium adeptus sit ut illud possideret ad arbitrium conferentis. Hæc duo solummodo lege naturali et canonica ipsi conceduntur : 1° adire potest Sanctam Sedem, non quidem appellatione judiciali, sed supplici recursu, qui se gravatum præter æquitatem arbitratur per actum administrationis sui præsulis; 2° præterea, locus datur appellationi juridicæ ad Metropolitanum, si forte superior immediatus expresserit, in actu remotionis, causam infamantem, quam veritate destitui inferior prætendit.

IV. Crimine, ipso jure, privationem inducente. Sunt quippe atrocia quædam crimina propter quæ leges canonicæ statuerunt ut clericus privetur suo titulo; de his agendum nobis erit in ultima parte ubi *de Delictis et Pœnis.* Canonistæ communiter tenent requiri sententiam declarativam, quo melius provideatur regimini Ecclesiarum et præcaveantur incertitudines circa auctoritatem rectorum[1].

§ 3. *De amissione jurisdictionis delegatæ.*

305. — III° *Quomodo cesset jurisdictio delegata?*

Jurisdictio delegata cessat revocatione, lapsu temporis seu causa finita, morte delegantis, et morte delegati.

I. Revocatione. Delegans potest pro arbitrio, quin teneatur causam allegare, retrahere quando voluerit facultates quas concessit. Hoc sequitur ex ipsa natura delegationis quæ tota consistit in arbitrio mandantis. Attamen, ne communitas quid detrimenti patiatur ex illa revocatione, dicendum est

[1] Schmalzgrueber, in tit. de Pœnis, lib. V Decret., n° 46-53.

non cessare jurisdictionem antequam revocatio intimata sit. Eo sensu Alexander III respondit : « Quia non intelleximus, nec intelligi debuit, ut revocaretur quod per vos factum esset auctoritate litterarum nostrarum, mandamus « quatenus sententiam quam protulistis ante posteriorum « receptionem, occasione ipsarum nullatenus revocare tenetis. » C. *Audita*, 4, DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM, lib. II.

II. LAPSU TEMPORIS, VEL CAUSA FINITA. Rescriptum non cessat solo alicujus temporis lapsu, nisi id specialiter in ipso adjectum fuerit; verum, si detur ad certum negotium, jurisdictionem cessare causa finita satis perspicuum est. « Ex quo judex « delegatus per se vel per alium sententiam exsecutioni mandavit, ejus auctoritas et jurisdictio cessat, quia semel est « suo officio functus. » Cap. *In litteris*, 9, DE OFF. JUD. DELEG.

III. MORTE DELEGANTIS. Ut explicetur quatenus jurisdictio cessat morte delegantis, distingui debet jurisdictio quæ confertur per litteras justitiæ, seu ad lites, et quæ *contentiosa* dicitur, ab altera quæ confertur per litteras gratiæ, et quæ nuncupatur jurisdictio voluntaria et gratiosa. Non eadem est regula pro utroque casu.

1° In foro contentioso jurisdictio delegata cessat morte delegantis, si res sit adhuc integra ; res autem integra dicitur quoties ante mortem concedentis, nec citatio nec litis contestatio facta est. Quamobrem, si delegans nihil aliud præstiterit quam aliquem subdelegare, locum eligere quo causa judicetur, notarium nominare, et alia hujusmodi quæ sunt præparatoria ad litem, causam autem ipsam non aggrediuntur, res est integra; cessat consequenter jurisdictio.

Difficultas est in casu quo citatio facta est ante mortem delegantis, lite non adhuc contestata, et hinc dubitandi ratio : Lucius III in cap. *Relatum*, 19 (eod. tit.) dixit : « Si lis fuerit « ante nostri prædecessoris obitum contestata, mandatum « morte mandatoris nullatenus expirabit. Si vero ante litis « contestationem decessit, non est a judicibus quos delega-

« verat, ex delegatione hujusmodi procedendum. » Urbanus autem III, Lucii successor, eadem quæstione proposita, respondit in cap. *Gratum*, quod proxime subsequitur in Decretalibus : « Consuluit nos devotio vestra an ante obitum « delegantis proposito citationis edicto, lite vero post mortem « contestata, nihilominus in causa debeat procedere delega- « tus... Nos autem inquisitioni vestræ taliter respondemus « quod cum in casu, citatione facta, negotium sit quasi « cœptum, et maxime si delegatus non sit certus de obitu de- « legantis, potest et debet in causa procedi, tenebitque quod « justitia fuerit prævia definitum. » Canonistæ diversimode conati sunt conciliare secum invicem has duas decretales, ne contraria videantur tradidisse. Plures dixerunt caput *Relatum* procedere quando delegatus accepit certum nuntium de morte delegantis; caput vero *Gratum* intelligendum de casu quo delegatus certus non sit de morte delegantis, prout innuit Urbanus III, his verbis : *Maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis.* Hæc solutio aliis non satisfacit, quia, inquiunt, dictio illa *maxime* est implicativa atque vi suæ significationis denotat idem esse in casu quo causa expressa deficit, licet fortior militet ratio quando illa causa occurrit. Cæteri existimant primam decretalem fuisse correctam per alteram subsequentem, quod neminem offendere debet in iis quæ sunt juris positivi. Cum non sit canonibus sufficienter expressum an jurisdictio delegati cœpta censeatur per solam citationem, et sint ea de re jurisperitorum concertationes, Lucius III sententiam tutiorem secutus, respondit requiri ad perpetuandam jurisdictionem delegati, ut contestatio facta fuerit ante mortem delegantis; e contra Urbanus III benigniorem partem in favorem litigantium amplexus, respondit sufficere citationem vivente delegante factam [1].

[1] Cf. Reiffenstuel, in tit. DE RESCRIPTIS, n. 237-250. — Berardi, *Commentaria juris*, etc., dissert. II, cap. II.

Quid ergo? Satisne consulat valori sui actus judex delegatus, qui conscius mortis delegantis in causa procedit? Res dubia nobis est, et contrariæ doctorum opiniones paulisper nos ancipites reddunt; attamen in praxi sufficienter provisum valori actus arbitramur, quia secundam opinionem, communiori traditioni doctorum consentaneam et gravioribus momentis innixam habemus. Præterea hæc opinio favorabilior est partibus, ne diutius incertæ maneant de exitu litis, et ne sumptus novos subire cogantur ad suæ causæ redintegrationem.

II° In materia gratiæ, distinguitur *gratia facta*, et *gratia facienda*.

Delegationes et aliæ quæcumque gratiæ, quæ alicui directe conceduntur in ipsius favorem, etsi ulterius cedant in commodum aliorum, sunt gratiæ factæ, quæ non exspirant morte concedentis, etiam re integra. Est regula juris : *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.* Bonifacius VIII concludit ex illo principio in cap. *Si cui*, 36, DE PRÆBENDIS, in VI° : « Si cui, nulla personarum facta expressione, « gratiose concessa sit facultas ut possit auctoritate Aposto- « lica aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, « vel beneficia conferre... hujusmodi concessio quam, cum « specialem gratiam contineat, decet esse mansuram, non « exspirat re etiam integra per obitum concedentis. Secus si « super provisione certæ personæ facienda sit data potestas « eidem, non ob suam, sed ejus cui provideri mandatur gra- « tiam vel favorem : illa quidem exspirat omnino, si con- « cedens re integra moriatur. » Igitur qui recepit in sui favorem jurisdictionem delegatam, aut aliam gratiam, absque præfinitione temporis, illa utique perfrui potest donec a concedentis successore revocetur. Sic permanent post mortem superioris, facultates concessæ prædicandi, confessiones audiendi, ordines recipiendi ab alieno Episcopo, oratorium privatum habendi, et alia hujusmodi quæ sunt gratiæ factæ.

Delegationes, seu commissiones factæ ad conferendum favorem personæ determinatæ, ita ut exsecutio pendeat a beneplacito, vel libera voluntate, aut judicio delegati, exspirant mortuo concedente, si res sit adhuc integra; id est si commissarius nondum fecerit primum actum illum qui correspondet citationi in materia justitiæ, vocando auctoritative partes ad cognoscendum an preces veritate nitantur, vel audiendo confessionem. Probatur ex cap. *Si cui* mox citato, cujus hæc est præcise dispositio. In eo casu nullum jus cuiquam acquisitum est : non ministro exsecutori, cum in ejus favorem gratia non sit facta; non ei cui gratia facienda est, quia relictum est liberæ voluntati mandatarii ut dicta gratia conferretur, vel non.

Hinc facultas sacerdoti concessa pro foro pœnitentiæ, ut aliquem in particulari determinatum absolvat a censura, vel a peccato reservato, prout expedire judicaverit, exspirat morte concedentis, si nondum incœpta fuerit confessio, quia concessio non est facta in favorem sacerdotis, et aliunde sacerdos censetur exsecutor voluntarius.

Diximus *si exsecutio pendeat a beneplacito exsecutoris.* Si delegatus constitutus fuit exsecutor necessarius, scilicet, quando non potest abstinere a gratia conferenda, postquam repererit debitas conditiones in subjecto, valde dubium est an exspiret, an e contra perduret delegatio, re adhuc integra. Canonistæ plures tenent perseverare in illo jurisdictionem, quia favor videtur gratia directe facta impetranti, et quæ tantum indiget exsecutore. Id probari potest ex constitutione Bonifacii VIII, quæ sic se habet : « Æquum esse censemus, ut sicut « gratia, licet nondum sit in exsecutione ejus processum, morte « non perimitur concedentis, sic nec etiam, re integra, perimatur exsecutoribus data potestas, quam veluti gratiæ prædictæ accessoriam, naturam sequi congruit principalis; ne « gratiam eamdem vel reddi quandoque inutilem, vel ipsius « effectum, cum illius dispendio cui facta est, in tempus

« longius differri contingat. » Cap. *Si super gratia*, 9, DE OFFICIO JUD. DELEGATI, in VI°. Alii tamen doctores, præsertim inter eos qui de praxi curiæ Romanæ ex professo disseruerunt, uti Pirrhus Corradus, negant perseverare delegationem; quod deducunt ex regula XIIª cancellariæ, quæ *revalidatoria* nuncupatur, vi cujus Pontifex noviter electus « omnes et « singulas a suo prædecessore, infra annum ante diem obi- « tus, concessas gratiæ vel justitiæ litteras, temporibus debi- « tis eorum executoribus seu judicibus non præsentatas, « convalidat et in statum pristinum restituit, ac decernit per « executores seu judices prædictos procedi posse ac debere « juxta illarum formam. » Quum Pontifex censeat revalidandas esse litteras sive gratiæ, sive justitiæ, sequitur easdem litteras vim suam amisisse, sede vacante.

In praxi hæc sunt animadvertenda quibus plerumque omnis difficultas removetur : 1° Regula Cancellariæ decernit solum de litteris quæ non præsentatæ fuerant exsecutoribus ante obitum Pontificis cujus nomine datæ sunt. 2° Hæc regula non applicatur ad rescripta Pœnitentiariæ quæ, mortuo etiam Pontifice, suo officio fungitur ob necessitates spirituales fidelium. 3° Nec etiam applicanda est ad rescripta quæ Episcopis conceduntur sive a dataria sive a S. Pontifice, in tempus determinatum; v. g. ad triennium, ut valeant dispensare super impedimentis matrimonii, certis irregularitatibus, votis, etc., quia hujusmodi indulta censentur gratia facta Prælatis quorum expeditior evadit actio ad providendum utilitatibus suæ diœcesis. Ita videtur passim in usu servatum. 4° Tandem regula Cancellariæ statuit solummodo de facultatibus a S. Sede concessis, non vero de delegationibus seu gratiis quas Episcopus, aliusve Prælatus concesserit : dubia si quæ oriantur circa hujusmodi delegationes resolvi debent ex principiis generalibus juris, et ex præsumpta intentione superioris.

[1] Cf. Riganti in Regulam XII. — Pirrhus Corradus, *Praxis dispensationum*, lib. II, cap. VIII, nis 19-22. — Sanchez, *de Matrimonio*, lib. VIII, diss. XXVIII, nis 87-94.

IV. Morte delegati. Delegatio personalis extinguitur morte delegati, non vero delegatio realis, quæ nimirum annexa fuit officio permanenti. Porro delegationes præsumuntur personales quoties nomen personale delegati solum exprimitur, et etiam probabilius quando nomen personæ annexum est dignitati : e contra censentur reales quando exprimitur tantummodo nomen dignitatis; nisi sint, in alterutro casu, certa indicia aliam esse intentionem superioris.

Hinc concludimus Vicarium, seu officialem capituli, sede vacante non posse exsequi dispensationes quæ directæ sunt a sede Apostolica Vicario seu officiali Episcopi; quia licet vicarius capitularis succedat Episcopo in iis quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, non ideo tamen est vicarius Episcopi. Ita servandum in praxi supponit Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. IX, n° 3, et pluries responsum fuit a S. Pœnitentiaria omnino requiri novam commissionem, alioquin irrita forent matrimonia contracta vi dispensationum quas officialis capituli exsequi præsumpserit[1].

306. — IV° *Utrum et quatenus liceat uti jurisdictione dubia, aut probabili?*

Ex dictis per decursum primæ partis *Prælectionum*, et speciatim in sectione ultima, sequitur exoriri quandoque dubia circa jurisdictionem, tum ob dissentientes opiniones canonistarum de jure, tum ob incertitudinem facti unde pendet jurisdictio; quamobrem inquirendum remanet qua ratione qui in hoc dubio versatur debeat suam conscientiam practice formare; utrum et quandonam possit suum ministerium exercere etiam cum periculo nullitatis, vel illicitatis actuum suorum.

Ut solvatur proposita quæstio, nonnulla sunt animadvertenda; scilicet : 1° attendere necesse est ad motiva quæ mili-

[1] *Manuel des dispenses*, par M. Caillaud, n° 361.

tant in gratiam jurisdictionis; an sit vere *dubia*, ob æqualitatem rationum contrariarum quæ mentem in suspenso tenent; an sit *probabilis*, ob motivum per se grave, licet non sufficiens ad producendum firmam mentis adhæsionem; an probabilior, utpote quæ nititur motivis notabiliter gravioribus, quamvis non excludant omnem formidinem errandi. 2° Ratio habenda est speciei actuum qui cum tali jurisdictione faciendi sunt; nimirum an hujusmodi sint ut ex illis, si fiant invalide, etiam cum bona fide, sequetur malum grave, v. g. nullitas sacramenti, invaliditas institutionis in officium publicum; an e contra hujusmodi sint ut ex illorum invaliditate, si fiant ex formata conscientia, sequatur solummodo malum materiale, ut v. g. si sacerdos non valide auctorisatus dispenset super lege abstinentiæ, administret sacrum viaticum, etc... 3° Ratio etiam haberi debet necessitatis ponendi actum, et sedulo expendi quosque urgeat eo in casu lex charitatis aut justitiæ ut vitetur scandalum, ut magis assecuretur salus animæ perituræ, ut auxilium valde utile in ordine salutis proximo conferatur. 4° Tandem ratio haberi debet consuetudinis, quia fieri potest ut jurisdictio incerta ex parte tituli primitivi, firmetur consuetudine legitima, quo in casu jurisdictio non est dubia sed certa evadit, cum ex omnium consensu consuetudo valeat conferre jurisdictionem. Sic, nobis incertum visum est quonam jure Episcopi locorum ex quibus naves progrediuntur et suscipitur navigatio, primitus dederint sacerdotibus capellanis navium commercii maritimi approbationem et jurisdictionem in gratiam nautarum et navigantium (n° 262); cum vero id fiat ex consuetudine universali et diuturna, non dubitamus quin Episcopi valeant dare jurisdictionem, et quin sacerdotes ea legitime utantur; tametsi tutius esset recurrere ad S. Sedem pro solutione certiori plurium difficultatum quæ in hac materia obveniunt.

His positis, sequentes regulæ observandæ videntur.

I^a^ Non licet uti jurisdictione dubia, vel simpliciter probabili,

extra casum aliquæ necessitatis. Ratio est quod non debemus nos exponere periculo probabili usurpandi jus alienum, et faciendi actus invalidos, seu simpliciter illicitos, quamdiu nulla postulat utilitas seu necessitas : porro qui præsumit uti jurisdictione dubia, vel etiam probabili, in illud periculum incurrit. Nec dicatur Ecclesiam in hoc casu supplere jurisdictionem; nam hoc ipsum dubium est; siquidem negatur a compluribus doctoribus gravis auctoritatis; et reipsa non præsumendum est Ecclesiam velle patrocinari imprudentiæ et temeritati illius qui pro libitu, nulla accedente justa causa, utitur jurisdictione tantum probabili. Diximus *extra casum necessitatis;* si enim urgere videatur aliqua ratio charitatis, aut justitiæ, expendenda erunt ac simul conferenda periculum faciendi actum fortassis nullum et motiva quæ in præsentibus circumstantiis impellere possunt ad ponendum eumdem actum, et ea pars eligenda erit in qua minus occurrit inconveniens.

II[a] Licitum est, generatim loquendo, uti jurisdictione probabiliori, tametsi nulla urgeat necessitas. Ratio est quod in eo casu Ecclesia merito præsumatur supplere jurisdictionem, si forte defuerit. Re quidem vera conjicimus Ecclesiam permittere ut sequamur in praxi quod communissime tradunt doctores, et ideo supplere quod ex parte juris fortassis desit, ut exinde non fiant actus invalidi in perniciem animarum : porro doctores, non solum probabilistæ sed et antiprobabilistæ, communissime tradunt licitum esse uti jurisdictione probabiliori [1]. Præterea, cum dubia sæpius oriantur in exercitio sacri ministerii, nimis frequenter confessarii et alii ministri Ecclesiæ suspensi atque anxii essent, si non possent tuta conscientia uti jurisdictione quam probabilius, ob motivum scilicet grave, habere credunt.

Diximus *generatim loquendo* quia hæc nostra regula nonnullas patitur exceptiones; unde :

[1] S. Liguori, *Th. moralis*, lib. VI, n° 573. — Billuart, *de Pœnitentia*, dissert. VI, art. IV.

III^a^ Non sufficit jurisdictio etiam probabilior, sed requiritur moraliter certa in casu quo sequeretur grave malum ex invaliditate actuum, si forte desit jurisdictio, v. g. in collatione officiorum quæ dant curam animarum, in concessione facultatum præsertim generalium pro sacramentis Pœnitentiæ et Matrimonii, in absolutione moribundi, si suppetat medium certius providendi ejus saluti. Ratio est quod ex invaliditate institutionum et facultatum hujusmodi sequerentur mala gravissima et inmunera, ut absolutiones et matrimonia nulla, damnatio animarum... Porro religio, charitas, prudentia christiana non sinit ut nos exponamus periculo etiam leviori tot tantorumque malorum. Modo dicebamus ex communissima opinione doctorum, Ecclesiam supplere jurisdictionem in casu sententiæ probabilioris; verum hæc sententia, quæ est satis fundata ut illam secure adhibeamus in casibus passim occurrentibus, non ita est extra omnem controversiam, ut eam in praxi amplectamur etiam in casibus illis extraordinariis.

Explicit pars prima *Prælectionum* juris canonici in qua de regimine Ecclesiæ agendum erat. Faxit omnipotens et misericors Deus ut omnes qui in Ecclesia parte aliqua jurisdictionis potiuntur, officium sibi commissum summa cum veneratione suscipiant, illoque religiosa sanctorum canonum observantia fungantur, memores verborum quibus illos gravissime admonet sanctus Paulus : VIGILA, IN OMNIBUS LABORA... VIDE MINISTERIUM QUOD ACCEPISTI IN DOMINO UT ILLUD IMPLEAS... HIC QUÆRITUR INTER DISPENSATORES UT FIDELIS QUIS INVENIATUR.

INDEX

PRIMÆ PARTIS PRÆLECTIONUM CANONICARUM

Asterico notantur quæstiones quas præcipue tractare expedit, ubi tempus lectionibus juris canonici impendendum non sinit ut cæteræ omnes exponantur.

PROLEGOMENA IN JUS CANONICUM.

§ 3. — *De Consuetudine.*

§ 4. — *De præcipuis collectionibus canonum.*

§ 5. — *De regulis juris.*

§ 6. — *Commentaria juris canonici.*

PARS Iª.

De statu et regimine Ecclesiæ.

SECTIO PRIMA.

DE FORMA CONSTITUTIVA ECCLESIÆ ET RELATIONIBUS ECCLESIÆ CUM SOCIETATE CIVILI.

SECTIO II.

DE SUMMO PONTIFICE.

ART. I. — DE ELECTIONE S. PONTIFICIS.

ART. II. — DE JURISDICTIONE S. PONTIFICIS.

ART. III. — DE CONSILIARIIS ET MINISTRIS S. PONTIFICIS.

§ 1. — *De Cardinalibus.*

§ 2. — *De congregationibus Romanis.*

§ 3. — *De Legatis, Vicariis, et Protonotariis apostolicis.*

SECTIO III.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITANIS.

ART. I. — DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS.

ART. II. — DE METROPOLITANIS.

SECTIO IV.

DE EPISCOPIS.

ART. I. — DE ORIGINE DIŒCESEON.

ART. II. DE ELECTIONE EPISCOPORUM.

ART. III. — DE INSTITUTIONE CANONICA EPISCOPORUM.

ART. IV. — DE JURISDICTIONE EPISCOPORUM IN GENERE.

ART. V. — DE PRÆCIPUIS OFFICIIS EPISCOPORUM IN MINISTERIO ECCLESIÆ.

ART. VIII. — DE SUSPENSIONE ET AMISSIONE JURISDICTIONIS EPISCOPALIS.

ART. IX. — DE REGIMINE DIŒCESIS SEDE VACANTE.

SECTIO V.

DE EPISCOPIS TITULARIBUS, ET DE PRÆLATIS HABENTIBUS JURISDICTIONEM QUASI-EPISCOPALEM.

SECTIO VI.

DE SYNODIS EPISCOPALIBUS.

ART. I. — DE SYNODIS GENERALIBUS.

ART. II. — DE SYNODIS NATIONALIBUS.

ART. III. — DE SYNODIS PROVINCIALIBUS.

SECTIO VII.

DE PAROCHIS.

ART. I. — DE NATURA ET DIVERSIS SPECIEBUS PAROCHIARUM.

ART. II. — DE NOMINATIONE PAROCHORUM.

ART. III. — DE JURIBUS PAROCHORUM.

ART. IV. — DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

ART. V. — DE COADJUTORIBUS PAROCHORUM ET VICARIIS.

ART. VI. — DE COMMUNITATIBUS EXEMPTIS A JURE PAROCHIALI : DE CAPELLANIS MILITUM, ET DE CONFRATERNITATIBUS.

SECTIO VIII.

DE CONFESSARIIS.

ART. I. — DE APPROBATIONE ET JURISDICTIONE CONFESSARII.

ART. II. — DE SUBJECTO JURISDICTIONIS CONFESSARII.

ART. III. — DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARII.

SECTIO IX.

CONSECTARIA PRIMÆ PARTIS.

CONSECTARIUM I. — DE DUPLICI HIERARCHIA.

§ 1. — *Potestas et hierarchia ordinis.*

§ 3. — *De adeptione jurisdictionis delegatæ.*

CONSECTARIUM III. — DE RESTRICTIONE ET AMISSIONE JURISDICTIONIS.

§ 1. — *De restrictione jurisdictionis.*

§ 2. — *De amissione jurisdictionis ordinariæ.*

§ 3. — *De amissione jurisdictionis delegatæ.*

PARISIIS. — EX TYPIS SIMONIS RAÇON ET SOC., VIA DICTA ERFURTH, 1.